FRANCISCI ANTONII SPADA
SACERD. S. THEOL. & V. J. D.

ANTELUCANÆ VIGILIÆ,

Sivè

EXERCITATIONUM LIBRI III.

Quibus præcipua ad Civilem Facultatem pertinentia, nec non Celebriorum Civitatum Ortus, Progressusque tractantur.

VOLUMEN SECUNDUM.

Superiorum Permissu.

VIENNÆ, Typis Joannis Petri Van Ghelen, Sac. Cæs. Regiæque Majest. Aulæ, & Universitatis Typographi. 1726.

Illustrissimo, atque Excellentissimo

DOMINO, DOMINO

RAYMUNDO

DE

VILANA

PERLAS,

MARCHIONI DE RIALP

SAC. ROM. IMP. COMITI,

Sac. Cæs. R. & Cath. Majest. à Secretis

Statûs Intimæ Admissionis, &c.

FRANCISCUS ANTONIUS SPADA

S. P. D.

CUm ex improviso, Vir Excellentissime, sævum adeò fulmen me perculisset, ut nedum stuporem injiceret, à quo nulla propemodùm exci-

tandi facultas, ſed altum adeò vulnus infligere viſum eſſet, ut nec ſalutaribus monitis, nec virtute ullâ, conſtantiâque remedio locus eſſe crederetur, amiſſio nempe fratris optimi, & funeſtæ Familiæ caſus; ea duntaxat cogitatio, fide, quâ obſtrictus eram, me quodammodo liberandi, adeò mentem ſubiit opportunè, ut è Veterno illo anguſtiarum qualitercunque expergefactus, ſalutem in rerum ipſarum ſcriptione ex atrociſſima illa, ſæviſſimaque animi plaga paulatim recipere agnoſcerem. Hinc cœptum laborem proſecutus, Exercitationum mearum Volumen ſecundum Tibi ſiſto; nec tertium brevì abſolvere, Deo dante, deſinam, quanquàm Neapoli, ùt ſpero, lucem ſit viſurum. Jure namque Tuum eſſe Opus, ùt dixi, ſeries ipſa rerum oſtendit, cùm id præſertim in animo fuerit, haud inanibus immorari, & quæ Civitati ſunt uſui, rudi quanquam penicillo adumbrare. Quid enim erit præſtanti etiam ingenio naſci, ſi duntaxat ad Accademiæ induſtriam efformetur? At Veteres illi, quanquam eruditionis Principes, haud tamen in Scholis ſudâſſe viſi ſunt, ſed condere Civium mores, Patriam conſiliis firmare, inque externos ritus intueri,

quæ-

quæque indè placebant, in suos invehere, moris erat. Quis autem laudatos illos Viros verâ, & publicâ eruditione Te meliùs est imitatus? Ingenium namque Tuum simul ad Rempublicam, & scientias à Natura comparatum fuisse, re ipsâ ostendisti, cùm literas ipsas, nè ineptirent, aut sordescerent, sublimi, atque ad Reipublicæ salutem formatâ prudentiâ regere, & prudentiam ipsam literis armare, nec tui tantùm temporis notitiâ, expertisque duntaxat rebus, sed peritiâ quoque, & laboribus antiquitatis inniti visus fueris. Quæ tria igitur Aristoteles iis necessaria esse affirmavit, qui Rempublicam tractare debent, amorem nempe erga Reipublicæ statum, facultatem inde maximam ad officii munia obeunda, & virtutem denique, atque justitiam Reipublicæ accommodatam, in Te uno eminere, viderunt Universi. Sed in laudibus immorari Tuis injurium esset, & inane; cùm nemo bonâ mente donatus agnoscere, & suspicere desinat, quod priùs advertisse reminiscor. Quo igitur gaudio verum dixisse, sed parciùs, quàm par erat, & id dixisse, quod vidi, quodque expertus sum, ac tenui mente potui concipere, vulgato primo Volumine, dum cuncti veritatem illam prædicarent, fuerim affectus, satìs

 ex-

explicare nequeo. Quanquam de meis illis vigiliis haud rectum aliqui judicium tulissent; Cùm tamen ineptias rejicere ineptissimum Videatur, illud tantùm, quod Operis ordinem respicit, non omittendum censui, ut quâ solidâ eruditione, atque judicio verbà effuderint, agnoscant. Ac primùm: quis profectò negaverit, de Republica disserere haud potuisse, nisì jactis priùs justitiæ fundamentis? An enim in cætus homines coivisse propter metum, atque utilitatem, nullamque vim esse justitiæ, aut rationis affirmare aliud erit, quàm ipsummet ordinem destruere? An propterea Plato, cæterique omnes à justitia ipsa exordium non fecerunt? Et ut de aliis sileam, Cicero, ut justitiam luculentiùs commendaret, iniquitatis partes Pilum defendentem inducit; eo namque disputationem omnem refert, ut Lælius postea justitiam defendere aggressus, verum ex opposito magìs elucescere demonstraret; quanquàm Pilus ipse seriò simul se purgaverat, nè quod dicebat, sentire crederetur; hinc indubia conclusio redditur, ùt priùs decretum Scipionis erat, sinè summa justitia, Rempublicam regi non posse; quamvìs enim habere aliquid ex iniquo omne magnum exem-

L. 3. de Rep.

exemplum, quod utilitate publica rependitur, aliquando necesse sit; ea tamen utilitas justissimum reddit, cùm summa ratio suadeat, salutem Civitatis supremam Legem esse; quomodo autem meliùs poterat hominum justitia evinci, nisì priùs suas ipsi facultates agnoscerent? aut quomodo desiderio ad eas duntaxat exserendas, vincendosque naturæ impetus capi faciliùs potuissent, nisì vitæ juxta rationem imagine ante oculos objectâ? hinc tres illæ præcesserunt Exercitationes de facultatibus humanæ Naturæ: de Justitia hominum naturali; deque vita beata Sapientis; hinc iisdem fundamentis superexstruxi Reipublicæ notionem, & eo ordine processi, ut nìl à proposito alienum, atque inane attigissem, & Pædia ipsa ex rerum tractatione pateret; ab ipsis namque causis summa genera, & generum partitionem ad infima deduxi, adeò ut omnia membra inter se aptata, suâque proportione cohæreant; tùm definitiones subjeci, præceptaque, quâ brevitate, ac perspicuitate fieri potuit, adeò ut velut in tabula Civilis disciplinæ forma delineata conspiciatur. Parùm autem erat notiones, & præcepta quædam tradidisse, nisì exemplis illustrarentur. Quapro-

propter ad Civitates ipſas deſcendere opus, & celebriores eligere par erat. Tractationis verò Methodum Præfatio ipſa jam oſtendit. Quæ igitur Apædeuſia? Cætera Tabulæ fuſiùs exhibent. Vale.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

EXERCITATIO II.

DE CIVITATE LACEDÆMONIORUM, ET ATHENIENSIUM.

PARS I.

De Civitate Lacedæmoniorum.

FAmiliarum moderationes, ſeu domeſtica illa Patrumfamilias Imperia, poſtquàm in Cognationes pluresque Vicinitates crevêre, Regia excepit Gubernatio; adeoque ſub ipſis initiis Civitates etiam ordinem habuêre, & aliæ quidem ſpontè ſuâ, ut tranquillè juxtaque rationem ſociati homines vitam agerent; aliæ vi compulſæ propter nempe hoſtium irruptiones, quorum metu Ducem ſibi conſtituebant; hinc ſicut Ratione Civitatum ordinem conſtitutum agnovimus, ùt ſuprà fusè diſſeruiſſe putamus; ità magna Imperia non niſì ex bellis orta, ſubjugatione ſcilicet plurimarum Civitatum fateri cogimur, ùt infrà Exercitatione de quatuor Monarchiis uberiùs verba facere occaſio erit. Ordinis autem in Civitate ſecutæ Converſiones iis de cauſis, quas ſuprà tetigimus, ex uno ad paucos, è paucis verò ad omnes & viciſſim, regimen ſociatorum Civium deferebant; undè Regia primùm,

dein verò cæteræ gubernandi formæ prodire visæ sunt; hinc Lucretius:

Condere cœperunt Urbes, arcemque locare,
Præsidium Reges ipsi sibi, profugiumque.
Et pecudes & agros divisère atque dedère
Profacie cujusque & viribus, ingenioque;
Nam facies multum valuit, viresque vigebant;
Posteriùs res inventæ sunt, aurumque repertum,
Quod facile & validis & pulcbris dempsit bonorem;
Divitioris enim sectam plerumque sequuntur
Quàm libet & fortes, & pulcbro corpore creti.

Et paulò post:

Ergò Regibus occisis subversa jacebat
Pristina Majestas soliorum & sceptra superba:
Et Capitis summi præclarum insigne cruentum
Sub pedibus vulgi magnum lugebat bonorem;
Nam cupidè conculcatur nimis ante metutum.
Res itaque ad summam fæcem, turbasque redibat;
Imperium sibi cùm ac summatum quisque petebat;
Inde Magistratum partim docuère creare,
Juraque constituère, ut vellent legibus uti.

Ut nempe juxta Naturam viverent, ad quam recurrebant, atque impedimenta ab hominibus, qui impetum naturæ, non verò lumen sequebantur, provenientia vitarent; quare fallum, quod sequitur:

Nam genus bumanum defessum vi colere Ævum,
Ex inimicitiis languebat, quò magis ipsum
Spontè suâ cecidit sub leges, arctaque jura.

Ut illud Horatii quoque:

Nec Natura potest justô secernere iniquum.

Quos ultrà vetustorum Philosophorum turbam secuti Novatores illi, de quibus libri primi Exercitationibus sermo fuit; quoniam si Naturæ lumen omnes secuti essent, quilibet Lex sibi fuisset, ùt Sapientes; normam enim rerum agendarum exhibet recta ratio, quam à Deo homines acceperunt. Reges

Reges autem primis illis temporibus ex virtute metiri mos erat, licèt rudes adhuc inter gentes Venustas quoque, Corporisque Proceritas plurimum valerent, & Saul Populo à Samuele ostentatur, quòd suprà cæteros eà de causa emineret. Diversi tamen mores fuère, & apud plerosque semel electô Rege Potestas mansit Successoribus; hinc tot Orientem Regna distraxerant, & Palæstina duntaxat Regio plurimos habuit; tueri namque solummodò studebant fines ab initio, nec supra Nimbrodum, qui propter cupiditatem proferendi Imperii primus bella gessit, profana historia assurgere videtur, licèt Ægyptios, Scythasque bella anteà gessisse memorent; fabulis tamen eà ætate plena sunt omnia; hinc Justinus: *Principio,* inquit, *rerum, gentium, Nationumque Imperium penes Reges erat, quos ad fastigium hujus Majestatis non ambitio popularis, sed spectatâ inter bonos moderatio provehebat. Populus nullis Legibus tenebatur: arbitria Principum pro Legibus erant. Fines Imperii tueri magis quàm proferre mos erat: intrà suam cuique Patriam regna finiebantur.*

De prima Civitatis forma.

Igitur, ùt cæteras, Laconū etiam Civitatē à principio Reges habuêre: ea autem primùm Lelegia & Oëbalia nuncupata, & à Strabone Argos Achaicum. Ab Occidente Taigetus mons à Messenia dividebat. Ad Septentrionem verò Arcadici montes, atque Alphæus fluvius. Ab Argivis, & Teceatis dirimebatur Hermis in monte Parnone sitis Occidentem & Meridiem versùs; à meridie verò Cythera Insula, aliæque ante Tenedum Promontorium è conspectu erant. Primisque temporibus 100. Urbes complexa est, ideoque Sacrificium illud 100. Boum, seu Hecatombe apud Lacedæmonios celebratum, posteà verò, ut fert rerum vicissitudo, vix 30. numerabat. Princeps quidem Caputque rerum semper Sparta fuit, Urbs quondam sinè muris; Tyranni namque ùt Livius inquit: *Nuper locis patentibus, planisque objecerant murum.* Primò autem Demetriô & Pyrrhô eam oppugnantibus tu„ multuario opere exstructi muri fuerant. Posteà autem Nabbis Ty„ rannus tales faciundos curavit, ut nihil ad firmitatem desideraretur, „ quos tamen Achæi dejecerunt, cùm Spartam Juris Achaici fecerunt; tandem verò muri à Romanis restaurati. Licèt autem Varia de Populi Originibus permixta fabulis legantur, nobis duntaxat innuisse sufficiat, & in Græciam Javanis posteros transiisse circà Abrahami tempora, & à Phœnicibus seu Cananæis, quos Iraëlitæ sedes mutare coëgerant, populatam Græciam fuisse; è Græcis verò ejectis aliis, qui primò Laconicum agrum occupaverant, Achæis nempe ac Spar-

tis, qui nomen Urbi dedere aliisque, Dorienses, occupatâ Peloponesò, Lacedæmoniorum & Corynthiorum Regna constituerunt, illudque primum Procles & Eurysthenes moderati fuêre, qui pari potestate fruebantur, atque ab iis duæ illæ celebres Regum familiæ Euristhenidarum Proclidarumque, quorum Successores eodem modò regnarunt, propagatæ fuêre, tenueruntque summam rerum ad Cleomenem usque Regum postremum, qui debellatus ab Antigono Macedone Achæisque sociis fuit.

Cùm autem duo Reges æquali jure prædití potestatem exercerent, mirum sanè, quòd longè adeò ea Regni forma perdurâsse visa fuerit; nam ab Euristhenis, & Proclis initiis ad Lycurgum anni fluxerunt fermè bis centum sexaginta. Erat enim irregularis, cùm unus alterum impedire potuisset, mutuaque odia, æmulationesque Civitatem quoq; in partes distrahere debuissent, interque factiones Civiles motus erumpere facillimum; magis verò, quoniam Herodoto teste, atque Pausaniâ, Reges illi nunquam concorditer egerunt, unde & motus frequentes exstitêre, & Reges etiam interfecti; nam Eunomius Lycurgi Pater in tumultu ferocientis Populi accepto vulnere periit, cùm priùs ad eum demerendum regiam Potestatem imminuere coacti essent. Ea igitur rerum confusio occasionem Lycurgo dedit Reipublicæ constituendæ; jamque captâ oportunitate, quòd Charilaus Rex puer esset, & ipse Tutor Regnum pro eo administraret, manum admovere invertendo rerum statui cogitabat; hinc ea consilia agitando, cùm propterea Regias virtutes universas explicâsset, suspicionem movit, quòd Charilao vellet Regnum eripere; quare solum vertere coactus, primòque in Cretam profectus, eam Reipublicæ formam, Legesque à Minoë latas introspexit, inde per Asiam vagatus, & Ægyptum, instituta, moresque Gentium rimari non destitit, quo tempore motus, factionesque adeò creverant, ut Respublica undique fluctuans mergi penitùs videretur, ipsique Reges Virum optarent, ut sapientiâ, prudentiâque suâ turbatam Civitatem utcunque ordinaret. Hinc Spartam reversus, cùm omnium oculos in se conversos cerneret, cœpit cum fidissimis agitare consilia, & à Religione ducenda ratus initia, Delphos migravit ad celeberrimum eâ tempestate Apollinis Oraculum, nec, ùt necesse erat, Pythiam Sacerdotem sibi conciliare, quæque agenda erant, firmare priùs omiserat; hinc primo adventu salutatur tanquam Diis acceptissimus, aut potiùs Deus alter, posteà verò responsum accipit, quo

De Lycurgo Legislatore.

Rem-

Rempublicam conditurum, quæ cunctas antecelleret, nunciabatur, quòque, ùt oportebat, Populum distribuere, cæteraque ordinare, admonitus fuit; iisque auspiciis, cùm Optimates anteà traxisset ad partes (jamque præstantissimi eum Delphos secuti fuerant) Reges ei quoque accedere adigit, tumque demum Leges condere incipit, cùm Populus, cujus tractandi animos peritissimus, nefarium, sceleftumque judicâsset, eas abnuere; quoniam nedum comprobatæ Apollini, sed ab eo editæ ferebantur; jamque latis Legibus, quanquam acceptæ à Populo fuissent, nec destitit pro Concione denuò disserere, aliquid deesse ad Civitatis felicitatem, ejusque perpetuitatem; nec ipsum promulgaturum inconsulto Numine; cùmque properare Delphos jussissent universi, eum cernens animorum ardorem, jurare Reges, Senatum, Populumque edicit, servaturos, quidquid ex Oraculo præscriberet. Post hæc igitur migratus Delphos, Sacris ritè peractis, Oraculum consuluit, deque latis Legibus responsum accepit, ùt ipse priùs cum Sacerdote composuerat, clarissimam Civitatem, potentissimamque evasuram, si latas à se Leges servaret; Illudque Spartam misit; iteratisque Sacris, suos amplexatus, spontaneà morte vitam finivit, ut nedum Legum latione, sed ipsarum perpetuitate Civitatis felicitati sat providisse videretur. Ea tamen mens fuerat, ut Rempublicam belligeram efficeret, utque Cives inter se nedum juris æqualitate, sed honorum, bonorumque, concorditer agerent, ut Regum imminueretur potestas, & quamvis Optimates supremos haberent Magistratus, Populus tamen cùm in Cōcionibus maxima quæque discutiendo, tum sanciendo, particeps Reipublicæ esset, undè Plutarchus: *Populo,* inquit, *congregato nemini ex aliis sententiam ferre permisit, sed quæ a Senatu, & Regibus promulgata erant, de eis decernere Populo jus erat.* Sed ut singuli præstarent Reipublicæ operam, educatione quàm optimos Cives effici curavit; Quæ namque Respublica præ Lacedæmoniis meliora, admirandaque fortitudinis, laborum, tolerantiæ, gloriæ, cupiditatis, mortisque contemptûs pro Patria exempla suppeditat? Populo igitur ex *Rethra Delphica* in partes sex, seu Tribus distributo, quas è vetustis nominibus nuncupavit *Heraclidas, Ægidas, Limnatas, Cynosurenses, Pythanatas, Mesoatas,* & unamquamque Tribum in partes quinque, seu *Obas,* suis quoque nominibus distinctas, quibus singuli Præfecti erant constituti, quique Obis præerant, *Geroactæ* dicebantur, Ordinem etiam militarem statuit; Exercitum enim *Sex Moræ* constituebant, quas

De novo Civitatis ordine.

è ſingulis Tribubus deſcripſerat, & ii duntaxat in *Mora* continebantur, quibus ætas ad pugnandum aptiſſima. *Moram* autem iterum in partes ſex diviſerat, ſeu turmas, *Penthecoſthias*, *&* *Enomocyas*, & cuilibet Moræ præeſſe juſſit Polemarchum, qui totius Exercitûs Præfecto parere tenebatur.

Sed & in Choros diſtributio non eſt ſilentio prætereunda; Senum nempe primus, qui in Sacris ſic canere exordiebatur: *Nos quondam eramus fortes juvenes*; ſecundus verò, juvenum, & reſpondebant; *Nos ii ſumus, fac ſi velis periculum*; tertius autem puerorum, qui referre conſueverat: *Nos verò erimus multò præſtantiores.* Et nè Civium munia confunderentur, in paterna cuncti ſuccedebant; hinc Herodotus lib. 6. inquit: *Cùm Ægyptiis etiam Lacedamonii in hoc congruunt, quòd eorum Præcones, Tibicines, & Coqui in paterna artificia ſuccedunt, & Coquus à Coquo, Tibicen à Tibicine, Præco ex Præcone gignitur: neque ulli propter vocalitatem aliis inſidiantes ſe ipſos ingerunt, ſed in paterno opere perſeverant.* Ità conſtitutis Civium ordinibus ut nedum peculiaribus Legibus, & moribus à cæteris ſejungerentur, ſed ipſo inceſſu, habituque, modum, quo ſe tenerent, induerentque, præſcripſit; & ut nomina etiam uſurparent, quibus aliis uti mos non erat; unde Pauſanias in Achaicis à Nicolao Cragio relatus, atque verbis ejus in latinum ſermonem verſis: *Corripuerunt*, inquit, *quemcunque vel certò intellexerunt, eum Lacedamonium eſſe, vel de quibus tonſuræ, aut calceorum causâ, ſive etiam propter veſtem ſuſpicio erat.* Leges igitur, quibus Civitatis forma ad ejus mentem conſtitueretur, ferre aggreſſus, ùt Populum diviſerat, ità quod longè erat difficillimum, agrum ad æqualitatem inducendam partiri voluit; neceſſe namque erat, poſſeſſiones Divitum movere, & cum pauperibus communes facere; Sed perculſi ſuperſtitione animi, & hoc ſuaderi ſibi paſſi ſunt; Quare cùm omnium agri jam in poteſtate eſſent, arbitrioque ſuo, acſi fuiſſent unus ager, ex æquo eos in tricies novies mille partes diviſit; novies autem ille diſcrevit á reliquis, & Civibus Spartam Urbem incolentibus ſingulas ſingulis *ſortitò* aſſignavit; reliquas verò Civibus aliis, qui in Oppidis, cæteriſque Urbibus degebant; ſors autem quælibet vix ad ſuſtentandam cum parſimonia, & induſtria Familiam ſatìs erat, earumque penè Commercium ſuſtulit, cùm vendi, minui, augerique quomodolibet vetuiſſet, adeoque ſucceſſione tantùm deferebantur; quod inſtitutum, & quidem meritò, parùm ſervatum; nam, ùt

De præcipuis Legibus Civitatis.

optimè

optimè Aristoteles, necessariò sequebatur ipsamet inæqualitas, quanquâm Legislatori adeò invisa; nam ager ad paucos recidit, quoniam cùm vendere, aut emere bona Civibus Lege vetuisset, dandi, & relinquendi potestas erat, & ex quinque agri partibus advertit duas fuisse mulierum, cùm & multæ fuerint *Epicleri*, Parentibus nempe orbatæ, adeoque integræ sortis hæredes, & cùm dotes essent nimis magnæ, potestas erat *Epicleros* collocandi, quibus vellent.

Reges autem binos esse permisit, ut iis perpetuò dissentientibus nîl moliri adversùs eam Reipublicæ formam facilè possent; unde Plato de LL. 3.: *Deus*, inquit, *opinor aliquis de vobis curam gerens, futuro providens, geminam vobis Regum progeniem ex una stirpe producens, ad moderationem eorum potestatem retraxit*; eos autem perpetuò ex *Heraclidarum* Familia accipere Spartanos jussit, quanquam Regni hoc genus, quo Reges à stirpe quæruntur, barbaricum nuncupaverit Aristoteles; Sed illi in bellis Prætores potiùs erant perpetui, quàm Reges; nec enim alia potestas erat, nisi in bello, & re Divina, cùm nec vitæ, & necis potestas penes eos esset, & illi judicio se sistere deberent, ùt infrà, eratque certa succedendi ratio; nam, ùt Justinus inquit, *primus in eo Regno habebatur, qui maximus natu esset ex liberis ejus, qui regnans decessisset.* Sin is virilem Sexum non reliquisset, tunc deligebatur, qui proximus esset propinquitate, nec penè personas egrediebantur, unde filii etiam Patribus exilio, & capite mulctatis succedebant; Sed Reges oportebat integro corpore esse; unde à Plutarcho Oraculum refertur à Diophyte Vate prolatum in Agesilao: *Diophytes* (sunt ejus verba) *erat Spartæ Vir fatidicus, habebaturque in rebus Divinis sapiens, & doctus. Hic nefas esse ostendit regnare quemquam Lacedæmone claudum*, atque Oraculum in judicio hoc recitavit, ità latinè versum:

Tu quamvìs animo tumeas, ò Sparta superbo:
Te rectam pedibus prorsus circumspice: claudum
Nè lædat Regnum. Longi te namque labores,
Et subiti cingent, Martisque agitaberis undis.

Hoc verò, & quia Sacra illis obeunda erant perplurima, & quia bella gerere debebant, moribus receptum erat.

Licèt autem, qui proximi destinabantur, non ùt cæteri, severâ educationis Lege tenerentur, speciali tamen curà ad justitiam, fortitudinem, cæterasque virtutes, constantiam præcipuè, turpisque

que famæ metum, atque laborum tolerantiam à prima etiam ætate animos eorum formare mos erat. Tutela quoque, & Regni administratio proximiori deferebatur Agnato, ùt nunc apud Gallos, & quidem illud profectò est Regnum optimum, ubi succedendi jure certus semper hæres; quare in Gallia Reges nunquam mori affirmatur, quidquid tradiderit Aristoteles suprà relatus, qui præter Græcorum mores, atque ingenia cunctos Populos Barbarorum nuncupatione designabat, cùm nulla tamen fermè Gens fuerit, quæ melioribus non gauderet institutis; nam Græci nunc crassioribus superstitionibus acti, nunc ineptis Legibus, semperque inter se discordes, & parùm fidem colere, & Deos negligere, & Philosophorum Sectis tot opinionum monstra, atque vel in ipsa historia mendacia proferre visi sunt; & nec Respublicæ, quascunque cautiones adhibuerint, diù stare potuerunt; Civesque nunc patriam oppresserè, Tyrannidem exercercentes, nunc arma hostium advocârunt; & quis profectò, si quotquot fuerunt Græcorum Respublicæ, ipsorumque Sapientum Leges, cùm unâ duntaxat Romanorum Civitate, prout à Romulo, qui nec sapientiæ Græcorum addictus, nec eâ curâ, subtilitatibusque educatus, primùm instituta fuit, comparare voluerit, haud agnoscet, fuisse ipso duntaxat Naturæ lumine meliùs, solidiùsque jactata fundamenta, super quibus eundem sequentes ordinem cæteri Reges adeò ædificium prosequi potuêre, ut vel orbem ipsum complexum diceres? nec Romulum à Græcorum fontibus artem hausisse condendæ Civitatis, proderit objicere; cùm impuritatem, erroresque agnovisse, eosque repurgare scivisse reponatur: Sed erant Hetrusci, Princeps tunc Italiæ Populus, quos Romulus imitari potiùs, quàm Græcos voluit; unde e Diis bene sentire docuit, eorumque fabulas omninò rejecit; hinc optimè Barclajus: Discrepare à disciplinis cæteris eam, quæ in regenda hominum societate posita est, cæterisque omnibus, quæcunque in rebus humanis sunt, antecellit, eamque sapientiam non græcè tantùm, aut latinè, sed potiùs arcano impetu, & omnium linguarum, sermonumque conscio Alumnis suis loqui consuevisse affirmavit: *parùm*, inquiens, *est*, *præstanti ingenio nasci*, *si nihil est aliud*, *quàm aptum ingenium ad Accademicæ Eruditionis industriam esse sortitum*; & ità fermè Græci erant; unde Lycurgum intuemur tot institutis usum, ut exuere mores, animosque formare ad finem Civitatis Lacones suos adegisset.

Re-

Regum autem honori tributum, ut initia facerent agendorum, Principemque semper tenerent locum, cæterique Magistratus iis assurgere deberent; Sed institutis posteà *Ephoris*, nec eum honorem deferre Regibus consuevêre. Latior autem, ùt par erat, ager Regibus assignatus, & in Conviviis duplex erat Regis portio, atque è Sacrificiis partem aliquam sibi sumebant, cedebatque ipsis è quolibet Scropharum partu *porcellus* unus; ædes autem publicæ erant, ùt & Tabernacula tum ad Convivia, tum ad usus alios. *Sacra* autem ipsi obibant quasi Sacerdotes, & quidem Herodoto teste, duo erant peculiaria Regum Sacerdotia, Jovis nempe Lacedæmonii, & Jovis Cœlestis, advertitque Xenophon *Sacris universis* pro Salute Reipublicæ Reges operatos. *Proxenos* autem, quorum cura hospites excipere, & *Pytios*, quos semper habebant contubernales, ut prompti essent ad Oracula consulenda, Reges ipsi designabant. Bina suffragia in Senatu habebant: Orbarum Virginum Causas ipsi cognoscebant, interque contendentes Procos sententiam ferebant; adoptionesque coram Rege alterutro fieri oportebat: vias quoque publicas curabant: Legatis ipsis respondebant, ùt è Republica erat. *De Regibus Lacedæmoniorum.*

Sed judicia de Regibus constituebantur; atque à Judicibus absolvi aut damnari videbantur; provocare tamen ad Populum fas erat. Quare in pluribus Venetiarum Duces Spartanis Regibus similes videntur, undè Aristoteles: *In Laconum Republica Regnum*, ait, *videtur esse maximè Legibus adstrictum.* In bellis autem potestas erat maxima; solus namque Rex eam explicabat in omnes, licèt consiliis & operâ cùm Equitum Præfecti tum Polemarchorum, aliorumque, qui ducebant Ordines, uti teneretur; bellum autem gerere, aut pacem inire injussu Civitatis nequibat; nulla igitur Majestatis jura Lacedæmoniorum Regibus adhærebant, domique nec quidem nimiis honoribus fruebantur; undè Xenophon: *honores*, inquit, *qui domi Regibus deferuntur, non multùm superant privatos.* Mortuos autem tanquam Heroas colebant, ùt ex Herodoto atque aliis videre est.

Adjunxit autem Regibus *Senatum*, & ùt ei parere Religio esset, *Rethram* quoque Oraculi proposuit, quò jubebatur Senatum constituere, & penes eum summa potestas esse videbatur; nam ante Ephoros ex ejus Sententia cum Regibus omnia administrata fuisse liquet, nec rationibus reddendis obnoxius, & totâ vitâ dignitas ea retinebatur; hinc Plato 3tio de Legib: *præter hæc*, inquit, *Natura ad-* *De Senatu.*

huc humana, divinâ vi mixta perſpiciens Imperium vel Regnum veſtrum ſuppuratione tumidum, conjungit adhuc Senum moderatam potentiam cum iis, qui inſolenter ſibi vindicabant poteſtatem propter genus. Et Plutarchus in Lycurgo: *Cùm ſublata*, inquit, *quaſi in altum penderet Reſpublica, & inclinaret nunc ad Reges, ut in Tyrannidem evaderet; nunc ad multitudinem, ut plebis Dominatio exiſteret, Senum poteſtas quaſi munimentum in medio interjectum, & æquilibrium utrinque ſervans, tutiſſimum ſtatum & conſtitutionem præſtitit*, 28. *Senibus ſe Regibus jungentibus, cùm plebis Dominationi neceſſe erat contravenire; ac viciſſim, nè Tyrannis exiſteret, Populum corroborantibus.*

Fuerunt igitur numerô 28. qui ipſimet Lycurgo in conſtituenda Republica adjutores priùs extiterant; undè Plutarchus: *Senes*, inquit, *ipſi, ùt dictum eſt, primùm, qui Conſilii fuerunt participes, deſignavit: Deinde in locum demortui ſuffici juſſit eum, Virtute qui eſſet præſtantiſſimus judicatus*, 60. *annis major.* Hinc Candidati judicium populi ſubire tenebantur, probari nempe à Populo in Concione oportebat. Quare anteactæ Vitæ imaginem ſpectabant univerſi, & ex eâ Senatorio munere dignum indignumvè per ſuffragia judicabant; cùm enim ea dignitas ſumma poſt Reges eſſet, velut laborum præmium Senibus propoſita erat, junioribus verò incitamentum ad vitam juxta leges inſtituendam, ut, dum legitima ætas pateretur, ad eam obtinendam Viam ſibi pararent. Sed ætatem & eligendi modum jure optimô carpſit Ariſtoteles, ut & illud, quòd immunes eſſent reddendarum rationum; ſeneſcit enim cum ipſo Corpore animus, & nedum volentes petenteſque, ſed nolentes, modò Reipublicæ expediat, Magiſtratum capere, admoveri, atque à ſumma Poteſtate cogi neceſſe eſt. Senatus autem erat ſimul cum Regibus Concionem convocare atque dimittere; Et quidem gravioribus de cauſis, ùt de bello indicendo, paceque ſancienda, Legibus ferendis, Magiſtratibus creandis, &c. majora celebrari Comitia videbantur, cùm Lacedæmonii etiam cæterarum Urbium convenirent in Campo ad amnem Nacionem, licèt poſteà aliis etiam in locis fuerint celebrata; minora verò, cùm tantùm Spartiatæ conveniebant, ut ſimul cum Magiſtratibus de rebus incidentibus deliberarent; hinc Xenophon lib. 3. Hellenicon: *detectâ ſervili Conjuratione Ephori*, inquit, *quòd convocare minorem Concionem dictam non potuerint, ſed collectis Senibus hinc indè conſultârint &c.*; adeoque antè Ephoros, cùm penès illud Senum Collegium, cui ex ætate atque Virtute duntaxat patebat aditus,

De Concione.

tus, potestas esset Comitia celebrandi atque dimittendi, quænam fuerit Reipublicæ Laconicæ forma juxtà Lycurgi institutionem patet; mixta nempe ex triplici illo statu, ità tamen ut Aristocratia magìs prævaleret, adeoque regimen eidem formæ respondere videbatur; nec enim penès Optimates simpliciter erat summa Potestas, cùm præcipuè ubi jura Majestatis explicari necesse erat, Conventus oportebat celebrari, & senum electio fiebat à Populo; Collecto enim hunc ad finem, aliquot delecti viri velut abditi manebant in propinqua domo, dumque Candidati per Concionem singuli & taciti deducebantur, in tabellis annotabant, cui à Populo frequentiùs fuisset acclamatum, atque ille Senator renunciabatur; tunc verò coronatus templum adibat, comitatus mulierum atque puerorum Choris laudes ejus canentibus. Præterea sinè Senatûs decreto nil à Populo jubebatur; Hinc Reges, Senatus & Populus harmonico nexu Corpus Reipublicæ conflabant, & Caput Senatus erat, qui domi plus poterat quàm Reges; nam illi præter bina suffragia honores habebant, & nomen potestate Vacuum.

Igitur Respublica erat ex Aristocratiæ atque Democratiæ Cynno resultans, & quò magìs aut unam aut aliam nuncupârunt, eò perfectam mistionem designabant: *Manifestum namque est*, ut Aristotelis verbis utar, *id contingere iis, qui dicunt, propterea, quòd perfecta est mistio, accidit etiam idem medio, quoniam utrumque extremorum apparet in ipso.* *De mixta Civitatis forma.*

At Bodinus rerum novandarum studiô flagrans cùm formarum mistionem non agnovisset, licèt imprudens aliquando fateatur, statum Lacedæmoniorum à Lycurgo constitutum popularem absolutè fateri videtur, eumque ità perdurâsse ad Theopompum, ac Polydorum Reges usque, à quibus *Ephori* constituti, quo tempore Conversionem secutam atque in Optimatum Potestatem Rempublicam incidisse contendit. Quare antequàm Judicium de mutatione illâ feramus, ipsummet *Ephororum* Magìstratum investigare tenemur. Ac licèt Herodotus Lycurgo, Xenophon verò Senatui quoque ejus Magistratûs institutionem referre videantur, retentâ tamen Aristotelis, Plutarchi, aliorumque sententiâ, Theopompum fatemur centesimo trigesimo anno post Lycurgum *Ephoros* instituisse, ut Reipublicæ partes meliùs aptaret, atque ut plebs acquiesceret, cùm eô Magistratu particeps Imperii fieret, sive ut essent absentium Regum Vicarii; & quidem maximum illum fuisse Magistratum, atque paulatim omnem

Reipublicæ poteſtatem adeptum , conſtat ; nam cæteri Magiſtratus & Reges quoque iis cedere videbantur , & penè cuncta Reipublicæ negotia domi adminiſtrabant: Concionem convocabant, dimittebantque: bellum pacemque ſciſcebant: fœdera percutiebant, irritaque decernebant; ſed & ærarium in eorum erat poteſtate, & à Magiſtratibus omnibus rationes exigebant, adeò ut Reges ipſi coram iis ſe ſiſtere deberent, & eos in carcerem conjicere, Imperio exuere, Capite quoque mulctare poterant; adeoque tyrannicam in Republica poteſtatem præſeferre videbantur ; ſed & anno duntaxat finiebatur, & cùm quinque eſſent, ſinguli nihil poterant. Collegium enim duntaxat, quod plurimum ſuffragiis placebat, jubendi habebat poteſtatem. Quare ſicut primâ eorum Creatione moderatam poteſtatem inſtar Tribunorum, ut Plebs quieſceret, obtinuiſſe cum Ariſtotele fatemur; ità procedentibus temporibus, ut iidem Tribuni fecerunt , cuncta ad ſe traxiſſe viſi ſunt; & ſi Cleomeni apud Plutarchum fides habenda erit, Aſteropus primus Ephororum fuit, qui ei Collegio poteſtatem peperit ; Et nè Religione quoque muniri omitteretur, Sacra Palladis ipſi curabant, & Vates videri cupiebant ; nam ùt Cicero inquit 1. de Divinat: *non contenti vigilantibus curis, in Phaſiphes fano, quod eſt in agro propter Urbem ſomniandi causâ incubabant, quia vera quietis Oracula ducebant.* Sed & de Cœlo ſervabant , & in perniciem Regum eâ occaſione ſubdolè graſſari conſueverunt. Utar Plutarchi verbis in vita Agidis : *nonô quoque annô*, inquit, *captatâ Ephori ſerenâ nocte, & in trimeſtri luna conſident ſilentiô in Cœlum intenti. Quòd ſi aliqua ex parte ſtella in aliam trajecerit, Reges judicant Deos offendiſſe, iisque Regnum eò usque abrogant, dum fuerit Delphis vel Olympia Oraculum allatum, quòd damnatos ſublevet Reges.* Quare ritè eos taxavit Iſocrates, dum Ephoris ſcripſit : *licet indictâ causâ tot occidere, quot libitum eſt.* Ratio quoque temporum , ut ab iis penderet, uſurpârunt, nam & anni initium erat Brumæ tempus, quò illi Magiſtratum inibant, & faſtos ſuos, annorumque ſeriem ab Ephoro, qui Collegio præerat, denominabant. Hinc Pauſanias ut unô verbô rem abſolveret : *omnia* inquit , *adminiſtrabant, in quibus aliquid momenti ſitum erat.* Manſitque Ephoria ſeu Dominatio illa paucorum ad Cleomenem usque, ſub quo Rege ingens rerum Converſio ſecuta eſt, & Ephori interfecti.

Cùm igitur Lycurgi ætate popularem fuiſſe ſtatum Bodinus tueatur, nilque Senatûm & Reges curet, quoniam cuncta Majeſtatis

tis jura (hoc namque eſt unicum ejus fundamentum quô exultat, quôque miſtionem ipſam excludit) in Concione Populi explicari videbantur, cùm & Legumlatio in Concione fieret, & Magiſtratuum Creatio: bella quoque indicerentur: pax ſanciretur: fœdera percuti aut irrita fieri viderentur, &c. atque à Theopompi temporibus propter Ephoriam Optimatum evaſiſſe contendat: *ex eo enim,* ſcripſit, *popularis Imperii Converſio ſecuta eſt in optimates, quoniam Populo nihil relictum eſt in Imperio loci : hoc tantùm quòd unô ex Optimatibus mortuô, cùm Candidati præterirent, ut quisque gratiſſimus erat, ſic majores plauſus ferebat , dum arbitri, qui ſub tecto latebant, eum, qui plauſu majore exceptus eſſet, Senatorem renunciabant : ſed nullæ tabellæ, nulla ſuffragia, nulla denique ratio Comitiorum. Ephoros quinque annuâ poteſtate creabant Optimates, qui Magiſtratus omnium maximus erat ; nam Regibus Cives omnes præter Ephoros, Reges Ephoris aſſurgebant. Iidem Ephori Cives ac Reges ipſos arbitratu ſuô mulctabant , & omnium judiciorum præterquàm Capitalium jus habebont , ùt eſt apud Xenophontem ; Quin etiam Rex Agis in Carcerem ab illis conjectus , & ſupplicio affectus eſt, &c.* Libet paucis Bodinum ipſum interrogare, ut nodum, quo ſe involvit, ipſe ſolus extricet.

Quæſo igitur Bodine, docere nè dedigneris, num, quæ Ephororum poteſtas fuit, antequàm conſtituerentur, penès Senatum erat, litèt Ephori plura uſurpârint ? an verò Senatûs nullæ niſi duntaxat in conſulendo partes ? An Ephoris conſtitutis Concio nulla Populi fuit ? & an non eadem Majeſtatis jura Populus in ea explicaret? an verò uſurpatâ Poteſtate Ephori erunt Optimates ? Cur ergo Bodine Tribunis plebis illos comparâſti ? Cur, ut plebs ipſa quieſceret, & pars eſſent Magiſtratûs inſtitutos ex Plutarcho , Ariſtotele, cæteriſque Authoribus uno fermè ore negare non audes ? Ergò plebejus Magiſtratus eô duntaxat fine inſtitutus, ut veluti nervus eſſet, quô plebs cum Senatu jungeretur, Optimatum conſtituit ſtatum ? Ergò dum Populi nomine uſurpat univerſa, Senatumque ipſum & Reges vacuà poteſtate nomina efficit, Ephoria dicetur Optimatum Regimen ? Audio quidem Bodine, quod reponis, habere nempe tuæ ſententiæ magnos Authores Thucididem, Xenophontem , Ariſtotelem, & Plutarchum, qui unô conſenſu tradunt, Athenienſes cum Lacedæmoniis annos amplius triginta graviſſima bella geſſiſſe, ut alteri populares, alteri Optimatum ſtatus in tota Græcia ſtabilirent ; *nam Victis Athenienſibus Lacedæmonii ſtatum popularem everterunt ; Optimates*

mates triginta, qui Tyranni ſunt appellati, ſummo Imperio præfecerunt, id quod apertiùs Demoſthenes in Orat. contra Leptinem ſcribit, Senatores rerum Dominos eſſe in Republica Lacedæmoniorum: Populum verò apud Athenienſes; quare æquius erat ut Polybius, Dionyſius, Contarenus, Macchiavellus, tot ac tam multos Scriptores ac tantæ Authoritatis priùs coarguerent, quàm Lacedæmoniorum ſtatum ex Optimatibus eſſe negarent. Rectè igitur Ariſtoteles tres omninò Reipublicæ ſtatus laudabiles poſuit, ac totidem vitioſos, qui tamen plures tribus eſſe nequeunt, ùt anteà dixi; cùm nihil referat, quoties de ſtatu quæritur probi an improbi ſint, qui Imperio præſunt: neq; enim minùs Civis eſt Vir ſceleratus, quàm bonus, & optimus quiſque Vir peſſimus Civis eſt, quia ſolitudinem quærens totus in Cælum contemplatione fertur.

Sed vide, nè dum quæris effugium, impliceris adeò, ut nec ſpes ſuperſit? quæ namque tua eſt excogitatio Bodine, ſtatum Lacedæmoniorum Optimatum eſſe, quoniam bellum geſsêre, ut idem Optimatum regimen in tota Græcia ſtabilirent? an adeò Populorum Charitate movebantur Lacedæmonii, ut præ illorum commodis, ut nempe perfectiori ſtatu moderarentur, arma ſuſcipere, diuturnaque bella cum ſua pernicie ſuſtinere voluiſſent? an poſteà dum poteſtas erat, effecerunt? & Optimates erant triginta illi Tyranni abſolutâ poteſtate Athenienſium Cervicibus impoſiti, ut cædes proſcriptionesque velut in Commercium revocarent? Cur igitur Iſocrates in Panathenaico de ſubjectis Civitatibus: *Lacedæmonii,* inquit, *conſtituerunt Reſpublicas, neque ſuæ, neque aliorum Rebus publicis ſimiles.* Quid autem tibi prodeſt, Bodine, Demoſthenem allegare? quin potiùs ſi Senatores rerum Domini erant ex Lege, Ephoros non fuiſſe, niſì uſurpatâ Senatûs Poteſtate, ſequitur. Igitur ante Ephoros ex ipſiſmet verbis tuis nec ſtatus erat popularis, quoniam Senatores erant rerum Domini. Cur autem Ariſtotelem laudas, quoniam tres agnovit rectas Rerumpublicarum formas, totidemque vitioſas, ſi ſubdis poſteà, nihil referre probos eſſe an improbos, qui Imperio præſunt, & optimum quemque Virum peſſimum Civem eſſe? Undè & quidem clariùs alibi, ſtatus Civitatum ex numero definire voluiſti; quaſi verò & Ariſtoteles tecum in omnibus ſentiret, & non ex Virtute aut vitio Ordinis diverſitatem ſtatueret, atque ex triplici illa forma Cynnò quodam temperata perfectam miſtionem haud reſultare doceret. Audi igitur Ariſtotelis verba lib. 4. cap. 9. ſi te effugêre: *videtur autem,* inquit, *Ariſtocratia quidem maximè eſſe, ſi honores ex virtute mandentur, Ariſtocratiæ namque finis eſt Virtus:*

Virtus : Oligarchiæ verò Divitiæ, Populi libertas. Hoc autem, quod pluribus probatum fuit, in omnibus reperitur. Nam & in Oligarchia, & in Democratia & in Populis, quod majori eorum, qui Reipublicæ ſunt participes, parti viſum fuerit, hoc eſt ratum. In plerisque igitur Civitatibus Reipublicæ genus uſurpatur. Nam divitum & pauperum Cynnus, ſeu permixtio ſola ad Divitias & libertatem ſpectat. Nam apud plerosque ferè Divites præſtantium Virorum locum tenere videntur. Quia autem tria ſunt, quæ de æquitate Reipublicæ certent, Libertas, Divitiæ, Virtus (quartum namque quod vocant Nobilitatem duobus conſequitur ; Nobilitas namque eſt diuturna divitiarum poſſeſſio & Virtus) perſpicuum eſt duorum quidem Cynnum Divitum & pauperum Rempublicam eſſe dicendam : Trium verò, Ariſtocratiam, ex aliis verò præter veram & primam maximè. Eſſe igitur (attende Bodine) *& alia Reipublicæ genera præter & Monarchiam, & Democratiam & Oligarchiam explicatum eſt.* Sed nè tædeat ulteriùs Ariſtotelem de Lacedæmoniorum Republica loquentem auſcultare, poſtquàm enim enumerâſſe te non latet varios miſtionum modos, perfectamque indicâſſet pergit : *id quòd in Lacedæmoniorum Republica uſuvenit. Nam multi de ea, ùt de Democratia explicare ſunt conati, eò quòd multa Democratiæ propria habeat deſcriptio, ùt primò in alendis pueris : eodem namque modô Divitum, quô pauperum aluntur, atque eodem inſtruuntur modo, quo poſſint & pauperum liberi. Item & in proxima ætate & ubi Viri ſint facti eôdem modô. Nullâ namque re dives à paupere internoſcitur, &c. . . . . Prætereà eò quòd duo maxima Imperia* (Senatus nempe atque Ephoria) *a terum quidem mandetur à Populo, alterum verò participetur. Nam ſenes conſtituunt quidem, Ephoriæ verò ſunt participes. Alii verò Oligarchiam eò, quòd multa habeat Oligarchiæ propria, ut quia Imperia omnia ſuffragiis mandentur, & nulla ſortitò ; & quia pauci habeant jus Vitæ & Necis, & quia alia id genus multa.*

Abſurdiſſimum autem, optimos Viros, aſſerere, peſſimos eſſe Cives, & improbos nullâ re à probis diſcriminari. Reminiſcimur quidem alibi tradidiſſe, in Republica ſi dari poſſet optima, eandem eſſe boni Viri, & boni Civis virtutem, in aliis verò poſſe bonum Civem eſſe, qui non ſit adeò bonus Vir ; At Bodinus virtutem Civis cum ea boni Viri confundit, atque omnia miſcet, vultque Optimates eſſe triginta illos nedum ſceleſtos Viros, ſed ſceleſtiſſimos adeò Cives, ut tyrannidem exercuerint omnium peſſimam. Agnoſcimus igitur, nè his diutiùs hæreamus, miſtum quoque ſtatum Lacedæmoniorum ſub Ephoris manſiſſe, ſed paulatim vergere cœpit

in

in paucorum Dominationem, ac propterea corrumpi, quod ex ipsa temporum ratione, quam sequemur, palàm fiet.

De cæteris Lycurgi Institutis.

Redeuntes igitur ad instituta Lycurgi, miranda sanè, atque suprà hominum fidem: Is postquàm populum distribuit, Senatum constituit & Reges, agros ex æquo partitus est, præscriptis Senatûs, Regum, ac Populi officiis, jus cæterum constituere Civitatis aggressus, ab educatione puerorum primò incepit, & Magistratus constituit, qui pueris instituendis, regendisque publico officio præessent, *Pedonomi* nuncupati, adeoque statim post septimum ætatis annum non apud mercenarios Pedagogos, nec Parentum voluntate, sed curâ publicâ instituebantur; fiebat igitur distributio in Classes, & unicuique Classi is qui robore, atque prudentiâ præstaret, præficiebatur, & ei in cunctis exercitiis parere cæteri tenebantur; universis autem unus præficiebatur, cui suberant cæteri ex ipsis pueris provectioribus lecti, penesque eum potestas erat, negligentiùs viventes graviter animadvertendi; quare adjunctos semper quosdam Ephæbos habebat flagella gestantes, ut prompti essent ad ejus nutum flagris cedere, aut aliàs pueros coërcere; Cùm autem Pedonomus aberat, eam potestatem illico nactus intelligebatur quicunque è Civibus præsens esset, ut nunquam sinè Magistratûs præsentia eos vixisse diceres, absentibus namque Civibus Imperium exercebat Pedonomus ille minor suæ Classi Præfectus; unde Xenophon cujuslibet alæ acerrimum quemque *Iranum* imperare scripsit, isque illos exercebat, ùt institutum erat; vigilare igitur docebantur, insidias tendere, laborem, frigus, famem juxta pati; nocturnis autem fraudibus adeò assuefieri Lycurgus voluit, ut furtis darent operam, & nisi depræhensi, laudem potiùs quàm pœnam mererentur; idemque ille ingenia modis aliis exercebat; discumbentes namque nunc canere jubebat, nunc quæstiones proponebat, atque Ænigmata, & ut proponendo, respondendoque vicissim ingenia acuerent, curabat; hinc tot Laconica Apophthegmata Plutarchus exhibet; Ipse autem Pedonomus præsentibus Civibus in delinquentes animadvertebat, ac licèt nunquam eum turbarent, si tamen præterquàm par esset, se gessisse animadvertebant, remotâ turmâ pœnas ipse subire tenebatur. Seniores autem præfecti perpetuò erant; adeoque si peccantes pueros corripere neglexissent, easdem pendere pœnas, quas illi commeruerant, videbantur. Id quoque statutum erat, *ut puer ab aliquo punitus* (verbis Plutarchi utor) *si id Patri renunciâsset,*

turpe

turpe huic erat, ubi audivisset, non alia verbera illi infligere. Sic enim mutuo fidem habebant, ex patria disciplina nihil turpe liberis suis imperatum fuisse; *Literas autem* (Plutarchus loquitur) *quàntum usus poscebat, discebant*; Sed quod ad reliquas disciplinas attinebat, earum peregrinos etiam Doctores expellebant; quare Isocrates, *Isti*, inquit, *à communi institutione, & Philosophia tam sunt alieni, ut nè quidem literas discant*, cùm tamen Lacedæmonii factis potiùs virtutem explicarent, quàm inanibus Philosophiæ subtilitatibus, præceptisque, unde meritò Oratori Atheniensi Lacones ùt indoctos taxanti Plistonax reposuit: *sanè quidem, soli enim Græcorum nihil mali nos à vobis didicimus*; hinc Poëtas oderant adeò, ut nisi à Magistratu probati essent, Urbe expellerentur, quos imitatus Plato & in suam Rempublicam institutum retulit, unde Plutarchus: *Archilogum*, inquit, *Poëtam cùm Spartam venisset, eà ipsâ horâ expulerunt, quòd eum in Carmine quodam scripsisse intellexissent: satiùs esse abjicere arma, quàm mori*; procedentibus tamen temporibus tolerari visi sunt, quare Maximus Tyrius Orat. 7. *Mitto*, inquit, *dicere, reperiri apud hominum genus Respublicas, quas non Oratio vincit, sed actio ipsa protulit, ipsæque multæ, ac rectè constitutæ, & secundùm Leges habitatæ, quæ ignorant tamen Homerum. Serò enim Sparta Poëticen exercuit, serò item Creta, serò id Doricum genus, quod degit in Lydia.*

Fortiùs verò Comœdos, vel Tragœdos; quare Plutarchus: *Comœdias*, inquit, *& Tragœdias non audiebant Spartani, ut neque seriò, neque joco eos, qui Legibus contradicerent, audirent.* Sed nec Oratores in pretio habiti, magisque spreti Rhetores, & propterea Plutarchus: *Imbuebant*, inquit, *pueros, ut Oratione uterentur, quæ acrimoniam haberet mistam venustate, & multum sensûs paucis verbis comprehenderet*; hinc Cicero in Bruto: *Hoc autem studium*, inquit, *non erat commune Græciæ, sed proprium Athenarum. Quis enim aut Archivum Oratorem, aut Coryntbium, aut Thebanum fuisse scit temporibus istis? nisi de Epaminonda docto homine suspicari licet. Lacedæmonium autem usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem.* Hinc Legatis Samæorum longo sermone utentibus, ut bellum Polycrati Tyranno Cleomenes inferret: *eorum*, respondit, *quæ dixistis, prima non memini, ideoque nè media quidem intelligo: ultima verò mihi non probantur.* Sed & ab instituto paulatim recedere cœperunt; unde cùm Thebanos prolixè criminarentur, ità reposuit Epaminondas: *Docuerunt vos Thebani longâ Oratione uti, & breviloquentiæ finem imponere.*

De Lacedæmoniorum Exercitationibus.

Ergo certaminibus, laboribusque corporis præcipuè exercebantur adeò, ut vita etiam castrensis demissio videretur, & quies; nec enim ante trigesimum annum virilia obire munia dabatur, & primum, quod Platanista nuncupârunt, ex loco proceris, densisque platanis obsito velut atrox pugna erat; nam Ephebi in duo diversa agmina distributi, utraque sub Duce suo noctu coibant in Ephebeum suburbanum, atque ibi ambo Canem mactabant ad aram, duosque infestos Apros inter se committi curabant, & à victore omen suscipiebant, quibus peractis quieti se dabant; postridie verò paulò ante meridiem in campum descendebant, qui velut Insula Euripo circumdatus erat, adeoque per pontes aditus patebat, & sortitò jam anteà designati erant; tunc verò certamen committebatur, primùmque vir viro congredi cernebatur, posteà verò totis agminibus fiebat impetus, eoque animorum ardore, ut nedum calcibus, pugnis, dentibus, unguibusque se impeterent, sed in Euripum ipsum præcipites se agere, & membra mutilare, atque oculos eruere niterentur, exanimarique potiùs, quàm victos se fateri vellent; unde Cicero Tuscul. 5. *Adolescentium*, inquit, *greges Lacedæmone vidimus ipsi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique, ut exanimarentur, priusquàm se victos paterentur*; Cùm verò laborem ampliùs tolerare nequirent, resumptis paululum ex quiete spiritibus, aliud incipiebant exercitii genus, saltabant namque ad numeros musicos præcinente Tibicine, itàque iras ex certamine deponebant, & illa quidem ad exercitationem militarem Quintiliano inter alios teste comparata erat, inquit enim lib. 1. cap. 18. Instit. Orat. *Lacedæmonios quidem etiam saltationem tanquàm ad bella utilem habuisse inter exercitationes accepimus, nam & aliis quoque temporibus Choreas pueri simul & Virgines saltare consueverant*; quare Plutarchus: *Remotis*, inquit, *deliciis umbratili vitâ, mollitiâque omni fœmineâ assuevit juxta puellas, atque adultos nudos in publico versari, certisque solemnibus saltare, & cantare spectantibus, atque assistentibus juvenibus*; interque alias saltationum species Bibasis erat, pro qua utrisque præmia statuebantur, oportebatque in ea exilire, & nates pedibus contingere, atque ita numerabantur saltus. Sed saltationum species enumerare, cùm apud Lucianum, cæterosque fusè describantur, inane ducimus. Præter autem solemne illud certamen, nec sinebant, quotiescunque sibi obviarent, pugnare invicem, quam tamen pugnam quilibet poterat dirimere, unde Xenophon: *Pugillatu,*

gillatu,

„ *gillatu*, inquit, *inter se ex æmulatiane contendunt.* Dirimere autem pu-
„ gnantes cujusvis est in potestate, qui intervenit. Quod si quis di-
„ rimenti non obtemperet, eum Pedonomus ad Ephoros adducit, à
„ quibus ille mulctatur graviter: quod velint prorsùs, nè quis ab
„ ira superatus præpediatur, quò minùs Legibus pareat.

Venationi autem præcipuè incumbere Lycurgus jussit, quem in usum Canes præstantissimos ali, eosque communes omnibus esse voluit, poterantque equos quorumcunque in agris usurpare; lucta præterea, cursu, natando, jaciendoque disco, & obeundis festivitatibus ætatem illam exercebant, quæ simul cum puellis peragebant; eas namque pariter fermé educari præscripserat, ut dum adultæ essent, Virisque traderentur, prolem ederent firmiorem; hinc præter alia gelido etiam flumine lavari tenebantur, & publicis quoque Exercitiis incumbebant; nec tantùm saltare, certareque cursu, sed luctari quoque, discorumque, & jaculorum jactu contendere; unde Propertius:

Multa tuæ, Sparta, miramur jura Palestræ,
Sed magè Virginei tot bona Gymnasii:
Quòd non infames exercet corpore laudes
Inter luctantes nuda Puella Viros;
Cùm Pila veloces fundit per brachia jactus,
Increpat, & versi clavis adunca Trochi,
Pulverulentaque ad extremas stat fæmina metas,
Et patitur dura vulnera Pancratio.
Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat.

Et Claudianus:

Spartanis potuit robur præstare Lycurgus,
Matribus & Sexum Leges vicêre severæ.

Hinc Lycurgus ejus instituti rationem poscenti respondit: *Ut eadem cum Viris exercentes studia, neque corporis viribus, & sanitate, neque animi contentione, & virtute iis cedant, multitudinisque opinionem de se despiciant*; quæ tamen in perniciem cedere Reipublicæ non intellexit, unde repræhensus meritò à Platone, atque Aristotele; cùm enim nec Viris cedere, nec parere didicissent, eò audaciæ provenêre, ut & imperare viderentur; licèt Lycurgum nonnulli excusent,

quòd propter continua bella, & Virorum abſentiam adeò ſuâ ætate corrupta mulierum licentia eſſet, ut nullo conſilio providere potuerit; quòdque bellicoſarum Gentium ea ſit natura, ut uxoribus pareant, quoniam & in Venerem proclives, & dum bellis diſtinentur, mulieres imperio arrepto liberiùs, licentiùsque agere nîl prohibet. Galli tamen licèt bellicoſi tantùm abfuit, ut uxoribus ſervierint, quin jus vitæ, & necis in eas velut in ſervos exercuiſſe Cæſar ſcripſerit lib. 6. de bello Gallico. Sed nec ipſamet elegantiſſima Ariſtotelis verba lubet præterire: (a) *Præterea mulierum licentia*, inquit, *& ad Reipublicæ conſilium, & ad Civitatis beatitudinem eſt inutilis. Ut enim domûs pars eſt Vir, & mulier; perſpicuum, oportere & Civitatem penè biſariam dividi, & in Virorum, & in mulierum multitudinem: adeò ut qua in Republica de mulieribus vitium ſit, arbitrari oporteat, Civitatis dimidium non rectè eſſe deſcriptum, quod ibi accidit; Nam Legum ſcriptor totam Civitatem volens eſſe laborum tolerantem, in Viris quidem cernitur talis; in mulieribus verò neglexit. Intemperanter namque vivunt in omni intemperantia, & luxuriosè, ut neceſſe ſit in tali Republica divitias eſſe in pretio: maximè ſi & uxoribus ſerviant, ut multæ Gentes militares & bellicoſæ præter Celtas, aut ſi qui alii quoque conſuetudinem cum maſculis apertè coluerunt. Videtur enim, qui primus fabulam confinxit, non abſque ratione Martem conjunxiſſe Veneri. Nam vel ad maſculorum conſuetudinem, vel ad mulierum tales omnes videntur proclives. Quare apud Lacedæmonios hoc fuit, multaque in eorum Imperio à mulieribus adminiſtrabantur. Atqui quid intereſt, mulieres nè imperent, an Magiſtratus mulieribus pareant? idem namque ſequitur. Audacia autem cum ad uſus Cotidianos non eſt utilis; ſed ſi fortè ad bellum, adhuc quoque Lacenæ fuerunt inutiliſſimæ. Specimen dederunt in Thebanorum incurſione. Nam utiles quidem nulla in re erant, ùt aliis in Civitatibus; tumultum verò faciebant majorem, quàm ipſi hoſtes.*

De ratione Victûs, atque Veſtitûs Lacedæmoniorum. Veſtis autem, Cibusque utriſque ſimplex. Virgines tamen in publico prodibant facie detectâ, veſteque ad genua tantùm demiſsâ; nuptarum verò facies tecta erat, & palla longior ad pedes defluebat; nec pauperum & divitum, Nobilium, ignobiliumque inceſſu diſcrimen aliquod; pueri autem tonſi cutetenùs & diſcalceati, atque ſinè tunica incedebant; atque etiam è pueritia egreſſi unô tantùm palliò per totum annum uti oportebat, nec balnea, nec unguenta adhibebant, & ſomnum turmatim diſtincti in thoris præ rudibus capiebant, Ephoriisque inſtitutis decimô quoque die etiam coram illis ſe ſiſte-

(a) *Lib. 2. Politic. cap. 7.*

ſe ſiſtebant ſinè Veſte, Cenſoriam notam de corporum habitudine ſubituri. Sed illud fidem ſuperare videtur, nisì Authores unô conſenſu tradidiſſent, quòd pueri ad Aram Dianæ ſtatô die quotannis acerbè adeò flagellis cædi deberent, ut ſanguine copiosè è membris effluente reſpergerent Aram, idque adeò tolerantiæ laude atque cupidine gloriæ ferebant, ut nec gemitum quidem edere, & ad mortem usque hilares atque geſtientes ſævos illos cruciatus ſuſtinere viderentur, erantque addeò inſtituti tenaces, ut qui liberis ſuis nolebant pati, jus ipſum Civitatis amitterent. Cauſa quidem, ùt plerumque, Superſtitio fuit, ùt Pauſanias indicavit, cùm enim Orthiæ Dianæ Signũ è Taurica allatum inter *Limnatas*, *Cynoſurenſes*, & qui ex *Meſoa* ac *Pythane* erant, dum ſacris operabantur jurgia, & rixas excitâſſet; adeò ut ad cædes converſi, plurimi ad Aram occubuiſſent, reliquosque ſubita vis morbi Numinis irâ abſumpſiſſet, ex Oraculo acceptum fuit non aliter placari *Numen* poſſe nisì Arâ ſanguine humano reſpersâ; hinc ſorte ducebatur immolandus; Lycurgus verò eum ritum ad puerorum flagellationem transtulit, quanquàm alii diverſa etiam fuiſſe initia tradiderint. Sed non eſt, cur his diutiùs immoremur.

De ritu flagellis cedendi pueros ad Arã Dianæ.

Amores autem puerorum longè aliâ quàm infandâ illâ Minois lege, amare nempe indolem, ſeu animum permiſit; hinc Maximus Tyrius: *amat*, inquit, *Vir Spartanus adoleſcentem, ſed amat tantùm, ut pulchram Statuam*; quare nullæ, ſi plures erant Amatores, inter eos iræ, additque rationem præfatus Author, dum: *multi*, inquit, *Spartæ unum, & unus multos diligit, cùm ea voluptas, quæ à laſcivia oritur, communicari invicem non poſſit: Amor, qui aſpectu initur, ſolus communicabilis eſt, ſeque ad univerſam, quæ amari poſſit naturam, effundit. Quid enim ipſo pulchrius Sole? at hunc tamen univerſi oculi diligunt.* Et Plutarchus: *Rivalium* ſcripſit, *æmulatio non erat, ſed potiùs, qui eosdem amabant, ex eo auſpicabantur mutuam Amicitiam, eoque incumbebant communi ſtudio, ut redderent quàm præſtantiſſimum eum, quem diligebant*; Et de mulieribus, ſcriptor idem: *mos*, inquit, *apud eos tam honeſtus amandi erat, ut etiam probatæ & egregiæ mulieres amarent Virgines*; hinc ſi quis amare aliter fuiſſet detectus, infamis per totam Vitam erat; imò Ælianus (*a*) aut ſolum vertendum, aut mortem illi ſubeundam affirmavit.

De Amoribus Spartanorum.

Ut autem Juvenes ab ebrietate averterent, mos erat ſervos inebriare; obſervantes namque illorum turpitudinem, ùt Xenophon inquit, conſequebantur, quòd ipſi non peccarent; probrum enim erat

De cæteris Lacedæmoniorum moribus.

(*a*) 3. *Variar. cap.* 12.

erat servili vitiô inquinari. Ad virtutem verò Spartanis Civibus necessariam eò magis acuebantur, quoniam ignavos in idem Contubernium admittere, vel in luctis cum iis exerceri nefas erat. Sordidas autem artes Cives attingere prosùs vetuit; Quòd autem cum iis artibus agriculturam etiam Lycurgus comprehendisset, quasi semper prælia essent admissuri, minimè probari potest; Quis enim in optimè constituta Republica negaverit, agricolationem præcipuè commendatam fuisse, semperque Agricolas, nedum meliores Cives, sed milites quoque exstitisse, cùm duntaxat, ut iisdem Xenophontis verbis utamur, *artes viles dictæ, quæ & sordidæ sunt, meritò in Civitatibus non magni fiunt. Etenim corpora eorum, qui eas exercent, & student, corrumpunt, dum sedere illos cogunt, & in umbra vivere, totosque dies ad ignem esse. Jam si Corpora effœminentur, etiam animi longè debiliores redduntur. Deinde Occupationes tantas habent, ut de amicis & Republica curam habere non sinant sordidæ artes, quô fit, ut homines ejusmodi nec Amicorum usui commodi sint, nec tueri patriam possint.*

De Legibus Connubialibus Spartanorum.

Nubere autem permisit maribus annô trigesimô, puellas verò vigesimô; ac licèt Lex fuerit, ut sinè dote nuptum dari debuissent, eam Legem vel non adeò rectè quoad singula Capita providisse, vel nusquam fuisse servatam, liquet ex Aristotele, quem suprà allegâsse reminiscimur. Quòd autem rapi deberent, id intelligimus, ut jam anteà pactæ ac sponsæ fuerint, licèt incertum, quô sensu Lycurgus acceperit. Undè Plutarchus: *Uxores*, inquit, *ducebant raptu non pusillas ac immaturas, sed adultas & maturas;* raptam verò à pronuba aliqua fuisse abductam, Caputque ejus circumtonsum ad cutem usque, & Virilibus indumentis in rudem thorum reclinatam, relictamque sinè lumine, ad eamque sic accessisse sponsum post Cœnam in Phiditiis è more sumptam latenter atque furtim, solutaque Zonâ in lectum genialem simul cum ea se conjecisse proditum est; nec diù moratus, clamque iterum egressus, Sodales adire tenebatur, ut somnum caperet. Hinc Plutarchus: *Sponsus*, inquit, *non vinô gravis, nec deliciis confectus, sed sobrius, cùm solito more in Phiditiis cœnatus esset, latenter ingressus, Sponsæ cingulum solvebat, eamque tollens in lecto transferebat. Nec longô tempore ibi commoratus, abibat modestè, dormiturus ubi solitus cum reliquis juvenibus.* Et paulò post: *deinceps idem faciebat maritus, ac transigebat cum Coëtaneis dies & noctes, ad sponsam pressè commeabat cum pudore & metu, nè quis ex familia perciperet unà machinante sponsâ, & opportunitatem suppeditante, quô in tempore insciis*

aliis

aliis congrederentur. Neque verò ad modicum temporis ità agebant, sed aliqui etiam liberos priùs tulerunt, quàm viserent uxores suas interdiù. Eò autem morem tendere Lycurgus affirmavit, ut validi Corporibus manerent, neque satietas incesseret, atque amor semper recens esset, ederetque validam prolem. Sed instituit quoque, ut Senex Vir cujuscunque Juvenis animum & Corpus admiratus esset, eum ad uxorem suam adducere poterat, ad suscipiendam sobolem; utar Plutarchi verbis: *postquàm* inquiens, *matrimonio imposuit Verecundiam, & temperantiam, vanam illam & muliebrem Zelotypiam, seu æmulationem abegit, honestum existimans, petulantiam & Confusionem omnem excludere, liberorum verò & procreationis communicationem concedere; improbans videlicet eos, qui hæc velut seclusa, & à communi usu abstracta, cædibus & bellis persequuntur. Nam Viro grandiori natu, cui florens ætate erat Conjux, si quem probrum & honestum charum haberet, probaretque, jus erat, eam huic jungere, & cùm impleta esset egregiô semine, sibi vindicare partum.*

Atque ut æqua esset etiam virilis Sexûs conditio, liberum erat *bono Viro* (verba sunt Plutarchi) *si qua ei casta mulier, quæ elegantes pueros ederet, cordi esset, agere cum Viro, persuadendo, ut cum ea congrederetur; atque ità frugiferum arvum conserere, & gignere liberos probos, qui proborum futuri Consanguinei & propinqui essent. Excipiebantur tamen Reges, Regumque liberi.* Hinc adulterium apud Lacedæmonios nullum erat; hinc Spartanus ille Geradas apud Plutarchum hospite quodam sciscitante, quæ esset pœna Spartanis in adulteros constituta? respondit: *Adulter, hospes, non invenitur apud nos.* Quo subjiciente, quòd si inventus sit? *Taurum*, inquit, *luit ingentem, qui Capite trajecto Taigetum bibat ex Eurota.* Obstupescente illo ac dicente: *quî existat bos tantus?* ridens Gerada: *quî* inquit, *adulter existat Lacedæmone?* Ut autem augendæ soboli vacarent universi, præterquàm quòd neminem Cœlibem esse voluit, statutis pœnis, ut & mediâ hyeme per forum circumduceretur, vestibus spoliatus, & eodem tempore probrum in se ipse caneret, quòd Legibus non paruisset, & gymnicis spectaculis arceretur, atque honore senibus debito privari deberet, privilegia addidit tres liberos procreantibus, ut immunes essent à Custodiæ munere: iis verò, qui quatuor, ab omnibus oneribus; quod posteà Romani etiam sanxêre. Uxores verò quodammodo æquales corpore debebant esse, undè Ephori Agidem mulctârunt propter uxorem, quam pusillam duxerat; permittebatur

tur autem ſorores uterinas accipere, non verò conſanguineas, ùt Athenis, ubi vetitum uterinas ducere; Inter aſcendentes verò, deſcendentesque omninò Conjugia prohibita, unâ tamen uxore debebant eſſe contenti.

De more exponendi Infantes

Illud quidem durum nimìs videbatur, quòd natos infantes, ſi non probâſſent ſeniores Tribules, exponerent ad montem Taigetam, atque ità barbarè mori ſinerent; Si autem nullum ab eis vitium deprehenſum eſſet, adeoque ſobolem vitâ dignam judicâſſent, parentes nutrire tenebantur more quodam peculiari, nempè ſinè ullis involucris aut faſciis, adeò ut confeſtim Laconicam ſeveritatem experiri inciperent, & non ſinè artè Nutrices ſolertes, atque ſedulæ tenella membra in formam quàm maximè decoram effingebant; undè Plutarchus inquit: *Erat & de Nutricibus cura, ut arte quadam ſinè faſcιis infantes educarent, conformantes eos membris & reliquâ ſpecie corporis ad habitum libero homini dignum.* Cùm autem pueri eſſent, rigidè quoque haberi videbantur, nedum quia nulla erat indulgentia in deliciis, verùm quoniam famem, ſitimque juxtà pati docebantur, adeòque ab ineunte ætate obfirmandis animis ſtudebant, cum & in tenebris ac ſolitudine relinquerent, & nullis terroribus locum darent; atque ità ad annum ſeptimum enutriti, incipiebat cura publicâ, ùt dictum eſt.

De re cibaria Spartanorum, & modo ſomnum capiendi

Alimenta verò poſt eam ætatem eadem erant divitum ac pauperum; undè Ariſtoteles Politic. 4.: *ſimiliter*, inquit, *aluntur filii divitum & pauperum, & inſtituuntur modô hoc, quô poſſunt pauperum filii. Quod eâdem ratione ſe habet ætate, quæ hanc ſequitur, & quando Viri facti fuerint eôdem modô. Nullâ enim re diſtinguitur dives à paupere.* Nam eodem quoque modô veſtiebantur, ùt dictum eſt. Et adeò tantùm ad neceſſitatem veſtibus utebantur, ut nec ipſe Rex meliorem indueret; adeoque Ageſilaum Ægyptios aſpernatos legitur. Lyſander autem Dionyſii Tyranni munus pretioſarum veſtium, quas filiabus miſerat, repudiavit, timens, nè eas deformiores redderent; Cibus autem Adoleſcentum Caro erat; quòd ſi erant adultiores, pulmento ſeu jure veſcebantur; quare: *Lacedæmone*, inquit Ælianus, *Coquos non eſſe alios, quàm Carnis licebat. Qui verò præter hanc artem noviſſet, ejiciebatur Sparta perindè ac ægrotantium expiationes.*

Somnum autem, ut Plutarchi verbis utar, *ſimul capiebant adoleſcentes turmatim & gregatim, in thoris, quos ipſi ſibi fecerant, congerentes Arundines in Eurota naſcentes, quibus ſummam partem manibus ſinè*

ferro

ferrô defringebant. Sed hyeme, quos vocant Lycochones substernebant, thorisque permiscebant, quòd aliquam calefaciendi Vim illa materia habere videretur.

Victus ergò Laconum tenuis admodum erat, & Viri inter obsonia utebantur præcipuè jure nigrô, mosque bibendi, ubi quisque sitivisset; Cives verò universi simul convivari tenebantur. Hi autem optimô jure dicebantur, qui ex utróque Parente Lacedæmone, & matrimonio legitimo nati erant; quare nothi & adulterini Civium honore non habebantur, ut nec Parthenii, geniti nempe ante nuptias occasione belli Messenii; quomodo autem fuêre procreati è Strabone intelligimus, dum: *Lacedæmonii*, inquit, *bellum intulerunt Messeniis, quòd hi illorum Regem Teclelum, Messenam Sacrificii causâ profectum, occidissent, juramentô se invicem adstringentes, non priùs se domum reversuros, nî Messeniam cæpissent, aut universos ibi occumbituros. Itaque ad bellum profecti, Urbis custodes relinquunt ex Civibus natu minimos, & natu maximos. Pôst annô belli decimô Uxores Lacedæmoniorum factâ Coitione, quasdam suarum ad maritos miserunt, quæ eos reprehenderant, ùt iniquis ergà se Conditionibus bellum Messeniis facientes. Quippe quòd aliqui interim liberos procrearent, aliqui relictis uxoribus uti viduis in hostico castra haberent. Itaque periculum nè Patria ad extremum Viris vacuâ foret. Tum Lacedæmonii & sui jurisjurandi memores, & Uxorum habentes rationem, robustissimos, & ætate minimos ex Castris mittunt, quos noverant Sacramenti Religione non teneri. Iis præcipiunt, ut cum omnibus Virginibus omnes rem haberent, ità existimantes copiosiorem Sobolem exstituram. Hi autem, qui ità geniti erant παρθενίαι, seu Virginum filii dicti sunt.* Atque hi quidem cùm ægrè ferrent, non eodem honore haberi, cum reliquis *Helotibus*, seu servis conjurârunt, & detecti novas sibi sedes quærere coacti Phalanto Duce Tarentum in Italia condidêre.

De Jure Civitatis.

Jus autem Civitatis non nisi legitimâ ætate consequebatur, triginta nempe annorum; & quidem eos, qui biennio pubertatem excesserant, Irænas nuncupabant, sicut Meliraenas maximos natu inter pueros, quibus Magistratus præerat quinque Virorum, quos *Bidiæos* nuncupabant, & nedum certamina, quæ diximus, moderabantur, sed controversias eorum dirimebant universas; quapropter Curiam habebant in foro juxta illam Regum, Senatûs, & Ephororum. *Sphærei* verò, qui jam inter Viros censeri poterant. Viri autem duntaxat Civitatis juribus fruebantur universis, adeoque nedum

tur autem ſorores uterinas accipere, non verò conſanguineas, ùt Athenis, ubi vetitum uterinas ducere; Inter aſcendentes verò, deſcendentesque omninò Conjugia prohibita, unâ tamen uxore debebant eſſe contenti.

De more exponendi Infantes

Illud quidem durum nimìs videbatur, quòd natos infantes, ſi non probâſſent ſeniores Tribules, exponerent ad montem Taigetam, atque ità barbarè mori ſinerent; Si autem nullum ab eis vitium deprehenſum eſſet, adeoque ſobolem vitâ dignam judicâſſent, parentes nutrire tenebantur more quodam peculiari, nempè ſinè ullis involucris aut faſciis, adeò ut confeſtim Laconicam ſevèritatem experiri inciperent, & non ſinè artè Nutrices ſolertes, atque ſedulæ tenella membra in formam quàm maximè decoram effingebant; undè Plutarchus inquit: *Erat & de Nutricibus cura, ut arte quadam ſinè faſciis infantes educarent, conformantes eos membris & reliquâ ſpecie corporis ad habitum libero homini dignum.* Cùm autem pueri eſſent, rigidè quoque haberi videbantur, nedum quia nulla erat indulgentia in deliciis, verùm quoniam famem, ſitimque juxtà pati docebantur, adeòque ab ineunte ætate obfirmandis animis ſtudebant, cum & in tenebris ac ſolitudine relinquerent, & nullis terroribus locum darent; atque ità ad annum ſeptimum enutriti, incipiebat cura publicâ, ùt dictum eſt.

De re cibaria Spartanorum, & modo ſomnum capiendi

Alimenta verò poſt eam ætatem eadem erant divitum ac pauperum; undè Ariſtoteles Politic. 4.: *ſimiliter*, inquit, *aluntur filii divitum & pauperum, & inſtituuntur modô hoc, quô poſſunt pauperum filii. Quod eâdem ratione ſe habet ætate, quæ hanc ſequitur, & quando Viri facti fuerint eôdem modô. Nullâ enim re diſtinguitur dives à paupere.* Nam eodem quoque modô veſtiebantur, ùt dictum eſt. Et adeò tantùm ad neceſſitatem veſtibus utebantur, ut nec ipſe Rex meliorem indueret; adeoque Ageſilaum Ægyptios aſpernatos legitur. Lyſander autem Dionyſii Tyranni munus pretioſarum veſtium, quas filiabus miſerat, repudiavit, timens, nè eas deformiores redderent; Cibus autem Adoleſcentum Caro erat; quòd ſi erant adultiores, pulmento ſeu jure veſcebantur; quare: *Lacedæmone*, inquit Ælianus, *Coquos non eſſe alios, quàm Carnis licebat. Qui verò præter hanc artem noviſſet, ejiciebatur Sparta perindè ac ægrotantium expiationes.*

Somnum autem, ut Plutarchi verbis utar, *ſimul capiebant adoleſcentes turmatim & gregatim, in thoris, quos ipſi ſibi fecerant, congerentes Arundines in Eurota naſcentes, quibus ſummam partem manibus ſinè*

ferro

ferrô defringebant. Sed hyeme, quos vocant Lycochones substernebant, thorisque permiscebant, quòd aliquam calefaciendi Vim illa materia habere videretur.

Victus ergò Laconum tenuis admodum erat, & Viri inter obsonia utebantur præcipuè jure nigrô, mosque bibendi, ubi quisque sitivisset; Cives verò universi simul convivari tenebantur. Hi autem optimô jure dicebantur, qui ex utróque Parente Lacedæmone, & matrimonio legitimo nati erant; quare nothi & adulterini Civium honore non habebantur, ut nec Parthenii, geniti nempe ante nuptias occasione belli Messenii; quomodo autem fuêre procreati è Strabone intelligimus, dum: *Lacedæmonii*, inquit, *bellum intulerunt Messeniis, quòd hi illorum Regem Teclelum, Messenam Sacrificii causâ profectum, occidissent, juramentô se invicem adstringentes, non priùs se domum reversuros, nî Messeniam cœpissent, aut universos ibi occumbituros. Itaque ad bellum profecti, Urbis custodes relinquunt ex Civibus natu minimos, & natu maximos. Post annô belli decimô Uxores Lacedæmoniorum factâ Coitione, quasdam suarum ad maritos miserunt, quæ eos reprehenderant, ùt iniquis ergà se Conditionibus bellum Messeniis facientes. Quippe quòd aliqui interim liberos procrearent, aliqui relictis uxoribus uti viduis in hostico castra haberent. Itaque periculum nè Patria ad extremum Viris vacuâ foret. Tum Lacedæmonii & sui jurisjurandi memores, & Uxorum habentes rationem, robustissimos, & ætate minimos ex Castris mittunt, quos noverant Sacramenti Religione non teneri. Iis præcipiunt, ut cum omnibus Virginibus omnes rem haberent, ità existimantes copiosiorem Sobolem exstituram. Hi autem, qui ità geniti erant παρθενίαι, seu Virginum filii dicti sunt.* Atque hi quidem cùm ægrè ferrent, non eodem honore haberi, cum reliquis *Helotibus*, seu servis conjurârunt, & detecti novas sibi sedes quærere coacti Phalanto Duce Tarentum in Italia condidêre.

De Jure Civitatis.

Jus autem Civitatis non nisî legitimâ ætate consequebatur, triginta nempe annorum; & quidem eos, qui biennio pubertatem excesserant, Irænas nuncupabant, sicut Meliraenas maximos natu inter pueros, quibus Magistratus præerat quinque Virorum, quos *Bidiæos* nuncupabant, & nedum certamina, quæ diximus, moderabantur, sed controversias eorum dirimebant universas; quapropter Curiam habebant in foro juxta illam Regum, Senatûs, & Ephororum. *Sphærei* verò, qui jam inter Viros censeri poterant. Viri autem duntaxat Civitatis juribus fruebantur universis, adeoque nedum

Concionis, ſed Magiſtratuum participes erant; *Concio* tamen ipſa ſummus erat Magiſtratus, atque ab ea jura cæterorum, & Regum etiam pendere videbantur, & Leges, quæ Populum tenebant in *Concione* duntaxat ferri oportebat; Quare Lycurgus *Rethras* ſuas tulit ad Populum, Populuſque comprobavit; & quæ procedentibus temporibus fuerunt additæ Leges, etiam à Populo ſanciri debuerunt; Hinc tot exempla apud Hiſtoricos, cùm de bellis, tùm de pace, fœderibuſque Lacedæmoniorum, pro quibus ad Populum perpetuò ferebatur. Et ſuper bello Peloponneſiaco nedum ad Populum, ſed etiam ad Socios Ephori tulêre, nec Ageſilaus Artaxerſis Legatis, qui cum eo agere volebant, aliud reſpondit, quàm *Pacis arbitrium penes Civitatem eſſe.* Judicia quoque ſumma Populi erant, & de Regibus ipſis judicabant; *clamore* tamen, ùt Thucydides, inquit, *decernebant, non calculis.* Cùm autem dubium oriebatur ſuper ea ſuffragiorum ratione, in partes fiebat ſeceſſio, ità ut numerari potuiſſent, qui jubere, vel probare aliquem, quique vetare, aut improbare volebant: atque ità in Athenienſes bellum decretum. In Senatu verò, cæteriſque judiciis, ſuffragiis, atque ratione, ſententiæ proferebantur, & cùm Reges inter ſe diſſidebant, is, cui plura ſuffragia accedebant, debebat obtinere; Cives quidem duntaxat conventus celebrabant *Syſſitiorum*, quique participes illorum nequibant eſſe, nec honorum erant; oportebat enim quemque conferre, adeoque meritò ab Ariſtotele improbatur his verbis lib. 2. cap. 7.: *De Sodalitatibus autem, quæ Phiditia dicuntur, nè prima quidem Legum inſtitutio eſt recta, nam oportebat potiùs de communi ſumptu fieri Conventum, ùt in Creta: apud Lacedæmonios autem quemque conferre oportet, , ubi & multi valde ſunt pauperes, & qui hunc ſumptum facere nequeant. Quare fit Legum Sciptoris inſtituto contrarium; nam vult ille quidem Sodalitatum inſtitutionem eſſe popularem: fit verò minimè popularis ità conſtituta, nam eſſe quidem participes valde pauperes, difficile factu; terminus verò Reipublicæ ipſis potiùs hic eſt, eum, qui hoc Vectigal conferre nequeat, ejus non eſſe participem.*

Hinc multos, cùm propter Convictûs, tum propter munerum Reipublicæ excluſionem malè erga Civitatem affectos eſſe oportebat, adeoque aberravit Lycurgus à ſuo ſcopo, ſummâ nempe omnium ordinum æquatione. Mos autem erat, quinos, & denos fermè convenire, unâque mensâ uti, atque ad ſumptum menſe quolibet farinæ medimnum conferebant, Vini choas quinque, Caſei libras

bras octo, ficuum selibras quinque, atque asses aliquot ad obsonia. Prætereà de Sacrificiis primitiarum, deque venationibus portio mittebatur ad convivium, cùm eis domi manere permissum esset; Cibus autem præcipuè jus erat nigrum cum placentis, unde Cicero: *Quid*, inquit, *victum Lacedæmoniorum in Phiditiis, nonne videmus? ubi cùm Tyrannus cœnavisset Dionysius, negavit se jure illo nigro, quod Cœnæ caput erat, delectatum; Tum is, qui illa coxerat, Minimè mirum, inquit, condimenta enim defuerunt. Quæ tandem inquit ille? Labor in venatu, sudor, cursus in Eurotha, fames, sitis: his enim Lacedæmoniorum epulæ condiuntur.* Postquàm autem convivium explevissent, domum sinè face redibant, atque in tenebris & noctu audacter, & sinè ullo metu incedere consuescebant.

Jure quidem Civitatis quandoque Peregrini donari videbantur propter hominum penuriam, aliisque de causis; hinc Tirteus ille Atheniensis Poëta ex Oraculi sententia Dux factus Spartanorum Civitate donatus fuit; *nè*, ùt Pausanias inquit, *peregrino Duce uti viderentur.* Ii verò, qui simul cum Laconibus pueris educabantur, *Mothaces* nuncupati, facillimè jus Civitatis nancisci poterant, cùm participes essent totius institutionis Laconicæ, & prætereà liberi. Sed & Libertini quandoque Cives evasêre; hinc *cæsis compluribus Lacedæmoniis bello Messeniaco*, ùt Plutarchus inquit apud Atheneum, *qui supererant, ut præcaverent, nè hostibus viderentur ad paucos redacti, in quodlibet stratum, seu lectum demortuorum Helotas quosdam restituerunt, quos posteà Cives factos Epeunactos appellârunt, quòd locò mortuorum in lectos subrogati fuissent.*

De Helotibus.

Erant autem *Halotes* Lacedæmoniorum servi, Helotesque primùm dicti, ùt Strabo ait, *quia & re vera erant* (cùm Helos Civitatem olim incolerent bello subjugati, & in servitutem acti) posteà evicit consuetudo, quâ acquisita deinde servitia itidem *Helotes* appellabantur, gravique adeò servitute premebant, ut in proverbium abiverint, & Isocrates de Lacedæmoniis: *Quos*, inquit *se in libertatem asserturos promiserant, eos graviore servitute quàm Helotes oppresserunt;* Messenios quoque non diversimodè tractârunt; hinc victoriâ uti nesciebant, ùt Romani, qui Civitatem crescere fecerunt ruinis cæterarum Urbium; Illi autem victos velut Serpentes in sinu fovere videbantur; quantus enim numerus servorum fuerit, ex Plutarcho liquet, qui Ætholos Laconicum depopulatos agrum, ad 50000. *Helotium* abduxisse scripsit; hinc meritò perpetuo timore correpti

Lacedæmonii, nam & bella, & occultas conjurationes adversùs Dominos à servis passi sunt; hinc illud exundantem servorum multitudinem minuendi sævissimum institutum, quod *Cryptiam* vocârunt, cùm robustissimi juvenes statis temporibus per agros vagari jubebantur pugionibus armati, ut *Helotes*, quoscunque obvios haberent, perimerent, qua de causa interdiù latitantes quiescebant, noctu autem itinera obsidebant; hinc Ephori vel in ipso Magistratûs hospitio bellum Helotibus indicere consueverant, decernendo haud nefas esse eos occidere. Horum operâ cùm in sordidis artibus, tum præcipuè in Agrorum cultura utebantur, tributum pro iis solvendo; eis quoque ministrabant in bellis; atque propter egregiè navatam operam manumissi quandoque fuêre, quod fiebat Coronæ duntaxat impositione, postquàm circùm Templa ducebantur; hi verò tanquam libertini, aut ubicunque vellent, habitandi facultatem habebant, aut in Colonias potissimùm deduci solebant, licèt aliqui etiam in numerum Civium relati viderentur; undè Thucydides: *Lacedamonii*, inquit, *servos, qui sub Brasida pugnaverant, liberos esse decreverunt, habentes ubicunque liberet, habitandi potestatem: eosque non ità multò post in Lepreo, cum Neodamodibus collocaverunt.*

De re Nummaria. Sed & peculiares quoque Leges erant circà rem nummariam, quoniam aurum atque argentum adeò vetita, ut si deprehensa fuerint apud aliquem, morte puniretur, ut Toraci cuidam, quamvìs Collegæ atque amico Lysandri accidit; ab Ephoris namque necatus fuit, quoniam argentum domi compertum erat; hinc *ferreum* duntaxat *Numisma solitum acetô tingi*, ùt Plutarchus inquit, *simul ac igne exemptum, nè posset procudi, sed ut ob tincturam minùs duceretur, vel malleo esset tractabile;* Ex Corio quoque Numisma valebat. Permutatione autem plerumque rerum contrahebant, & lucrum ex re facere vetitum; hinc Justinus de Lycurgo: *Emi*, inquit, *singula non pecuniâ, sed compensatione mercium jussit*; Ut quoq; circa funera, nam

De ritu funerũ. Lacedæmonii cùm mortem ovantes, & læti oppeterent, nil admittebant funesti; hinc nullæ lustrationes, purgationesque; nullæ tædæ, aut aliæ à cæteris Gentibus superstitiones adhibitæ; hinc nedum mortuos in Urbe sepelire, sed monumenta juxta templa fieri fas erat; hinc quoque simplicitas illa humandi corpora, nullæ aspersiones, unctionesque, ùt apud Ægyptios, Gentesque alias, nullique sumptus; nam oleæ duntaxat foliis compositum cadaver in veste punicea sepeliebatur, nec lamentationes exaudiebantur; solisque

Re-

Regibus datum, ut postquàm mors per Equites universam Regionem discurrentes esset nunciata, mulieres circumirent lebetes pulsando, tumq; ex singulis domibus liberos homines marem atque fœminam oportebat luctu fœdari, ducebaturque funus magno cum Helotarum, tum Civium comitatu, ipsisque Viri permisti mulieribus ejulare, frontesque suas assiduò pungere cernebantur, nec exclamare desinebant, Regem mortuum fuisse cæterorum optimum, decemque dies, ùt funestos in justitio & luctu traducebant; Successor autem in defuncti memoriam ære alieno Regi, aut Reipublicæ obstrictos Spartiatas liberabat, ùt & Persas factitâsse legimus. Hinc Xenophon: *Honoribus*, inquit, *qui mortuo Regi habentur, hoc nimirum indicant Leges Lycurgi, non hominum, sed Heroum cultum se Lacedæmoniorum Regibus tribuere.*

Luctus autem privatorum undecim diebus finiebatur, duodecimo sacrificare oportebat Cereri, & finire luctum; licèt enim lamentari, atque epulare in publico vetitum fuisset, luctum tamen lugubri veste, & corporis habitu indicare poterant, quod institutum secutos fuisse Romanos patet. Monumenta verò nisì eorum, qui in prælio occubuissent, inscribi nequibant, qui verò in bellis fato concedebant, an sepeliendi essent, matres judicium ferebant, unde Ælianus lib. 12.: *Lacedæmoniorum matres*, inquit, *quotquot audiverunt filios suos in pugna cecidisse, abire solebant, & inspicere vulnera tam aversis, quàm adversis corporibus inflicta; Et si plura ex adverso essent facta, exultanter cum gravi, & severo vultu in Patrum sepulchra filios deferebant: Sin alio modo vulnera accepissent, pudefactæ, inde & lachrymantes festinanter, & clam discedebant relictis mortuis, ut in communi sepulchro humarentur, aut furtim surrepta in propria sepulchra deportabant.*

De Legibus militaribus Lacedæmoniorum.

In bellis quoque eadem erat ætas requisita; vetitum autem erat ante Plenilunium Exercitum ducere; unde Lucianus de Astrologia: *Lycurgus*, inquit, *de Lacedæmoniis omnem Reipublicæ constitutionem ex Cœlo ordinavit, tum Legem eis dedit, nè quando in bellum prodirent ante Plenilunium.* Ex acie quidem nec fugere, nec ordinem deserere Lege unquam permittebatur, sed omnimodè vincendum, aut moriendum erat, & clypeum in pugna amittere ignominiosum. Adversùs autem eosdem hostes bellum repetere vetabantur, nè sæpiùs exercitatos armis bellicosos efficerent; hinc Anthalcidam Agesilao à Thebanis vulnerato exprobrâsse Plutarchus refert: *Pulchram*, inquiens, *à Thebanis mercedem reportas, quos invitos, & nescientes pugnare*

gnare docuisti. Castra autem sæpè mutare mos erat ex Lycurgi instituto, partim ut hostibus detrimentum adferrent, partim ut amicis prodessent, sicut testatur Xenophon, qui milites in armis quietem capere, atque sinè scutis custodiam agere jussisse Lycurgum scripsit: *Post vespertina*, inquiens, *exercitia denunciatur, sumendam esse cænam; & postquàm hymnos in Divos cecinerunt, quibus est facta res sacra, in armis quietem capiunt.*

De scutis quidem ea erat ratio, ut eò vigilantiores custodiam agerent; oppugnare autem muros prohibebantur, & solummodò acie hostes debellare studebant; hinc Herodotus fugam Persarum describens lib. 9.: *Subeuntibus*, inquit, *Lacedæmoniis acrior exstitit muri oppugnatio. Nam quòd Athenienses abfuêre, non modò Barbari se defendebant, sed etiam Lacedemonios cedere cogebant, quoniam ignari erant murorum oppugnandorum*; hoc autem ideò interdictum fuisse, *nè à muliere scilicet, aut puero, aut eorum simili præstantiores interficerentur*, Lycurgus ipse respondit, ùt Plutarchus refert. In prælia verò ad Tibiæ concentum progredi consuevêre, interrogatusque Agesilaus, cur ità pugnarent? respondisse fertur, *ut ipsis ad numerum incedentibus appareret, qui timidi essent, qui fortes*; hinc Thucydides lib. 5.: *Post hæc*, inquit, *concursum est: Argivis, & sociis vehementer, & iratè tendentibus: Lacedæmoniis autem cunctanter, & ad cantum Tibicinum, qui inter ipsos multi ex Lege interpositi erant, non rei Divinæ gratiâ, sed ut æqualiter ad numerum progredientes incederent; & nè ordo divelleretur.* Ante pugnam verò Rex Musis sacrificabat, ut nempe successum ad res memoriâ, & oratione dignas præstarent, & Capella mactabatur. Hinc Xenophon: *Cùm jam*, inquit, *conspectis hostibus Capella mactatur, Lex jubet, ut omnes quotquot adsunt Tibicines, Tibiâ canant.* Sed Tubâ revocabantur ex medio ad latus, atque receptio cernebatur, ùt Polybius memoravit lib. 2.: *Fugientibus autem hostibus nec instare acriùs jubebantur*; hinc Pausanias in Messenicis: *Ipsos*, inquit, *Lacedæmonios, quò minùs hostem fugientem insequerentur, plurimum quidem locorum ignoratio deterruit.* Erat tamen eis patrium institutum, ut minùs cupidè hostes consectarentur, magìs curam habentes, nè ordinem turbarent, quàm ut fugientem occiderent. Vetuit quoque Lycurgus, hostibus manubias detrahere, & nec spolia suspendere, nè scilicet loco excederent cupidine prædæ; quanquam procedentibus temporibus, & donaria è spoliis Diis sacrata legantur, & Argivorum, Mantineorumque cadavera spoliata; *cùm autem Stratagemate*

mate vincebant, ùt Plutarchus inquit, *Bovem Marti sacrificabant: cum vi aperta, Gallum*; quoniam ità studebant assuefacere Duces, ut non modò bellicosi essent, sed etiam calliditate, quæ in Imperatoribus requiritur, ad stratagemata pollerent.

Vacationem autem militiæ tunc assequebantur, cùm annum quadragesimum suprà pubertatem explêssent, unde Xenophon lib. 5. Hellenic. *Agesilaus*, inquit, *cùm diceret annis jam quadraginta se pubertatem excessisse, ac demonstraret itidem, ùt alios tam grandi ætate, necesse non esset, extra Patriæ limites militatum ire, sic & Reges eorum jure uti: hac igitur cùm diceret, eà se expeditione liberavit.*

De rei militaris Præfectis.

Post quidem Reges, Polemarchi primum in Exercitu tenebant locum, de quibus jam dictum; Hypacretæ verò delectis armatis præficiebantur, & eorum quilibet 100. legebat Viros additâ causâ, cur quosdam admitteret, alios verò respueret; hinc Pædacetus non allectus inter 300., cùm ridendo discessisset, ab Ephoris interrogatus, cur ità hilaris esset? *Gratulor*, inquit, *Civitati, quòd jam* 300. *Cives me sint præstantiores.* Cùm autem Urbem subjugabant, licèt liberam eam relinquerent, Magistratus tamen adeò constituebant, ut *Oligarchiam* viderentur instituere, præficiebantque unum è suis *Harmostem* nuncupatum, qui Civium, quibus præerat, mores ad Lacedæmoniorum conformare nitebatur, eratque etiam Spartæ; atque eum cum Dictatore Romano Dionysius conferre nititur; hinc difficillimis Reipublicæ temporibus prodire videbatur, ac proptereà cùm de pœna Tresanthum, quæ cum Reipublicæ periculo conjuncta erat, consilii capiendi Civitatis anceps esset, Agesilaum constituit, atque ut ille suo arbitrio decerneret, mandavit, Legumque Potestatem fecit.

De cæteris Laconum Magistratibus

Sed erat quoque Magistratus *Harmonisynorum*, qui Censorum munere fungebantur, & choris etiam, ludis, atque Gymnasiis muliebribus præerant, licèt parùm qaoad vitam, moresque fœminarum fuerint consecuti, cùm dissolutæ in quovis intemperantiæ genere, & delicatæ, Spartæ vitam egissent.

Sed habebant quoque Legum Custodes *Nomophylaces* appellatos, eorumque munus erat Legibus obtemperantes laudare, honoresque impertiri, cæteros verò pœnâ mulctare; quare Magistratûs quoque adigebant ad earum observationem, & si quid dubium oriebatur, iis interpretandi Leges duntaxat potestas erat, adeoque Curiam peculiarem habuisse Spartæ Pausanias testatur.

Sed

Sed & forum ſuos habuit inſpectores, quorum munus, nè quid in eo indecenter admitteretur, vel iniquè fieret; iique dicebantur *Empelori*, qui præthereà rerum Venalium inſpectionem habuêre, pretiaque rerum ſtatuebant, arcebantque commerciis, quibus jus emendi & Vendendi publicè interdictum.

Prodicus autem erat apud Spartanos Regis pupilli Tutor, undè Plutarchus: *Regum*, inquit, *pupillorum Tutores Lacedamonii Prodicos appellabant*; & proximiores, quibusque Regnum morte pupillorum Regum deferri debuiſſet, conſtituebantur, ùt apud Gallos; eademque authoritas erat, quæ Regum; tutoriô namque nomine cuncta adminiſtrabant, bellaque gerebant; atque eô nomine Pauſanias adversùs Mardonium bellum ſuſcepit, confecitque, & Ariſtodemus adversùs Thebanos.

De Reipublicæ Spartanæ vitiis.

Hactenus præcipua Lycurgi Inſtituta, Magiſtratûs, ipſamque Reipublicæ formam attigimus; & ſicut in eâdem magnas quidem fuiſſe Virtutes, nemo negaverit; ità quoque magna Vitia, præter leges alias ab omni humanitate, atque ratione prorsùs alienas fateri cogimur, adeò ut longiorem, quàm par erat, Civitas obtinuiſſe vitam videatur; Quis enim, Ephoris omnia ad ſe trahentibus, Regibusque ſibi adverſantibus, non mirabitur, nedum diù conſervatam ab Ephororum inſtitutione eam Reipublicæ formam, ſed nullos ad Cleomenem uſque magnos motus exſtitiſſe? cùm tamen Ephori illi maximarum rerum Domini omnes è Populo, & ſæpius ex infima plebe eſſent, judicarentque de rebus ſummis non ex ſcriptis Legibus, ſed pro arbitrio; cumque omnia ejus Reipublicæ ad duritiem ſpectarent & parſimoniam, ſoli Ephori lautiori victu, ſemperque inſolentes coram omnium oculis agere viderentur; ratio autem ea potiſſimùm videtur eſſe, quoniam Populus eô Imperio quieſcebat; quare eâ ex parte nulla excitabatur ſeditio, Reges autem ipſimet Ephori coërcebant adeò, ut ſolis honoribus contenti vivere cogerentur; boni verò, cùm in Senatum allecti, tum propter Virtutem ipſam nova moliri prohibiti. Hinc non priùs Converſio ſecuta eſt, quàm corruptelis Ephororum adeò Civitas peſſumdata fuit, ut nedum Regibus, ſed ipſi Populo gravis Magiſtratûs ille videretur. Quod cùm Cleomeni perſpectum eſſet, ratus, nullum cunctationi locum in eo conſilio, quod laudari non poterat niſi peractum, Ephoros nihil cogitantes, atque in Triclinio, pro more, publicè cænantes per ſatellites ſuos trucidari curavit; quod tamen ſequentes temporum ratio-

rationem fusiùs describendum nobis est, ut Laconicæ Civitatis fata velut ante oculos obversari queant. Antequàm autem ad rem veniamus, aliud notare vitium Spartanæ Civitatis ducimus, quô crescere nequibat, imò ruinam sibi arcessebat; licèt namque ad bellum fuisset comparata, & assiduè finitimos subjugandi ardor exstimularet, nullam tamen adhibuit rationem, quâ partas Urbes sub potestate facillimè retineret, & ipsa viribus augeretur; Nam nec cæterarum Urbium Cives in Laconicum agrum deducebat, nec sibi sociabat eô fœdere, ut Sparta Caput rerum agnosceretur, sicut Romani; sed partim servitute mulctabat victos Populos, atque hostes in visceribus alebat, partim per vim dominari malebat, paucitatem Civium non advertens. Sed nec ærarium auxit unquam, nihil namque erat commune Civitatis ærarium, & Tributorum collationes, cùm bella gerenda essent, vitiosè fiebant; hinc semel in acie vinci satis erat; nam Exercitum denuò instruere, viresque reparare cùm propter Civium paucitatem, tum propter inopiam publicam nequibant, ùt accidisse visum est.

Ergò ùt primis temporibus Regum Potestas liberior fuit adeò, ut Monarchia videretur, ità ab Heraclidarum initiis usque ad Lycurgum Duumviratus videbatur; adeoque sub irregulari forma Civitas erat, quoniam duo simul summæ rerum præerant regiò nomine, nec præter eos alter erat Magistratûs, qui jurium Majestatis aliquid usurparet; cuncti namque à Regibus statuebantur, iisque obnoxii erant; Lycurgi verò ætate, Senatu ab eodem instituto, latisque Legibus, quibus cùm Regum, tum Senatûs & Populi officia præscripsit, mista Respublica fuit; ad Aristocratiam tamen vergebat, quoniam Magistratûs universi suffragiis designari debebant, & Regibus cum Senatu simul maxima quoque permissa erant; Institutis verò Ephoris à Theopompi ætate, cùm illi Demagogi Populi fierent, licèt mansisset Reipublicæ species, procedentibus temporibus *Oligarchia*, seu *paucorum Dominatus* intendi videbatur. Hinc Ephori Regibus præcipuè invisi erant, licèt eos colere viderentur, ac nisì externi hostes Reges atque Cives ità institutos, ut patriæ amore cuncta paterentur (Lycurgus namque id perfecisse visus est, ut Civitati duntaxat se natos scirent, atque hinc illa Uxorum communicatio, ut generosa Soboles oriretur) in officio continuissent, quæ rerum Conversio Cleomenis ætate secuta est, longè priùs accidere profectò debuisset: Cùm enim Persici belli metu Græcia universa Amphictionico fœdere in unum veluti Corpus coaluisset, & Principatus

De Principatu

Lacedæmoniorum, & bellis.

patus Lacedæmoniis datus esset, ejusdem Græciæ decreto, ab iis ad Athenienses tanquam æquiores post annos aliquot translatus fuit; hinc bella & simultates; hinc, externô ex Persis metu superatô, Athenienses, ùt sunt mortalium animi potentiæ atque Imperii cupidi, quiescere nequibant, & contrà Lacedæmonios invidia exstimulabat; quòd penès eos belli gloria contra Darium, quòdque Maris Dominatum, majoraque indies incrementa sumere viderentur; quâpropter occasiones quærebant turbandi Atheniensium statum; Erant igitur Populi utriusque animi ad bellum æque dispositi, Athenienses quidem, ut *Dominatum* totius Græciæ sibi parerent, Lacedæmonii verò, ut nedum eorum potentiæ maturè occurrerent, sed *Principatum* ipsis arriperent; hinc dum Athenienses specie juvandi alios, alios opprimere deliberant, Potidæamque Urbem oppugnant, atque Ægynethis, ut muros everterent, naves traderent, tributumque penderent, imperant, & Megarenses præter Leges fœderis portubus, & Commerciis in Attica ditione arcent, Lacedæmonii non honestiores belli causas offerri posse rati, bellum decerni faciunt, quod totius Græciæ malo exarsit adeò, ut tota fermè Regio conflagrare videretur; ac licèt tandem tricennalibus induciis sopitum esset, necdum finitis, aliud exortum est, Peloponnesiacum nempe, cui vix finis impositus sancità in annos 50. inter Lacedæmonios atque Athenienses pace, postquàm mutuis jam cladibus attriti erant. Quam reliquæ Græciæ Civitates suspectam habuere, magnisque conatibus turbare studuerunt, adeò ut bellum iterum exardescere visum fuerit, donec Lacedæmonii licèt sæpiùs victi Lysandro Duce, prælio ad Ægospotamos, Athenienses penitus debellârunt, Urbis muros diruerunt, formamque Civitatis immutârunt, præfectis 30. Atheniensibus Viris, atque unô *Harmostâ* Lecedæmonio; jamque posteà Græcorum *Principatus* ad Lacedæmonios translatus videbatur: *Ii verò non contenti*, ùt Justinus inquit, *accessione Atheniensium ob vires sibi duplicatas, totius Asiæ Imperium affectare cœperunt*; hinc cum Persis bellum, ac licèt Agesilao Duce victores evasissent; invidentes tamen aliæ Civitates, Beotiorum nempe, Atheniensium, atque Argivorum, adeò animos jungunt, ut omnium consensu bellum indicerent, eôque semel victi Lacedæmonii ad Gnidum, Mari perpetuò cedere coacti fuêre; hinc unô eodemque tempore Græcorum atque Persarum bellô distenti, Anthalcidam Ducem ad Artaxersem mittunt de pace, eâque Lege sancitur, ut *Græcorum in Asia Civitates Persarum agnoscerent Imperium*,

rium: reliqua libertate suâ potirentur; eamque, pacem *Anthalcida* nuncupârunt, quam tamen superbi Lacedæmonii sprevêre, adeoque animis elati videbantur, ut denuò totam Græciam bellis provocarent; hinc adversùs Arcades, Mantineenses, Thebanos, ipsosque Athenienses arma capiunt, sed semel victi ad oppidum Leuctra à Ducibus Thebanorum Pelopida atque Epaminonda, quasi nervi eâ pugnâ fuissent incisi, cecidêre adeò, ut nunquam surgere potuissent; quibus malis cæteræ quoque Clades accessêre propter Phocensium & Thebanorum bellum, quod Sacrum nuncupârunt, cui Lacedæmones cum Atheniensibus se immiscere voluerunt; quod tamen fatô quôdam totius Græciæ ortum fuisse exitus comprobavit; eô namque victi Thebani Philippum Macedonem in partes trahere conati, occasionem dedêre, ut Rex ipse, qui velut è Specula libertati totius Græciæ insidiabatur, contentiones aleret Urbium, adeò ut Victos pariter, Victoresque regiam servitutem subire coëgisset; occupatis namque fraude Thermopylarum angustiis, Phocenses primò ad deditionem adegit, & ut pecora pastores nunc in hybernos, nunc in æstivos saltus trajiciunt, ità eosdem ut replenda vel derelinquenda quæque loca videbantur, ad libidinem suam transtulit; jamque ex directione paucarum Civitatum atque ex præda modicarum Urbium, quantæ opes totius Græciæ essent, animô volutans suô, eam debellare deliberat; hinc primò Atheniensibus bellum infert; metus autem Thebanos illis jungit, qui propterea legationibus cunctas alias Civitates fatigant; sed nîl rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quàm fama potentiæ non suâ vi nixæ; hinc sicut Civitates aliquas communem hostem è Cervicibus tollendi necessitas, ità alias, ut inferrent, metus adigebat; commissô igitur prœliô, victi Athenienses, Thebanique; adeoque attriti, ut dies ille universæ Græciæ & gloriam Dominationis, & vetustissimam libertatem finiverit. Jamque post eam Victoriam Philippus Concilium indicit totius Græciæ, utque Legatos Corynthum mittant Civitates, jubet, inque eo conventu totius Græciæ Dux ad bellum contra Persas designatur, auxiliaque Civitatibus singulis edicit, sive adjuvandus eâ manu Rex oppugnante aliquo foret, seu Duce illo bellum inferendum. Lacedæmoniorum tamen Virtus eâ occasione, atque Avitæ libertatis amor emicuit, soli namque Decretum illud, Victoremque Regem contemnere ausi sunt. Cùm autem ille Persicum bellum suscepturus Græcorum auxiliis, nuptias intereà Cleopatræ filiæ

& Alexandri Epyrotarum Regis celebraret, ex insidiis à Pausania quodam medius inter duos Alexandros, filium, atque Generum occisus est; quoniam stuprum, quod per injuriam primis pubertatis annis ab Attalo passus fuerat, Rex ulcisci noluisset; Alexander autem, ut cœpta Patris perficeret, in Græciam contendit, Civitatesque Corynthum quoque evocat, eodemque modô Dux agnoscitur; iterum verò Lacedæmonii Decretum illud aspernantur, atque Athenienses Demosthene authore à Rege deficiunt; Ille autem tantâ celeritate instructô, paratôque Exercitu, Græciam opprimit, ut quem venire non senserant, vicisse vix crederent; deletisque Thebis, quoniam arma sumpserant, ut cæteris exemplum essent, cùm videret totam Græciam reversam ad officium, expeditionem suscepit Persicam, statimque Lacedæmonii absentiæ occasionem captare visi sunt, Græciamque concitare ad resumendam libertatem; bellum igitur parant auspiciô Regis Agidis; quarè Antipater Macedoniæ Præfectus cum ingenti Exercitu advolat, Lacedæmonios vincit, Rexque ipse, quanquam fortissimè dimicans, occumbit in eo prælio; Victoriâ quidem moderatè utitur, Legatosque duntaxat ad Regem Alexandrum deprecandi causâ ex Consilio Sociorum mittere jubet, & Alexander Dario debellando intentus, largitur Veniam. Sed rursùm posteà commoti Græci, quoniam Decretum ab Alexandro venerat, quô Civitates jubebantur, liberum exulibus in patriam reditum concedere, arma capiunt, Principibus Atticâ Civitate atque Æthölis, denuoque ab Antipatro, annô proximô ab Alexandri morte debellantur; sed jam eô tempore Laconum Virtus propè exstincta videbatur, & Areus Rex, filiusque Acrotatus nedùm ut Civitas luxu atque otiô difflueret, pati, sed imò promovere videbantur, Syssitiaque ipsa, tenuemque Victum in effusum epularum luxum converterant; hinc nil prisci moris atque disciplinæ, nulla ampliùs educandi ratio, nullæ Leges, Civitasque in mollitiem, cunctaque vitia prolapsa, miserandum sui spectaculum præbebat, futurasque rerum Conversiones prædicebat; Leonidas namque post Acrotatum Prodicus Aræi junioris filii, postque ejus obitum Rex factus cuncta Lycurgi instituta consultô evertit, atque tyrannicè Regnum administrare cœpit; hinc Lysander Ephorus ex posteris illius, qui Athenas debellaverat, Princeps factionis, quæ Regi adversabatur, eum Regnô dejicit, & Cleombrotum agnatum proximum subrogat. Sed Leonidas non quiescit, nilque intentatum relinquit, ut denuò Regnum occupet, solli-

De Areo, & Acrotato filio, cæterisque Lacedæmoniorum Regibus

ſollicitatque adeò ſuarum partium Viros, ut Cleombrotum ejicerent, ipſumque revocarent, qui ſemper deterior nullam Reipublicæ agnoſcens libertatem, nullaſque Leges aut Magiſtratus, cum Agide alterius familiæ Rege prioris Agidis ex fratre Eudamida pronepote perpetuò ſimultates exercebat, cùm ille Lycurgi inſtituta, quibus jam Civitas par amplius eſſe nequibat, *agrariasque Leges*, eandemque diviſionem, ac ſortitionem revocare moliretur; quare aliis artibus Leonida occultior, non melior videbatur; hinc ab Ageſilao primùm Ephoro, quanquam ſuo Avunculo deceptus ac deſtitutus adeò, ut alii Ephori in Carcerem ſimul cum Matre & avia duci, omneſque in Leonidæ gratiam necari juberent. Hinc ſolus Leonidas Rempublicam habuit in poteſtate, nec diù poſt defunčto filius ejus Cleomenes excepit, Virtute & Vitiis Patre longè major, nam & rebus moderatior, & animo magnificentior fuit, nec ſolummodò apertè bella gerere, ſed artibus tractare animos noverat, facileque dixerim famæ atque potentiæ cupiditate nemini ceſſiſſe; Sed ingenium ejus velut in tabula Plutarchus exhibet in Paralelis. Atque hic eſt ille Cleomenes, qui non ùt Leonidas Ephoros in partes trahere ſtuduit, atque, ut ipſe ſuô ingeniô viveret, cuncta illis largiebatur, ſed Ephoriam ipſam prorsùs tollere, Ephoroſq; cunctos interficere in animum induxit; hinc profundâ ſimulatione omnia tegens, bellis primò implicare Rempublicam ſtuduit, pecuniâque Ephoros corrumpere, nè ſibi eſſent impedimento; quarè bellum primò adversùs Achæos, quorum Prætor Aratus Sycionius erat; nec dolis interim abſtinebat, Archidamum namque Agidis fratrem, qui Leonidæ Patris iram atque potentiam fugiens, exulabat apud Meſſenios, ſpe Regni factâ, revocavit, ſimulanſque partes ſuſcipere, clam excitavit Agidis interfectores, ut eum quoque, à quo ultio metuenda erat, è medio tollerent; his igitur dolis Archidamo interemptô, nullum habuit Regni Socium. Feliciter poſteà confectô alterô bellô adversùs Arcades, adeò famâ ſui, benignitateque & comitate, ad quas ſe compoſuerat, Populum obſtupefecit, atque adversùs Ephoros callidè commovit, ut tempus videretur rei benè gerendæ, Megiſtoni quoque ſui Vitrici Conſiliis adjutus, pluribusque ejus ope ſibi conciliatis; Igitur ſtato die cænantes Ephoros ab militibus ſuis trucidari jubet, & ut cœpta ritè perficeret, graviter concionatus ad Populum de Ephororum uſurpatâ Tyrannide, eum adeò ſibi adjunxit, ut adversùs Ephororum fautores opem tulerit, adeoque Cœdes addidit cædibus,

De Cleomene Tyranno.

dibus, disjectisque Ephororum Sellis, unam reliquit, in qua federet ipse, jusque diceret Populo, nec omisit eos proscribere, quorum suspectum erat ingenium; posteà verò cùm nil ampliùs timeret, oblivionemque factorum induceret, Regias Virtutes explicare aggressus, Rempublicam ad sua initia revocavit, & è peregrinis Civium numerum supplevit, Agrosque iterum ex æquo partiri, sortirique curavit, vocatis quoque ad sortes iis, qui solum verterant: quibus rebus ritè compositis, reditum permisit. Educationis quoque ac priscæ Laconum disciplinæ, vitæque ratio exemplô etiam suo restituta, & ut invidiam declinaret Monarchiæ, fratrem Euclidem Collegam adscivit; licèt ille nomen Regis haberet, cùm Imperii vis penès Cleomenem esset; bellis posteà semper implicitus variante fortunâ, donec tandem ab Antigono, Achæisque, quos mirè fatigaverat debellatus, interemptô Euclide fratre, de fortuna prorsùs desperans, licèt Spartam se recepisset, post breve cum suis colloquium, nec quidem cibô potuque sumptô, ad mare properavit, Ægyptumque petiit, quoniam Ptolomeum Regem amicum sibi ratus, iterum suis auxiliis decertare de summa rerum spem fovebat.

Antigonus igitur, Achæique Spartam ingressi nedum nullâ mulctâ Cives affecerunt, sed plenam libertatem instaurandæ Reipublicæ largiti fuêre; hinc Ephori, reliquique Magistratus absque tamen Regibus constituti Cleomenis gratiâ, adeò eum magnifaciebat Populus ille; sed eo tempore licentiæ Civitas assueta, & libertatis impatiens, externo metu libera domi tumultus excitabat, & invalida erant Legum præsidia, corruptique adeò Magistratus, ut ad ingenium Ephororum Respublica componi duntaxat videretur; hinc nil præter factiones, mutuasque cædes; cùm enim Achæos inter, atque Ætholos bellum esset, & Lacedæmonii ab Ætholis ad suas partes sollicitati; jamque non pauci, præcipuè verò, qui turbidi erant ingenii, ac scelere polluti, Ætholorum societatem appetebant, quoniam ea Gens non jure, nec fide agere, sed dolis plerumque, aut apertâ vi, cupidine prædæ consueverat; scissa igitur Civitas; alii namque, quibus sanior mens erat, à Macedonum, Achæorumque amicitia recedendum haud esse sentiebant, adeoque moverunt, recenti præcipuè beneficiorum memoriâ, majorem Populi partem, ut sicut ipsi sentiebant, juberetur; Illi autem irarum pleni, animisque volutantes prædas, Juvenes quosdam corrumpunt, inque Minervæ Calciacæ ædem irrumpentes, cum Sacris Ephori omnes operarentur

(erat

(erat namque institutum armatos Sacris interesse, quare & Deos ipsos armis ornabant, ut nec ipsa Venus, aliàs ubique nuda, sinè armis conspiceretur) eosdem ad ipsam Deæ mensam, atque Aram nefariè trucidare ausi sunt; adeò erant efferati animi, ut nec Deæ metu, nec Sacrorum reverentiâ moverentur, quin inviolabilem alioquin Magistratum, Cleomenis superato exemplo, atrociter mactarent, velut victimas; nec à cæde Senatorum aliquot, ùt Polybius refert, abstinuêre; cæteros verô Cives, qui Ætholicum fœdus respuèrant, solum vertere coëgerunt; tum vero Ephoris suarum partium creatis, fœdus cum Ætholis percuti curârunt, sic etiam gratam rem Cleomeni Regi, Achæorum, Macedonumque hosti facere sperantes; sed obitu ejus audito, miserè namque in carcere cum liberis interemptus fuit, quoniam Ægypti quoque res novas moliebatur, Agesipolim Regem admodum puerum ex Euristenidis successionis jure declarârunt. Ex Proclidis autem, quamquam essent ex Agidis fratre filii, neminem assumpsêre; sed Lycurgum quendam novum hominem, turbulentumque constituerunt, ejusque ductu bellum contra Macedones, Achæosque gestum, quo adeò attriti cùm Ætholi, tùm ipsimet Lacedæmonii fuêre, ut pacem rogare fuerint coacti, & Philippus Rex Demetrii filius iis conditiones præscriberet ex arbitrio; vixque finis bellorum erat, cùm domi rursum conspirationes, Chilone quodam è Proclidarum Stemmate Authore. Hic, quoniam juri suo iniqui Ephori, Lycurgum in Regnum vocando fuerant, Agrariarum largitionum spe, Cleomenis vestigia secutus, Plebem sibi conciliavit, dein fidissimis sibi adscitis in Ephoros cænantes irrupit, eosque necavit; cùmque, ut rem perficeret, Lycurgum in suis Ædibus quæreret, fugâ ille sibi consuluit, nec quanquam spe suâ frustratus, in forum descendere omisit, ut extrema experiretur; hinc partim hostibus manus inferebat, partim verbis, speque præmiorum Populum sollicitabat; Cùm autem cuncta cedere irrita animadvertisset, vix, fugiens, incolumis ad Achæos se recepit, exulque periit. Quare Lycurgus iterum in scenam prodiit, & Ephori statim occisis surrogati, qui posteà Lycurgum ipsum fatigârunt, eorumque metu, quanquam ad Ætholos primò fugere compulsus, revocatus tamen ab iisdem fuit; Collegamque Agesipolim solum vertere adegit, hinc Livius: *Multi*, inquit, *antè erant jam per aliquot ætates, ex quo tyranni Tenebant Lacedæmonem, alii ab aliis expulsi. Princeps erat exulum Agesipolis; cujus jure Gentis Regnum Lacedæmone*

De Lycurgo novo homine Rege constituto, & Ephororum cæde.

De Machanida, & Nabide Tyrannis.

cedæmone erat; pulsus infans à Lycurgo tyranno, post mortem Cleomenis, qui primus Lacedæmone fuit. Illi autem pejor successit Machanidas, qui nedum Ephoros è Civitate sustulit, sed Senatui, Magistratibusque cæteris authoritatem nullam permisit, finitimos autem bellis adeò lacessivit, ut toti Peloponneso inhiare videretur; hinc Livius Decad. 3. lib. 7. cap. 28.: *Eâdem*, inquit, *æstate & Philippus implorantibus Achæis auxilium tulit, quos Machanidas Tyrannus Lacedæmoniorum finitimo bello urgebat*, &c. Sed ab Achæis ipsis non procul Mantineâ debellatus, atque ab ipso Philopemæne, dum fugâ sibi salutem quærere nitebatur, interemptus est, quem Nabis excepit avaritiâ, & crudelitate nemini tyrannorum secundus, cujus artes lucu-lentissimè Polybius expressit; *Nabis*, inquiens, *Lacedæmoniorum tyrannus, qui tertium jam annum rerum potiebatur, nihil ille quidem majoris rei aggredi, ac moliri audebat, quòd recens adhuc memoria devicti ab Achæis Machanidæ, sed mansuræ diutiùs, ac diræ tyrannidis principia ponebat, & fundamenta jaciebat; reliquias enim Nominis Spartani funditùs delebat; Eos, qui opibus majorum, aut gloriâ cæteris præstabant, solùm vertere cogebat; horum fortunas, & uxores iis, qui inter reliquos eminebant, & mercenario militi dividebat. Hi autem erant homicidæ, effractores, Vestimentorum fures, Vecticularii, hoc est, parietum perfossores; nam hoc duntaxat genus hominum, quibus propter improba facinora, & immania scelera pedem in patria ponere non licebat, sedulo Nabis toto undique terrarum orbe ad se accersebat. Horum ille Patronum, & Regem cum se constituisset, stipatores & satellites eos sibi instituisset, in longum videlicet tempus istorum ope, & impietatis suæ famam, & Dominationem erat extensurus. Itaque præter illa, quæ jam diximus, Cives in exilium pellere non contentus, id operam dabat, nè quis exulibus locus esset tutus, nè ullum perfugium securum; alios enim percussoribus submissis per vias occidebat; alios ab exilio revocatos trucidabat. Postremò in illis Urbibus, quas habebant exules, conductis per homines nullo modo suspectos, domibus, quæ vicinæ essent iis, quas illi incolerent, Cretenses eò mittebat, qui parietibus ruptis per apertas fenestras Exulum alios stantes, alios decumbentes sagittis configebant, ac morti dabant, ut miseris Lacedæmoniis nullus ad perfugium locus satìs tutus, nullum tempus à periculo esset immune. Atque hâc sanè ratione plurimos è medio sustulit.* Scilicet eò adegerat ferinum hominem ambitio, ut cùm agnosceret non oblitos Lacedæmonios prioris libertatis, suarumque Legum, atque adhuc vestigia priscæ virtutis saltèm aliquos retinere suspicaretur, nec propterea Dominationem firmare alias satis tutò posse sibi per-

persuaderet, his artibus Spartanam virtutem, si quæ supererat, radicitùs evertere deliberavit, & dummodò regnaret, parùm illi intererat, an Civibus, qui servitutem pati nequibant, an verò novis hominibus, quibus Civitatem replere studebat, eosque substantiis aliorum ditabat, collectæque illi turbæ, quæ à solo tyranno cuncta agnoscebat beneficia, imperitaret. Dum igitur securitati suæ externo milite prospexit, nè Civium aliquis ab immanitate sua evasisse videretur, audi Sodes quæso, novum tormenrorum genus, cui nec Phalaridis taurus par erat, nec tyrannis ipsa crudelius excogitare potuisset; *Simulacrum namque*, verba sunt Polybii, *muliebre erat pretiosis vestibus indutum, formæ similitudine Nabidis uxorem insigniter referens. Quoties autem Civium aliquos Tyrannus ad se vocabat, ut pecuniis eos emungeret, principio quidem longâ, eâque benignâ oratione ipse compellabat: Periculum quod Regioni, & Urbi ab Achæis imminebat, ipsis ponebat ob oculos: quantum stipendiariorum numerum salutis ipsorum causâ aleret, significabat: quantos in Sacris procurandis, aut negotiis publicis sumptus faceret. Ejusmodi sermonibus, si qui moveri se sinerent, hoc illi ad destinata exequenda satis erat; Sin aliqui essent, qui pecunias pendere recusantes, jussa capessere detrectarent*, in hæc tum verba Tyrannus irrumpebat: *Ego quidem fortassè quod cupio, persuadere tibi non possum, Apegam verò hanc* (id nomen Nabidis Conjunx habebat) *puto tibi persuasuram. Cum quibus dictis confestim aderat simulacrum, de quo jam locuti sumus, dum excitata à sede fœmina per speciem Comitatis prehendens dexteram illius, mox utrâque manu eundem amplectebatur, & paulatim ad pectus compressabat. Erant autem ei cubiti, & brachia ferreis Clavis plena, quos vestis occultabat. Similiter etiam in mammis infixos Clavos habebat. Quando igitur brachia impresserat dorso mulieris, mox organis quibusdam attractis intendebat, & paulatim ad mammas adducens, eum, qui premebatur, omne genus voces cogebat edere. Atque hoc modo multos interemit, qui pecunias dare recusabant.*

De Romanorũ artibus ad Græciam debellandam.

At intereà Romani, qui eam semper operam dedisse visi sunt, ut Societatis specie in alienis provinciis haberent, qui ad eam invadendam aditum patefacerent, retinendamque postmodum auxilio essent (Quis enim historiarum adeò ignarns, ut nesciat Campanorum operâ adversùs Samnites bellum excitâsse, per Camertinos autem in Tuscos arma tulisse, perque Mamertinos in Siciliam, & Saguntinos Hispaniam diripiendam præbuisse; Attalum verò, Rhodiosque Asiam, Massilienses Galliam, Africam quoque Massinissæ Regis

operâ occupâsse?) Græciæ etiam inhiantes, iisdem artibus occasionem exceperant bellorum Athenienses inter, Ætolos, atque Philippum; quô cum Rege jam anteà bellum gesserant, jamque in Conciliis Achæorum Ætolorumque Gentium, Societatem, Amicitiamque procuraverant, ut ipsorum auxiliis Græciâ ipsâ potirentur, tempori convenientia semper loquendo, exequendoque; hinc cùm Philippo pacem dedissent, querebantur Ætholi, libertati Græcorum infidè consuluisse, ajebantque litteras inanes vanâ specie libertatis adumbratas „ esse. (*a*) Cur enim alias Romanis tradi Urbes, alias nominari, & sinè „ traditione jubere liberas esse? nisi ut quæ in Asia sint, liberentur, „ longinquitate ipsa tutiores: quæ in Græcia sint, nè nominatæ inter„ cipiantur, Corynthus & Calcis & Oræum cum Heretria & Demetriade. Cùm igitur Philippus præfatis bellis impicitus Argos Urbem Nabidi fiduciario jure tradidisset, ut Victori sibi restitueret, si quid adversi accidisset, ipse haberet; Nabis posteà, cum nec sinè flagitiis accepisset, nihil memor, à quo, quamque in Conditionem, cum Tito Quintio Romano Imperatore amicitiam jungere tentavit, ac licèt 4. mensium inducias obtinuisset, ab Urbe tamen Senatus Consultum allatum Quintio fuit, quô bellum adversùs Tyrannum decernebatur; hinc ille conventu sociarum Civitatum in certum diem indictô, ubi adfuêre: *præter alia, refero*, inquit, *ad vos, utrùm Argos, sicut scitis, ipsi ab Nabide occupatos pati velitis sub ditione ejus esse? an æquum censeatis, Nobilissimam vetustissimamque Civitatem in media Græcia sitam repeti in libertatem, & eôdem statu, quô cæteras Urbes Peloponesi & Græciæ esse. Hæc Consultatio, ùt videtis, totà de re pertinente ad Vos est. Romanos nihil contingit, nisì quatenùs liberatæ Græciæ unius Civitatis servitus non plenam nec integram gloriam esse finit.*

De Ætolis. At Ætoli senserant, quò tenderent Romanorum Consilia; hinc Alexander Princeps Legationis erupit, quòd vanô titulô libertatis „ ostentatô Chalcidem & Demetriadem præsidiis tenerent, qui Philip„ po cunctanti deducere inde præsidia, objicere semper soliti sunt, nun„ quam, donec Demetrias, Chalcisque & Corynthus tenerentur, li„ beram Græciam fore; postremò manendi in Græcia, retinendique „ exercitus Argos & Nabin causam facerent. Deportarent Legiones in „ Italiam: Ætolos polliceri, aut conditionibus & voluntate suâ Na„ bin præsidium Argis deducturum, aut vi atque armis coacturos, in „ potestate cansentientis Græciæ esse. Sed cuncti Ætholos increpârunt, adeò Romani devicerant animos; quare bellum adversùs Nabidem con-

(a) *Tit. Liv. &c.*

consensu decernitur, & Quintius callidè Legatum ad Ætolos quoque misit, magis ut nudaret animos, id quod evenit, quàm spe impetrari posse; cumque tentâsset Argos per Seditionem recipere, spe frustratus, Caput belli Lacedæmonem petere deliberavit; Nabis tamen quanquam bellô impar, nihil omisit, quod in eò rerum statu tyrannum agere oportebat; instructô namque ùt potuit, Exercitu, Urbeque satis communitâ, nè quid intestini motûs oriretur, eductis copiis in Campum, quem Tromon nuncupabant, Lacedæmonios positis armis ad Concionem vocari jussit, militibusque, cùm adfuissent, circumdedit, & pauca præfatus, ut Livii verbis utar, *cur sibi omnia timenti, caventique ignoscendum in tali tempore foret: Et ipsorum referre, si quos suspectos status præsens rerum faceret, prohiberi potiùs, nè quid moliri possint, quàm puniri molientes; itaque quosdam se in Custodia habiturum donec ea, quæ instet tempestas prætereat; hostibus repulsis, à quibus, si modo proditio intestina satìs caveatur, minùs periculi esse, extemplo eos missurum.* Sub hæc citari nomina 80. ferme Principum juventutis jussit, atque eos, ùt quisque ad nomen responderat, in Custodiam tradidit, & nocte insequente omnes interfecit. Helotiũ deinde quidam transfugere voluisse insimulati per omnes Vicos sub verberibus acti necantur. Hoc terrore adeò obstupuerunt multitudinis animi, ut nec quidem nova consilia cogitandi cupido incessisset.

De Romanorũ bello adversùs Nabidem.

Profectus igitur Quintius cum exercitu, castraque metatus juxtà Urbis mœnia, atque Eurothæ omnem, post tumultuarias aliquot pugnas Tyranni milites fugere coacti, atque ab Achæis auxiliariis locorum gnaris palantes passim occisi; hinc oppida maritima, ipsumque Gythæum, quod erat omnium opportunissimum, in potestatem Romanorum redacta, & Nabis undique interclusus cedendum tempori ratus, colloquium cum Quintio petit, obtinetque, die, locoque costitutis; hinc ad tumulos quosdam mediæ regionis Nabis cum delectis custodibus Corporis, Quintius cum fratre & Eumene Rege, & Sosileo Rhodio, paucisque Tribunis militum descendêre; primusque Nabis ipse verba fecit, interque alia, & postquam jure ab eo teneri Argos Urbem disseruisset; *cæterum*, inquit, *nomen tyranni, & facta me premunt, quòd servos ad libertatem voco, quòd in agros inopem plebem deduco. De nomine, hoc respondere possum: me qualiscunque sim, eundem esse, qui fui, cùm tu ipse mecum, T. Quinti, Societatem pepigisti, tum me Regem appellari à vobis memini, nunc tyrannum vocari, video. Itaque si ego nomen Imperii mutâssem, nihil meæ inconstan-*

tiæ; cum vos mutetis, vobis vestræ reddenda ratio est. Quod ad multitudinem servis liberatis auctam, & egentibus divisum agrum attinet (inter alia itâ se tuebatur) *nolite*, inquiens, *ad vestras Leges atque instituta exigere ea, quæ Lacedæmone fiunt, nihil comparare singula necesse est, vos à censu equitem, à censu peditem legitis, & paucos, excellere opibus, plebem subjectam esse illis vultis, atque* (impudentissimè quidem Legislatoris Lycurgi meminit, cùm ille Civitatis ordinem invertisset, cunctaque spretis legibus ad se traxisset) *noster Legumlator non in paucorum manu Rempublicam esse voluit, quam vos Senatum appellatis, non excellere unum aut alterum ordinem in Civitate: sed per æquationem fortunæ ac dignitatis fore credidit, ut nulli essent, qui arma pro Patria ferent.* Sed Romanus Imperator, postquàm satis magnificè, non ea liberatoribus Græciæ (vocabulis namque semper usi popularibus) asserenda affirmâsset: *summam*, inquit, *rem complectar, quibus maximè rebus amicitia violatur, si nempe socios meos pro hostibus habeas, sique cum hostibus te conjungas; utrumque à te factum est; Nam & Messenem unô atque eodem jure fœderis, quô & Lacedæmonem in amicitiam nostram acceptam, socius ipse Sociam nobis Urbem vi atque armis cœpisti, & cum Philippo hoste nostro non societatem solùm, sed si Diis placet, affinitatem etiam per Philoclem præfectum ejus pepigisti, & bellum adversùm nos gerens, mare circà Maleam infestum navibus Pyraticis fecisti, &c.* Tandem ad pacis conditiones ventum est, quæ cùm graves viderentur, & ille iniquiores causaret apud suum Populum, arma resumpta fuêre. Denuò igitur Quintius Urbem oppugnare aggressus, adeò acriter institit, ut licèt primò repulsus, Urbem tandem pars militum intraret. Jamque Nabidi nulla salutis spes reliqua. Sed Pythagoræ Generi virtus rem videbatur restituere, dum proxima quæque, quâ Romani irrumpebant, flammis daret, atque tegularum fragmenta, ambustaque tigna, tecta etiam ruere in Romanos faceret; quare qui extrà Urbem erant, recedere à muro coëgit, quique jam intercluderentur à suis, recipere se se consultius putârunt; & Quintius ipse receptui canere jussit, sicque à capta propè Urbe reditum in Castra; quare Pythagoras denuo à Nabide missus, quanquam primò non auditus, tandem eò rem deduxit, ut iisdem conditionibus, quæ primùm præscriptæ erant, induciæ fierent; interque alias, Argos Civitas in libertatem asserta. Ac sicuti Achæis Lecedæmonem in servitute relictam, laterique adhærentem Tyrannum placere nequibat, ità Ætholi occasionem inde captârunt, Conciliis omnibus Romanum nomen criminandi,

De Pactione Romanorũ, & Nabidis.

nandi: *cum Philippo,* inquientes, *non anteà desitum bellari, quàm omnibus excederet Græciæ Urbibus. Tyrannô relictam Lacedæmonem: Regem autem legitimum, qui in Romanis fuerat Castris, cæterosque nobilissimos Cives in exilio victuros. Nabidis dominantis satellitem Populum Romanum.* Hinc ad arma contra Romanos se parabant, & Antiochum Syriæ Regem sollicitabant, Nabidi temporum occasionem exspectanti stimulos addebant; qui cùm eos motus, jamque in Europam trajecturum Regem agnosceret, Classem instituit, & Gythæum navali certamine feliciter succedente, quô Achæos vicit, quanquàm probè munita Urbs erat, expugnavit. Sed Philopæmenes, mari licèt superatus, Laconiam terrestri exercitu invasit, commissoque prælio victor Nabidem in Urbem se recipere coegit; Copias tamen insidiis ritè dispositis, cùm Urbem quoque petere tentarent, adeò trucidavit, ut pauci evasissent incolumes, omnique vastatô agro domum rediit.

De novis Bellorum motibus Ætolis præcipuè Auctoribus.

Igitur ità bellum undique parabatur, & nedum Antiochum Ætholi exstimulaverant, sed ad Philippum quoque Legatos miserant, à quo vetusta Regum Macedoniæ fama, peragratusque Orbis terrarum victoriis ejus Gentis referebatur. Et tutum vel incepto, vel eventu se consilium referre affirmabant, nam neque ut ante se moveret Philippus, quàm Antiochus cum Exercitu transierit, in Græciam suadere, & qui sinè Antiocho adversùs Romanos, Ætolosque tam diu sustinuerit bellum, ei adjuncto Antiocho, sociis Ætolis, qui tum graviores hostes quàm Romani fuerint, quibus tandem viribus resistere Romanos posse? Adjiciebant de Duce Hannibale nato adversùs Romanos hoste, qui plures & Duces, & milites eorum occidisset, quàm quòd superessent. Sed Romanorum fortunâ Antiochus tardius quàm par erat,, motus; Philippus autem eorundem adjutor factus est; Igitur eo tempore bellum inter Nabidem, Achæosque duntaxat gerebatur; Ætoli autem inter eos animorum motus, apparatusque bellorum, jam enim trajecturum Antiochum in Græciam certi erant, cùm nihil omitterent ad sollicitandos cunctarum Græciæ Civitatum animos, & Romani pariter, nè iis jungerentur, audax consilium intereà uno die cepere, Chalcidem, Demetriadem, & Lacedæmonem occupandi, licèt quoad Demetriadem duntaxat eventus consilio respondisset; Lacedæmonem verò, Tyranno dolis sublato, occupare mens erat, & occasio à Nabide ipso allata, quoniam, ùt diximus, adversùs Achæos auxilia ab iis petiverat. Quare in sanctiori Gentis Consilio res duntaxat agitata; Ætoli namque licèt

De Ætolorum Civitatis forma.

priùs feorfim fibi confulerent, & peculiares Refpublicas inter fe diffidentes conftituerent, atque ingruente duntaxat externi hoftis metu fefe fœderis nexu fociarent, ab obitu tamen Alexandri Magni, ut rectiùs libertatem defenderent, arctiori Societatis vinculo in unum quafi corpus redacti erant, adeoque majus erat totius Gentis Concilium, quod Panætolium nuncupârunt, ftatoque tempore quotannis femel, & quotiefcunque res pofceret, conveniebat, coîbantque delecti ex Civitatibus, ac Populis, locisque, quibus hoc jus erat, cum mandatis, agendique poteftate Viri, penesque eum jura univerfa Majeftatis; quare nedum Leges ferri, abrogarique, bellum, pacemque juberi, fœdera percuti, reddique irrita, creari-que Magiftratus; fed maxima quoque Reipublicæ negotia ad eum referri opus erat, ùt nunc ferme Refpublica Battavica, Helvetiique, quanquam hos fæpiùs inter fe diffentientes fœdus duntaxat adversùs externos hoftes, eaque propter, quibus tanguntur univerfi, conjungere videatur; Legatos igitur audiebat, deque poftulatis cognofcebat, pariterque ab eodem ad exteros mittebantur, & Prætori uni, quem Στρατηγὸν nuncupabant, qui fingulis annis à Concilio legebatur, univerfæ Reipublicæ cura concredebatur. Hinc eo femper Duce bella gerebantur, convocabatque Concilium, deque negotiis omnibus ad idem referebat; licèt poftquàm retuliffet, non liceret ampliùs, fuadendo, diffuadendoque verba facere; quæ autem decernebantur, Prætor ipfe exequi jubebatur; Thermum autem forum totius Regionis celeberrimum, atque in medio pofitum fedes Concilii, ùt plurimùm, erat; atque fub eo Magifter Equitum, & publicus Scriba erant. Sanctius autem Concilium ex delectis è Primoribus Gentis Viris conftituebatur, quos *Apocletos* nuncupabant, quod in fubitis, maximisque negotiis providebat, quæque ad majus Concilium referri neceffe erat, priùs confultare folebat, atque hoc profectò Confilium fpecie auxilii Alexamenum cum valida manu ad Nabidem mifit, ità ut Ætolorum alii hoc fibi perfuafum haberent; Militibus igitur juffit in omnibus, licèt fubitis, maximeque arduis rebus Alexameno parere; illi verò arcanam duntaxat aperuit mentem, ut nempe Nabidem dolo interimeret, atque Lacedæmomone potiretur; cumque iis mandatis Spartam pergit, Nabidique exponit, quantum Ætholis curæ fint res fuæ, nec defuturos, cum integro Exercitu, ubi res pofceret, illi adeffe, fuadetque interim exercere Copias. Hinc educi ante Urbem in Campum ad Eurotham amnem cœpêre,

De Ætolorum Sanctioris Confilii dolo adversùs Nabidem.

cœpêre, & actu Alexamenus nunc cum Tyranno paucos inter ordines circumibat, & tanquam eum, quæ in rem esse viderentur, admoniturus, nunc in dextrum cornu ad suos adequitabat, velut mandata daturus, moxque ad Tyrannum se recipiebat; Cùm autem constitutus facinori dies advenisset, postquàm de more Nabidem esset prosecutus, ad suos concessit, & : *agenda, audendaque,* inquit, *res est juvenes, quam me Duce impigrè exequi jussi estis. Parate animos, dextrasque, nè quis in eo, quod me viderit facientem, cesset, qui cunctatus fuerit, & suum consilium in eo, interponet, sciat, sibi reditum ad Penates non esse.* Sic ponere hastas Equites jubet, seque unum intueri, collectoque ipse animo appropinquantis Nabidis equum transfigit, ipsumque deturbat, Equitesque priusquàm succurri potuisset, confodiunt. Quo patrato facinore Alexamenus cum universo Ætolorum agmine ad Regiam occupandam pergit; Nabidis milites, cùm pavor primò cœpisset, deinde relictum corpus inspicientes, spectatorum turba ex custodibus vitæ, mortisque ultoribus evasêre. Quapropter cœpta poterat perficere Alexamenus, si mens haud læva fuisset; debebat namque repentè in Urbe Concionem advocare Populi, scelera enumerare, nec ampliùs ab Ætholis tam iniquam sociorum Civium conditionem ferri potuisse, seque propterea missum, ut liberam Civitatem redderet, eaque de causa Tyrannum aggressum, datumque neci; quod propterea Dii beneverterent, liberos se esse scirent, majorumque instituta, patriasque Leges revocarent. Ille autem in Regia scrutandis thesauris dat operam, militesque ad prædam vertuntur; hinc Lacedæmonii Ætolos ad capiendam Urbem venisse rati, reique indignitate commoti, Regiæ stirpis puerum in equum imponunt, Regemque proclamant, arreptisque armis Regiam invadunt, Alexamenum obtruncant, Ætolosque per Urbem vagantes cædunt, adeò, ut minima ipsorum pars fugâ incolumis evasisset. Quibus à Philopæmene Achæorum Prætore auditis, non cunctandum in eo consilio ratus, quod non poterat laudari nisi peractum, Lacedæmonem proficiscitur, evocatisque Primoribus, habitâque Oratione, satis tempori congruente, Lacedæmonios Achæorum societati adjungit, Ætolique Ducis culpâ nedum spe frustrati, sed fraudis ex infelici exitu apud omnes insimulati, pœnas etiam, suorum amissione, dedêre.

De Nabidis cæde Ætolis Auctoribus, eorumque posteà occidione.

Sed novi motus oriuntur Exulum causâ, qui loca Regionis mari

De novis

Lacedæmoniorũ motibus Exulũ causa.

maritima incolebant permittentibus Achæis, quorum custodiæ commissa a Romanis erant; cùm enim eâ pace, cum Nabide factâ, obtinuissent, ut potentiam ejus imminuerent, Lacedæmonii ægrè ferebant Maris usu libero excludi, præcipuè verò Plebs, quæ peregrinarum rerum Emporio haud ampliùs carere patiebatur; Fit igitur conspiratio, noctuque maritimum quoddam Oppidum Las nomine per vim capiunt; Exules autem undequaque collecti, indigenisque immisti, luce ortâ Lacedæmonios expellunt, nec sinè cæde; statimque ad Concilium Achæorum Legatos misêre, à quo favente Philopæmene jussi Lacedæmonii authores, affinesque rei apud Las gestæ sibi dedi, sin secùs, ruptum fœdus existimarent; quod adeò Laconum animos exulceravit, ut sponte suâ societati Achæorum renunciarent, seque in fidem, ditionemque Populi Romani recipi tentarent, missis sinè mora Legatis ad Consulem Romanum Marcum Fulvium, qui tum in Insula Cephalene agebat. Quæ cùm essent Achæis à suis Legatis nunciata, bellum consensu Lacedæmoniis indixêre, & intereà Consul in Peloponesum venerat, ejusque jussu Concilium indictum apud Elidenses, & Lacedæmonii accersiti, ut causam disceptarent. Sed Consul utrisque auditis, cùm jam ad altercationes ventum esset, contentiones illas è Republica esse arbitratus, ut occasio inde de more arriperetur dissolvendi Achaici Concilii, totamque Græciam, quæ specie libertatis eò redacta erat, ut à nutu penderet Romanorum, integrè subjugandi, ut bello duntaxat abstinerent, præcepit, donec Romam ad Senatum Legatos utrique misissent; Achæi namque, ùt de Ætolis diximus, adeò arctissimo societatis vinculo juncti erant, ut, quanquàm singulæ Urbes suos haberent Magistratus, & Consilia, statu namque populari, ùt plurimùm, regebantur, nedum tamen unam Civitatem, sed unum ordinem ex illo arctissimo fœdere propemodum referrent, præcipuè verò à tempore instauratæ societatis, quod ad annum tertium Olympiadis 124. accidit; Sicut autem qui Civilis ordo in singulis Urbibus investigare inane fuerit, ità communis Reipublicæ, Societatisque formam agnoscere haud supervacaneum. Concilium igitur Populis illarum Urbium commune fuit, delectique Viri omnium, quæ in Societate erant, ad id bis quolibet anno statis temporibus, aut quotiescunque res poscebat, Prætore, aliove Magistratu indicente conveniebant, atque Ægium Urbs locus præcipuè Concilii Achaici erat, licèt Philopæmenis ætate Lege sancitum fuerit, ut in

De Achæorum Civitate.

orbem

orbem per omnes Civitates celebraretur; ſed poſteà Urbs Corynthi vicit cæteris amplior, atque illuſtrior; penesque illud ſumma rerum erat, ùt de Panætholico Ætolorum diximus. Sed & Magiſtratus erat Decem-Virorum, quos Demiurgos appellabant, ſuffragiis ejusdem Concilii creatus veluti ſanctius quoddam Concilium; ac licèt priùs Prætores duo annui crearentur, res tamen procedentibus temporibus ad unum rediit, qui cum ſummo illo Decemvirorum Magiſtratu cuncta exequebatur, quæ communi Societati intereſſent, Conciliumque ſummum regebat cùm ille, tum Collegium Decemvirorum, quo cùm omnia præconſultari oportebat, antequàm in Concilium referrentur, nec deliberari res poterat, nisì pars major aſſentiretur, illudque cùm nec Legibus, nec fœderibus, quod proponeretur, adverſum eſſet, petentibus dabant, eosque introducebant datâ dicendi facultate; nec præter ea, ob quæ erat Concilium convocatum, aliud referri poterat; Eratque ſancita Lex, quâ interdicebantur Urbes ſociæ ſeorſim ad exteros mittere Legatos, quam Lacedæmonios violâſſe Achæi conquerebantur.

De Romanor. artibus ad diſſolvendam Achæorũ ſocietatem.

Romani igitur Societatem illam diſſolvere, poſtquàm Græciæ rebus ſe immiſcuêre, in animum induxerant; hinc cùm Legatos, quos utrique miſerant, Senatus audiviſſet, perplexè adeò reſpondit, ut & Achæi ſibi de Lacedæmone permiſſum acciperent, ex fœdere ac Legibus ſuis agere, & Lacedæmonii diverſimodè interpretarentur; illi ergò Prætore ac Duce Philopæmene, cùm in fines Lacedæmoniorum veniſſent, Legatos misêre, qui Authores rurſum depoſcerent, polliciti, eos nihil indicta cauſa paſſuros; Illi verò, fide acceptâ à Legatis, ſpontè ſuâ ivêre, Civibus aliis illuſtribus, quique Advocatos illorum ſe profitebantur, comitati. Sed agmine factô venientibus ad portam Caſtrorum Exules occurrunt, poſtque jurgia, altercationesque impetum in eos faciunt, eoque tandem res deducitur, ut quanquàm Prætor, Achæique arcere voluiſſent, accenſa multitudo ad vocem unius, qui: *feri*, inclamavit, ſaxis tres ſuprà decem eorum, quibus vincula injecerat, interfecit; alios autem Sexaginta tres, licèt Prætor vim ab eis arcuiſſet, poſtero tamen die dicere cauſam juſſit, vixque pauca averſis auribus locuti, damnantur, & iratæ multitudini ad ſupplicium traduntur; dein imperatur Lacedæmoniis, ut muros diruant, atque ut mercenarios Nabidis milites agrô Laconicô ejiciant, ùt qvoque ſervos ab eodem liberatos, ùtque eos, qui manſerant, prehendendi, vendendi, abducendi jus Achæis eſſet;

Lycurgi quoque Leges, moresque abrogarent, eisque Achæorum assuescerent; Undè quanquàm imperata coacti fecissent, Romanorum tamen aures fatigare nunquam destiterunt; Illi autem fovere ignem, opportunum judicarunt, Authoribus Quintô Cæciliô Metellô, Appio Claudio Pulchrô, Quintoque Martiô Philippô missis ad res Macedoniæ Græciæque, inspiciendas; hinc postquàm in bellis cum Philippo Ætolisque, atque Antiocho eorum operâ usi fuerant, è dissensionibus illis vires eorum solvere unicè studebant; quodque erat perniciosissimum, jamque vergere ejus Reipublicæ fata ominabatur, Achæi ipsi discordiis intestinis laborabant, erantque Patriæ hostes, qui Romanis cuncta deferebant, eorumque gratiam stolidô adeò flagitiô captabant, ut Patriam proderent, præcipuè verò Diophanes quidam Lycortæ Polybii Patris æmulus, & Callicrates Leontesius; postque multa, quibus Senatus displicentiam eorum, quæ Achæi statuerant, ostendit, Quintus ipse Cæcilius Metellus ab Senatu ad Peloponnesum missus, in publico Consessu eosdem monuit, ut perperam facta deberent emendare, & nedum Aristhenus Prætor silentio probare visus, sed Diophanes odiô Philopæmenis impulsus læsos quoque Messenios eô authore ab Achæis fuisse dicere non erubuit. Philopæmenes autem, cum Lycorta, paucisque aliis ritè atque ex fœdere processisse Achæos demonstrare conabatur; hinc Metellus Sociorum Concilium petiit, & quoniam Lege vetitum erat convocari, nisi mandata exhiberentur, negârunt fieri posse, quod postulaverat; Igitur Romam reversus cum Legatis Græcarum Civitatum, inter quos Lecedæmonii erant, postquàm inter illos atque Achæorum acerrimè fuisset disceptatum, Metellus ipse in Achæos invehi, atque acerbè criminare visus est. Sed missi iterum Legati in Græciam, inter quos erat Appius Claudius Pulcher, atque is insitam familiæ superbiam, & ingenium præseferens, in Concilio, quod Clytoræ in Arcadia datum fuit, Achæis acriter exprobravit cædem secutam eorum, qui à Philopæmene ad causam dicendam evocati fuerant, muros dirutos, Legesque abrogatas, sublatamque vetustissimam Lycurgi disciplinam; cùmque Lycortas gravi oratione respondisset: *Scio*, inquit, *inter cætera Appi Claudi, hanc orationem quâ sum adhuc usus, neque Sociorum apud Socios, neque liberæ gentis esse, sed verè servorum disceptantium apud Dominos. Nam si non vox illa vana præconis fuit, quâ liberos omnium primos Achæos esse jussistis, si fœdus ratum est, si Societas & amicitia ex æquo observatur, Cur ego quid Capuâ captâ fece-*

feceritis Romani, non quaro? Vos rationem reposcitis, quid Achai Lacedamoniis bellô victis fecerimus? Interfecti aliqui sunt, finge, à nobis. Quid? Vos Senatores Campanos securi non percussistis? Muros diruimus: Vos non muros tantùm, sed Urbes & agros ademistis. Specie inquis, aequum est fœdus, apud Achaos precaria libertas, apud Romanos etiam Imperium est. Sentio Appi, & si non oportet, non indignor. Sed oro Vos, quantumlibet intersit inter Romanos & Achaos, modò nè in aequo hostes vestri nostrique apud Vos sint ac nos socii, imò nè meliore jure sint. Nam ut in aequo essent, nos fecimus, cùm Leges iis nostras dedimus, cùm ùt Achai Concilii essent, effecimus. Parùm est victis, quod Victoribus satis est; plus postulant hostes, quàm socii habent. Qua jurejurando, qua monumentis litterarum in lapide insculptis in aeternam memoriam sancta atque sacrata sunt, ea cum perjurio nostro tollere parant. Veremur quidem Vos Romani, & si ità vultis, etiam timemus: Sed plus veremur, & timemus Deos Immortales. Ac licèt cum applausu auditus, quoniam omnes locutum pro Majestate Magistratûs agnoscebant, & facilè appareret, molliter agendo dignitatem teneri apud Romanos non posse, Appius tamen: *suadere se,* inquit, *magnopere Achais, ut dum liceret voluntate sua facere, gratiam inirent, nè mox inviti & coacti facerent*; Achæi igitur religione obstricti id modò petierunt, ut Romani, quæ viderentur de Lacedæmoniis, mutarent; illi verò damnationem tantùm Arei & Alcibiadis, quæ nuperô Conciliô ante scilicet adventum Legatorum celebratô facta erat, & Exulum Lacedæmoniorum ab Achæis restitutorum, qui apud Romanos eorum accusatores evaserant, sustulêre.

De Legatis Romam missis, inter se diffidentibus & Civitate Lacedæmon. in societatem Achaicâ recepta.

Hic erat rerum Laconicarum status, cùm Legatos Romam misêre, qui in partes scissi Senatûs aures fatigabant; alii namque eô in statu Laconicam Civitatem conservari poscebant, qui fuerat, cùm Concilii Achaici particeps evaserat: alii ut exules Patriæ redderentur, utque bona omnia restituerentur; alii verò quoad bona singulis tantùm illis reddi censebant, quantum talento æstimaretur, reliqua autem in Cives de Republica bene meritos distribuerentur; & postremò ut Civitas quidem in jam dictum statum reduceretur, sed qui morte damnati, aut in exilio essent, Patriæ restituerentur; Cumque Senatus tres Viros delegisset, qui rem componerent, consensu tandem Civitas in Societatem Achaicam recepta, & Exules restituti, de bonis autem nihil actum. Frustrà tamen quoad Exules à Legatis conventum erat, quoniam absque mandato de iis egerant, & decretum Columnæ erat inscriptum. Sed cùm Quintus

tus Martius Philippus denuò à Senatu in Macedoniam & Peleponnesum missus, Romam reversus esset, quo tempore Messenii Dinocratis cujusdam nefarii hominis causâ cum Achæis, à quorum Societate recesserant, bellum gerebant, Senatum monuit, tempus esse, quô Achæorum spiritus infringi poterant, jamque oportere demonstrabat, cùm elatos adeò agnovisse diceret, ut ex se ipsis deinceps cuncta gerere, & nihil ad Romanos referre cogitarent. Suasitque propterea Achæorum Legatis ostendere, facta Civitatis Achaicæ Senatui displicere, ut Lacedæmonii animos sumerent, & cum Messeniis Achæorum tunc hostibus sese conjungerent; hinc evafurum, ut Achæi Romanorum auxilia supplices petere cogerentur; quâpropter diversimodè Legatis Civitatum responsum est; Lacedæmoniis, fecisse Senatum, quod è re fuisse judicaverat, nec amplius ad curam suam negotium illud pertinere; Achæis verò, qui auxilia ex fœdere poscebant adversùs Messenios, aut si ea denegarentur, saltèm Senatus provideret nè frumentum aut arma ex Italia Messenem deferrentur, significavit, nil sibi interesse, si aut Argivi, aut Corynthii, aut Lacedæmonii eorùm Societati renunciarent, quod velut præconium fuisse Polybius advertit, quô cuncti audirent, permittere Romanos Achæorum Societati renunciari; & interim bellum exulceratis utrinque animis cum Messeniis graviter exarserat, eôque bellô, cum octavùm Prætor esset Philopæmenes, jamque suprà septuagesimum ætatis annum ageret, ut incendium in ortu ipso exstingueret, festinans cum Copiis inopinos in hostes incidit, ac Messenem pertractus fuit, Vir nemini maximorum Ducum Secundus, præcipue verò in ducendo agmine, locisque capiendis solertiâ atque usu; nec duntaxat ad id belli temporibus, sed in pace etiam animum exercuerat; potuissetque effugere; sed *pudor relinquendi equites nobilissimæ gentis*, ùt Livius ait, *ab ipso nuper lectos tenuit*, quibus dum locum ad evadendas angustias cogendo ipse agmen præbet sustinens impetus hostium, prolapso equô, & suô ipse casu & onere equi super eum ruentis haud multum absuit, quin examinaretur; Ibi verò sententiis super eô viro certatum, sed vicêre defectionis Messeniorum authores, & missus, qui venenum ferret, acceptôque poculô nihil aliud locutum ferunt, quàm petiisse, si incolumis Lycortas (is alter Imperator Achæorum erat) Equitesque evasissent; posteà quàm dictum est, incolumes esse: *bene habet*, inquit, & poculô impavidè exhaustô haud ità multò post exspiravit. Sed debellatâ posteà

De Philopæmene à Messeniis capto, ejusque obitu.

steà à Lycorta Messene, noxios dedi postulavit, jussique omnes sibi mortem consciscere, primusque Dinocrates sese interemit; ossa Philopæmenis ab universo Achaico Concilio sepulta *adeò omnibus humanis congestis honoribus* (verba sunt Livii) *ut nè Divinis quidem abstineretur.* „ Ab Scriptoribus rerum Græcis, Latinisque tantùm huic Viro „ tribuitur, ut à quibusdam eorum velut ad insignem notam hujus „ anni memoriæ mandatum sit, tres Claros Imperatores eò annô de- „ cessisse, Philopæmenem, Hannibalem, P.Scipionem; adeò in æquo „ cum duarum potentissimarum Gentium summis Imperatoribus po- „ suerunt.

De Messeniis, & Lacedæmoniis iterùm societati Achaiæ restitutis, turbatoque denuò rerum statu propter Exules.

Messenii igitur denuò Societati Achaicæ restituti, & Senatus de his certior factus, Legatis Achæorum indicavit jussisse, nè Messeniis Commeatuum aliquid ex Italia deferretur, adeò Romani temporibus se conformare studebant. Lacedæmonii igitur Legatis ipsorum domum reversis, post multas dissensiones Lycortæ virtute, qui iis auditis Concilium Achaicum Sycionem convocaverat, Societati Achaicæ se adjungunt, Decretumque Columnæ inscribitur, missique ab utrisque Romam Legati, qui gesta Senatui nunciarent. Sed Exulum negotium adhuc infectum novandarum rerum occasionem denuò præbuit; cùm enim Prætor esset Achæorum Hyperbatus, è factione Callicratis, Leontesii, atque Diophanis, & Exulum Legatus literas à Senatu impetrâsset de iis restituendis, eas coràm Concilio recitari fecit; cùmque Lycortas, atque Aratus Sycionius Arati prioris filius obsisterent tanquam contra Jusjurandum Leges, atque fœdera Columnis inscripta, quibus ea Respublica continebatur; Concilii sententiæ scissæ adeò sunt, ut tandem Legatos mittere fuerit deliberatum, qui mentem Senatûs exquirerent, num scilicet importunitati Exulum literas concesserit, aut num eas Civitatis Leges violari patiatur? Missi igitur Callicrates ipse, Lisiades Megalopolitanus, atque Aratus Sycionius. Sed Callicrates, cujus ingenium jam Romani experti erant, ac propterea ei favere studebant, solus auditus à Senatu est; at ille non mandata Achæorum exponere, sed Senatum ipsum negligentiæ arguere cœpit, apud eumque contumaces Achæos reddere; cùm enim in partes duas scissa Civitas esset, & hinc obsecundandum Romanis, juraque ipsa Civitatis eorum voluntati posthabenda, illinc verò ab iis non esse discedendum, & hoc acceptius Populo; eos propterea, qui Romanarum essent partium despectos, invisosque esse, unde Senatus quo minùs adverte-

verteret, Achæos afferebat, magis aufuros eſſe, exemploque confirmabat Meſſeniorum, adversùs quos non exſpectatâ Senatûs voluntate, Quintoque Martio fruſtrà diſſuadente bellum Achæi geſſerant, cumque iis atrociùs egerant, qui Romanos controverſiarum Arbitros concupiverant, eodemque modo ſe gerere cum Exulibus docebat; quorum reſtitutioni, quoniam Romani ipſi interceſſerant, Legum prætextu nunquam aſſentiri ſtatuerant; quæ verba altiùs adeò penetrârunt Romanorum animos, ut vel iis ad Achæorum excidium properantibus ſtimulos addidiſſe viſa fuerint; nedum enim literas pro Exulibus reſtituendis ad Achæos dedêre, ſed Ætolis quoque, Epyrothis, Athenienſibus, Bæotis, Acharnanibus ea de re ſcripſerunt, atque apud Achæos ipſos, Legatis cæteris omiſſis Callicratis tantummodò honoratiſſima mentio facta eſt, ità nempe eſſe oportere, qui Rempublicam tractarent, qualis ille eſſet; hinc proditor acceptus Populo Prætor deſignatur, necdum Exules Lacedæmonios, ſed & Meſſenios pariter reſtituit, Leges quoque, moresque veteres Lacedæmonios recipere permiſit, unoque verbo fœdus Achæorum cum Romanis in clientelam vertit, imò perpetuus Romanorum explorator, facta, dictaque Civium deferebat, ſuſpectosque iis reddebat, quos privatis ipſe odiis agitatus vellet; hinc confecto Macedonico bello cum ultimo ejus Gentis Rege Perſea, Romani tempus advenisse rati, quo Græciam ſuo arbitrio componerent, Decemviris in Macedoniam miſſis, ut Regnum illud in Provinciam redigerent, mandârunt etiam, ut ſtatum Græciæ inquirerent; hinc ab ipſis, Achæorum plus quàm mille, inter quos Lycortas, filiusque Polybius fuêre, patrias ſedes deſerere juſſi ſunt; ac licèt verbotenùs Romam ad dicendam cauſam miſſi eſſent, re tamen, ut ſolùm perpetuò verterent, mens erat; utque in cuſtodiis etiam per loca Romano Agro proxima detinerentur; nec niſì pauciores trecentis poſt decem ſuprà ſeptem annos reſtituti fuêre, Gentis Prætore Menalcidâ Lacedæmonio, atque pro iis Catonem interceſſiſſe, ut Polybio morem gereret Plutarchus ſcripſit, qui in Senatu: *Videmini mihi*, inquit, *Patres conſcripti, non aliter ac ſi nihil nobis ſit, quod curemus, ità totum diem de Græcis aliquot decrepitis altercando conſumere, quaſi verò multum interſit, in Italia, an in Græcia illi ſepeliantur*; Cùmque Polybius ſuper honorum, & Magiſtratuum reſtitutione, quam à Senatu petere fluctuabat, Catonem ipſum conſuluiſſet, reſpondiſſe idem Author prodidit, videri ſibi Polybium velle Ulyſſem

De Achaja in Provinciæ formam à Romanis redacta. De Polybio.

ſem imitari, qui ſpeluncam Cyclopis denuò adiit, ut pileum, cinctumque ſuum, quorum erat oblitus, reciperet; Ille igitur Patriæ ruinam inſtare videns, jam Scipionis amicitiâ, virtuteque ſuâ Romæ clarus, manere ſibi ſtatuit, donec viveret. Sed Menalcidæ Spartani, qui primo anno Prætor Achæorum fuerat, & Diæi Megalopolitani, qui tum erat improbitate, Callicratisque nequitia bellum inter Lacedæmonios, Achæosque erupit; quod tandem exitium ambobus attulit, cùm enim Legati Romam ab utrisque miſſi eſſent, tres iidem Viri, & Callicrates facinorum fortaſſe conſcientiâ Rhodum deflexiſſet, ut illic finem vivendi faceret, duo alii in Senatu fœdè rixati, cùm ſtomachum moviſſent, reſponſum accepêre, Legatos in Græciam miſſurum, ut in omnia inquirerent, componerentque diſſidia; At illi diverſa utrique nunciârunt, adeò ut ante Legatorum adventum Achæi denuò arma ſumpſiſſent, Prætore, ac Duce Damocrito, nec Lacedæmonii minori animorum motu ad arma quoque concurrere viſi fuere, commiſſoque prælio cæſis fortiſſimis quibusque ſuorum fugam cæteri arripuêre, atque in Urbem ſe receperunt, Prætorque Damocritus cùm potuiſſet Urbem capere & propterea intempeſtivè receptui canere juſſiſſet, Majeſtatis damnatus, clam ex Achaia profugit, Prætorque iterum Diæus deſignatus, qui, quanquàm induciæ pactæ fuiſſent Quinti Metelli operâ Macedoniam tunc ordinantis ad adventum uſque Legatorum, Oppida Laconiæ in partes traxit, præſidiisque munivit. Apertè tamen Lacedæmonii inducias violârunt, Duce namque Menalcidâ Oppidum Jaſum nomine, ditionis Achæorum armatâ manu aggreſſi, diripuêre, quanquàm Menalcidam eò Civium odium ob excitatum alieno tempore bellum adegerit, ut veneno hauſto vitam finire ſatiùs judicaverit. Hos inter motus venêre tandem Legati, quorum Princeps erat Lucius Aurelius Oreſtes Vir Conſularis, ſtatimque Magiſtratus ſingularum Achaiæ Urbium Corynthum evocârunt, coramque Prætore, iisque omnibus edixêre, ab Senatu Romano æquum cenſeri, cùm Lacædæmonios, tùm Corynthios ex Achæorum Societate ſeparari oportere; itemque Civitatem Argivorum Heracleam Theſſalicam ad Oetum montem, atque Orchomenum Arcadiæ, quoniam nîl in uſum Achæorum contribuere videntur, nuperque eisdem adjunctæ ſunt. Vix tamen eam Sententiam Oreſtes pronunciaverat, cùm ab Achæis Populus ad Concionem vocatur, isque furens in Spartanos nec hoſpitio Legatorum, ad quod tanquam in Aſylum ſe ſe rece-

receperant, excepto, impetum facit, eosque in vincula conjicit, & Legati Romam missi. Sed hi Romanorum aliis in Achaiam ea de causa euntibus obviantes, cum iis pedem referre existimârunt, quorum audito adventu Crytolaus Prætor, Successorque Diæi iisdem ad Urbem Arcadiæ Tegeam occurrit; cùmque illi Concilium Gentis petivissent, quanquàm eis coram convocâsse videretur, clam tamen jussit, nè ii, quos ad Concilium venire oportebat, domibus suis moverentur. Cùm igitur Legati illusos se viderent, quanquàm eos exspectare legitimi Concilii diem rogâsset, reditum Romam festinârunt; & Senatus iis auditis, lectisque Metelli literis, bellum in Achæos decrevit, erupitque consilium, quod diù coxerat, propterque tempora anteà maturare nequiverat, Achaiam in Provinciæ formam redigendi; eo namque, quod Metellus incœpit, perfecitque Lucius Mumius, Achæi debellati, eversoque funditùs eorum ordine, cum tota Græcia Romanis servire coacti. Jam diù namque Ætolis libertatis nervos inciderant, licèt simulacra reliquissent; ipsis verò subjugatis Ætolia quoque in Provinciæ formam, ùt omnes aliæ Græciæ Ditiones, redacta.

De Civitatis Lacedæmonior. interitu.

Sed Lacedæmon in pretio apud Romanos videbatur; ac licèt Mythridatico bello turbaretur, statim tamen motu illo sublato ad Augustum usque quievit; Hic enim Imperii Provinciis aliter ordinatis Oppida viginti quatuor Laconici Agri Civitati exemit, suisque Legibus vivere jussit; licèt autem immunitatis, ac libertatis quâdam specie potiretur, ea tamen rerum conversio secuta est, ut prior Civitas interitum omninò passa fuerit, & quanquàm ex ruderibus alia erupisse forma visa esset, ea tamen ingloria, & sub Romanorum potestate precariò duntaxat suis Legibus usa est. Hinc oblivioni tradita, nec Scriptorum ingenia exercuit, nec Populos ampliùs armis fatigavit, donec à Mahomete secundo ejus nominis Turcarum Domino capta nomen quoque posteà amisisse visa est, nam hodie Mizithram nuncupant, & Oppidum potiùs, aut Vicum, quàm Urbem dixeris. Ea est rerum humanarum vicissitudo. Licet autem & vitia, quæ advertimus, præcipuè verò Civium paucitas, & sæva illa Lycurgi disciplina haud ab initio integrum conservari potuisse Civitatis statum arguissent, Ephororum tamen Magistratus, cùm omnia ad se traxisset, atque popularis esset, pessumdare præcipuè visus est. Hinc ab iis, qui paucorum dominationem constituere videbantur, ad unius redacta Tyrannidem, con-

ver-

versiones posteà aliam super aliam invalido jam Legum, ac Magistratuum auxilio passa est, donec intereà Romani virtute, arcanisque dominationis, quæ cunctis meliùs, exercere noverant, Græciæ inhiare cæperunt; ac licèt variis bellorum casibus impliciti, Ætolorum, Achæorumque Societates inivisse necesse fuerit; alios tamen post alios attrivêre; cùm ii discordiis inter se agitarentur, atque intereà Romanos ipsos suis opibus adjuvarent; Illi namque, ùt alibi diximus, iis artibus Orbem penè subjugârunt, ut sociorum sanguine de hostibus triumpharent, solique gauderent victoriarum fructu; nec cæteros unquam eadem vestigia tenuisse palàm est; quæ enim Civitates opprimere alias, atque in servitutem redigere consueverant, ruinam vel ex eo patiebantur, quòd parta conservare nequirent; & Achaica, Ætolicaque fœdera, dum plures Urbes sibi armis adjungere parabant, res potiùs suas confundere, quàm meliùs, fortiusque stabilire videbantur; nec enim fœderatarum Civitatum systemati bellis sociare sibi aliàs prodesse unquam poterit; cùm duntaxat tot arctissimo fœdere copulari necesse sit, quot ad repellendos hostes, statumque conservandum sat esse queant; nàm aliàs fœdus ipsum, ex quo nunquam diversi moris, atque ingenii homines ad eundem scopum posse collimare palàm sit, dissolvi intestinis dissidiis necesse est, ùt Achæorum, aliarumque sociatarum Civitatum exemplis satìs abundè comprobatur.

PARS II.

De Athenienſium Civitate.

De Græcorum originibus.

ATHenarum verò Civitatis forma longè diverſa; atque hinc Inſtituta quoque & Leges, quæ Civitatis ordinem ſequuntur, eique accommodari perpetuò debent. Antequàm autem eandem explicemus, de ipſis Græcorum Originibus, quanquàm ſuprà eas videamur attigiſſe, pauca iterum innuere haud abs re erit. Ac ùt in reliquis etiam Populis non ſemel advertiſſe reminiſcimur, Græcos quoque origines ſuas conſecrare, atque ad Deos referre voluiſſe patet. Vetuſtiſſimi autem ipſorum, præſertim verò Poëtæ rerum primordia, prout humano ingenio licebat, fabulis explicare conati, Ægyptiorumque, atque aliarum Gentium morem ſecuti, Theologiam quandam, ut Populos illos faciliùs jure ſociarent, prætexuêre; atque hinc Homerus ex eadem Theologia fabulas alias deducit, ut magìs homines ſapientiâ informaret, nam ex Iliade præcipuè militares, ex Odiſſea Pacis artes haurire licet. Rejectis igitur quotquot ſunt fabuloſis Græcorum adinventis, & omittens etiam

Quicquid Græcia mendax audet in hiſtoria.

paulò poſt hominum diſperſionem, quæ apud Turrim Babel ſecuta eſt, ùt è Sacro Codice docemur, quoſdam ex iis ea loca petiviſſe conjici poteſt, & Phœnices, ſeu Chananæos Patriâ pulſos Regionem præcipuè repleviſſe, ùt diximus, atque invexiſſe artes, & Diſciplinas; hinc nec Græcorum Annales ultrà illa tempora aſcendere videntur, & cùm in Religione, ipſiſque diſciplinis; tùm in Populorum, atque Urbium, & vetuſtiſſimorum Heroum nominibus aperta occurrere Phœnicum veſtigia adverterunt non pauci, inter quos (a) doctiſſimus Bochartus; Inachi namque Nomen, quem Moſis ævo vixiſſe traditur, quique Argivorum Regno in Peloponneſo dedit initia, Phœnicium fuiſſe, quoniam illi Anachi ſe filios aſſerebant, deque eo mirum! quot fabulas narrârunt; ab eo autem ad Gelanorem uſque Inachidæ Reges nuncupati, Argis quoque regnârunt. Ille verò patrio Regno expulſus locum Danao fecit Ægyptio, cui Argivorum conſenſu Regnum delatum, quoniam ab Inacho ipſo originem trahere credebant, velut Epaphi Jove ex Jo

(a) *Can. de Phœnic. Colonia lib.* 1. *&* 2.

Inachi

Inachi filia geniti. Ab eo autem ad Acrisium usque quatuor Reges numerantur, cùm hic à Perseo Nepote occisus fuerit, atque ab eodem Mycenas Regnum translatum. Euristeo autem ex ea stirpe ultimo ab Heraclidis sublato, Pelopidæ Regnum occupârunt, & ex his ultimi Tisamenus, & Penthylus fuêre Orestis filii. At Sycioniorum Regnum, si, ùt à Scriptoribus fertur, seriem Regum attendamus, multò priùs quàm Argivorum exordia habuisse sequeretur; Egialæum namque primum faciunt, cui initia tribuunt anno Orbis 1900., & ad Zeusippum usque Reges 25. numerantur. Cùm intereà nihil in Græcis historiis contineri ante Inachum, ejusque filium Phoroneum, qui primùm regnârunt Argis, vetustissimi Scriptorum fateantur; & Inachus 2148. anno rerum potiebatur. Phoroneus autem rudes primùm homines, palantesque jure sociavit, ac Oppidis muniit, ejusque tempore Ogygys Regnum in Attica celebratur; sub quo magnum diluvium contigisse, quod Ogygyum nuncupârunt, prodidêre; cùm autem ante primam Olympiadem mille ac viginti annis Ogygys Dominatus referatur, quid nisì fabulæ, atque Poëtarum inventa poterunt exspectari? His igitur transmissis, ùt aliis, quæ de Thessaliæ Rege Deucalione traduntur, & quomodo ab Hellene filio Æolicum genus, Doricum, & Jonicum propagatum asseratur, vidisse sufficiat, eâ tempestate Regulos fermè cunctas majores Græciæ Civitates habuisse, quos Eusebius, atque Syncellus ex ipsismet fabulosis temporibus haurire visi sunt.

De Regibus Athenarum.

Athenas igitur Reges etiam primùm habuêre, præque cæteris inclyti Cecrops, qui primus regnâsse fertur, Theseus, & Codrus, ùt ex iis, quæ sequuntur, palàm fiet. Cecrops autem Ægyptius erat, & Atticam primus Regionem in 12. Oppida distribuit, 772. ante primam Olympiadem anno, Cecropiam nempe, Tetrapolim, Epaciam, Decelliam, Eleusim, Afytnam, Thoricum, Brauronem, Cytherum, Sphettum, Cephesiam, & Phalerum; Cecropia autem Caput rerum erat, & hæc posteà Athenarum nomen obtinuit; Populum verò in 4. divisit Tribus, Cecropidem nempe, Autochtonem, Acthæam, & Paraliam; Ille autem, cùm Acthæus, quem etiam Atheona vocârunt, Atticæ Regioni dominaretur, ex Ægypto ea loca petivit, atque adeò sibi Principem illum conciliavit, ut ejus filiam obtinuerit, cùm primus in ea Regione nuptiarum ritus attulisset; anteà namque Brutorum more liberi non nisi matres agnoscebant, eaque de causa biformem effinxêre, seu cùm hominem

eum fuisse, atque Leonem posteris traderent, prudentiâ fortasse, ac fortitudo ejus indicabatur. Posteà verò, cùm hostes undique terrâ, marique Agrum vastarent & Ora, Cecrops primus palantes in Oppida, ùt dictum est, coire fecit, ac tunc demum Soceri auctus opibus Regem se proclamari curavit, nec Regnum adeptus, superstitione quoque sibi firmare deseruit; narratur namque fabula de Neptuno, atque Minerva, quòd eam Regionem adiverint, quòdque ille percusso Tridente, solo, fretum; Deam verò terram, olea produxisse, secutoque inde dissidio inter ea Numina Minervam judicibus à Jove 12. constitutis, Cecrope Rege testimonium ferente, palmam obtinuisse, Deæque propterea Regionem fuisse consecratam. Quanquàm igitur Oppida illa suas Curias, Magistratusque suos, atque ordinem habuerint, uni tamen Regi parebant, qui propterea supremum Judicium in Areopago instituerat. Regnum autem quanquàm hæreditario jure deferebatur, consensu tamen Populi, atque proclamatione futuro Regi opus erat; atque Reges inter, & Populum causæ quoque in Areopago definiebantur.

De Concilio Amphyctionico.

Cecropem autem excepit Cranaus ejus Gener, qui Tribuum nomina mutavit, & Cranaidem, Atthidem, Mesogeiam, atque Diacridem nuncupavit; ejusque tempestate Deucalionis diluvium contigisse affirmatur, anno nempe ante Christum 1529. Sed eum expulit Amphyction Gener Deucalionis filius, Neposque Promethei. Atque hic est ille Amphyction, qui primus illud celebre Amphyctionicum Concilium totius Græciæ propè Thermopilas in Cereris fano constituit; ac propterea ipsius quoque delubrum posteà ibidem cernebatur, Ejusque 12. Græciæ Populos participes jussit esse, Jones nempe, Dorienses, Dolopes, seu Perrhæbos, Emianes, seu Ætæos, Bæotos, Magnetas, Achæos, Phthiotas, Malahenses, Delphos, Phocenses, atque Lovrenses; quo autem tempore, & quomodo sedes in Phocidem translata, & an reverà Amphyction ipse primus fuerit Institutor, nostrûm haud erit investigare; ac propterea advertisse sufficiat, Delphos posteà procedentibus temporibus constitutum, Phocidis Regionis Urbe celeberrimâ, & ibidem Templum erat Apollinis magcificentissimum, ad cujus Oraculum exteri Populi, Regesque undequaque confluere videbantur, eratque supremum præfatarum Gentium Tribunal, quo duntaxat definiri graviores causas inter Civitates, atque Populos oportebat; quique propterea quomodocunque se turbari videbant, juribusque suis fraudari,

ri, vim vi repellere nequibant, sed Concilium illud adire tenebantur, & judicium poscere; latis verò sententiis, si parere recusabant, Leges erant præscriptæ, quibus illicò auxilia cæteri Populi præstare debebant; quapropter nunquam Sententiæ irritæ cedebant, nam etiam armorum vi judicata exequi oportebat. Judices autem conveniebant bis in anno statis temporibus, Vere nempe, atque Autumno, licèt si res posceret, extra ordinem coirent. Singuli autem Populi delectos mittebant Viros binos, aut ternos juxta sancitum inter se fœdus, quare ab aliquibus Vir unus quoque mittebatur. Hos autem florentis Græciæ temporibus *Phylagoras* nuncupabant. Unde Æschines: *harum*, inquit, *Gentium unamquamque demonstrabam par suffragii jus habere, maximam idem, quod minimam: eum qui venisset Dario, & Cythinio tantùm valere, quantum Lacedæmonios. Binum enim quamlibet Gentem suffragium ferre. Ex Jonibus item, Erithræum, & Pryenensem, ac cæteros eodem modo.* Judices autem illi præter publicas causas Templum quoque Delphicum curabant, thesauros, atque anathemata custodiebant, ludisque Pythiis in honorem Apollinis, quos ipsi instituerant, altero quoque anno præsidebant. Primus autem Philippus Macedo res novâsse visus est cum Phocensibus ob admissum Sacrilegium, de quo suprà mentio facta est, Lacedæmoniisque, quoniam illis opem tulerant, jus Concilii ademisset, atque Macedoniæ tribuisset, licèt Phocenses post annos 78. circiter, quoniam rem bene adversùs Gallos gessêre, jus pristinum recuperârunt; Augustus autem cùm Nicopolim Urbem condidisset, in memoriam Actiacæ victoriæ, quâ Antonium debellavit, ei Urbi jus illud Concilii contribuit, & Magnesios, Malahenses, Phthiotas, Enianes, ac Thessalos loco movit. Cæterùm Antonini Pii ætate Concilium illud, specie quanquàm viguisse, tumque 30. Assessores habuisse, Pausanias tradit.

Amphyctione autem fato functo, Erycthonius Regnum occupâsse traditur, Tribusque etiam aliter nuncupâsse, Diacridem nempe, Athenaidem, Posotoniadem, & Ephestiadem. Hinc quoque Panatheneorum institutio, & Virginum, quas dixêre *Canephoras*. Postque eum Pandion filius, quo Rege Cererem, atque Dionysium Atticam petivisse, Celeumque Eleusinæ Regulum frumenti serendi rationem docuisse, Bacchum verò Vitis sationem proditum est. Hunc autem excepit Ereoteus filius, qui primus Sacra Eleusiniæ Cereris Athenas induxit, & Bœtromiorum quoque Au-

 thor

thor habetur. Tribus autem ex Civium munere nuncupavit Armatos, Agricolas, Caprarios, atque Opifices. Post quem Cecrops minor, ac Pandio minor Cecropis filius Reges Atticæ fuêre, secutusque Egeus Pandionis filius Thesei Pater, qui eam formam primus invertisse visus est, atque plenæ libertatis, quâ procedentibus temporibus Athenæ floruêre, fundamenta jecisse; nam Cives universos ex Agris, atque Oppidis coire fecit in unum corpus, unamque Urbem habitare. Cùm enim Juvenis adhuc Patri successisset, jamque rerum apud Cretam gestarum gloriâ celebris esset, & Civitatem etiam gravissimo onere liberâsset, majori cœpit gloriæ cupidine flagrare, nec meliùs id assequi rebatur, quàm si per Oppida, & Agros distractos Cives in Regiam Urbem contraheret, eamque melioribus institutis informaret; quâ igitur pollebat eloquentiâ, prudentiâque Civitatem omnem circuivit, & Oppidanos illos, atque Agrestes homines adeò flexit rationibus, ut deserere lares, loco cedere, quo tum in eo Civitatis ordine reperiebantur, & denique cuncta exequi ad Thesei nutum, magna animorum consensione passi fuerint. Hinc Urbs subitò media in Græcia enata, murisque cincta, & statim omnes alias antecellere, cùm Civium numero, tum artibus, disciplinis, opibusque visa est. Formam autem Civitatis ità constituit, ut Civibus primùm in Classes tres distinctis, Patriciorum nempe, Agricolarum, atque Opificum; Patricios Sacra curare, Magistratus, atque dignitates capere, Legesque interpretari jussisset, atque propterea ut eos dignitate superiores effecit, ità rusticos usu, alios verò multitudine præstare voluit; hinc Thucidides: *Cecropis*, inquit, *& primorum Regum ætate, Attica perpetuô ad Theseum usque oppidatim est habitata, & Prytaneis, & Magistratibus usa*; „ Neque verò nisi duris temporibus conveniebant ad Re-
„ gem de rebus communibus deliberaturi. Sed per se quisque Civita-
„ tem gubernabat, atque consilium capiebat. Quin etiam nonnulli
„ eorum aliquando bellum cum Regibus susceperunt, ut Eleusinii ad-
„ juncto Eumolpo, cum Erectheo. Posteà verò, quàm Theseus Re-
„ gnum obtinuit, Vir non tam prudentià, quàm opibus clarus, cùm
„ aliis in rebus Civitatem ordinavit; tum verò aliorum Oppidorum
„ Curiis, quæ illi Buleuteria nominârunt, & Magistratibus dissolu-
„ tis in eam, quæ nùnc est, Urbem unâ Curiâ, & uno Prythaneo
„ constructo omnes ad incolendum contraxit, & tractantes res suas
„ quemque, ùt anteà, uno uti Oppido coëgit, quod omnibus de-

De Theseo Rege, & novo Civitatis ordine.

mum

„ mum ad id conferentibus auctum, ac poſteris à Theſeo traditum eſt, huc uſque Thucidides. Quomodo autem Magiſtratus fuerint ex Theſei ordinatione deſignati, an ſcilicet ab ipſimet Patriciis ex Claſſe ſua, an verò cæteræ etiam Claſſes ſuffragia tuliſſent; quique tunc primùm fuerint cæteri Magiſtratus, aliaque ad eoſdem pertinentia, in tanta temporum vetuſtate planè ignoratur. Ex Authoribus autem, cùm popularem ſtatum à Theſeo conſtitutum fuiſſe pateat, & ad ſua initia procedentibus temporibus redactum, iidem indicent, minimè dubitandum videtur, Populum univerſum admiſſum ad ſuffragia fuiſſe, nullæ namque fuiſſe partes Populi, ſi in Reipublicæ negotiis, creandisque Magiſtratibus jure ſuffragii caruiſſet, nec propterea ſtatus fuiſſet popularis. Ille autem cuſtos duntaxat Legum, ac Religionum, & perpetuus bellorum Ductor cum dignitate Regia eſſe voluit.

De Meneſteo, & ſequuta converſione.

At inter alios Proceres Meneſtheus erat Erecthei Regis Pronepos Theſei æmulus, & hic adeò regnandi cupidine exſtimulabatur, ut in Theſeum ſtatûs popularis authorem Civitatem concitaret, eumque propterea ſolum vertere cogeret; hinc rerum potitus, quòd repentè ſtatuta invertiſſet, non eſt ambigendum; & quanquàm in bello Trojano, quod eâ tempeſtate exarſerat, occubuiſſet, ac Theſei filius Demophoon Rex fuiſſet conſtitutus, haud tamen de Theſei forma cogitâſſe legitur, quanquam ſpecies ejusdem remanſiſſet; cùm igitur ea de cauſa velut imago quædam ante oculos obverſaretur,, & propterea Theſei memoriam excitaret, divinos etiam ei honores tribuiſſe Populus viſus eſt, templumque conſecravit, miſſis etiam in Inſulam Scyrum, ubi fato functus erat, qui oſſa perquirerent, atque in Patriam deferrent.

Eum verò, cùm ſinè liberis deceſſiſſet, excepit Oxintes frater, atque hujus ſucceſſor fuit Aphitas filius, quem interemit Timethes frater Nothus, Regnumque occupavit; ſed poſt annos aliquot ejectus, Melantho alienigenæ locum fecit; Erat namque Philo in Peloponneſo oriundus, & Patriâ profugus jus Civitatis Atticæ acquiſiverat. Occaſio autem capeſſendi Regni bellum fuit Bæoticum finium causâ exortum, cùm enim Bæotorum Rex Xantus Timethem ad ſingulare certamen provocaret, & ille detrectare videretur, Melanthus ipſe paratum ſe oſtendit, & Xantum ipſum, quanquam fraude, interemit. Sub eo autem Civitas maximè creviſſe viſa eſt propter Jones ab Achæis pulſos, quos Rex in jus Civitatis admitti

mitti curavit, atque ſic Urbem, & Agrum novis Civibus auxit. Huic autem filius Codrus ſuffectus eſt, ſub quo Dores bellum intulêre, quoniam Megarâ Coloniam condidiſſent, eoque Rex ipſe Vaticinii cujusdam causâ pro Patriæ ſalute ſe devovit, quem ſecutos morem Romanos fuiſſe vidimus. Cum eo autem Regum quoque Imperium terminavit, atque tunc primùm Archontes creari cœpti ſunt, quorum Medon primus fuit; quanquàm autem Archontes perpetui eſſent, rationibus tamen reddendis obnoxii erant; unde iterum converſa forma Civitatis, & quanquàm ab uno regi vidêretur, concredita à Populo & precaria poteſtas erat, adeoque jura Majeſtatis Populus ipſe explicabat, & in Archontes, ubi opus fuiſſet, animadvertebat. Atque his temporibus Coloniæ in Aſia Athenienſium condi cœpêre, ut nimium excreſcente multitudine Civitas levaretur; eorum autem nomina duntaxat remansêre, cùm pro temporum vetuſtate obſcura ſint omnia, & tredecim fuiſſe ordine ibi ſuccedentes è regio ſanguine liquet. Is autem Civitatis ordo 315. annis duravit, & Alchmæon Æſchyli filius poſtremus fuit. Æſchyli autem Archontis anno ſecundo ab Iphito Ludi Olympici in Elide, ut quarto quoque anno celebrarentur, magno totius Græciæ Conventu inſtituti; atque hinc id temporis intervallum Olympias appellari cœptum, annorumque ratio ex ipſis cœpta eſt, à quo tempore Hiſtoriæ veritas vocem, & faciem emittit ſuam.

De Archontibus perpetuis.

Tædiô igitur affecti Athenienſes, cùm quotidie major libertatis cupido eos inceſſeret perpetuæ Archontum Poteſtatis, eandem decem annorum Curriculo terminârunt, primusque Charops Æſchyli filius, & primo 7. Olympiadis annô creatus; quâ tempeſtate Urbs Roma condita eſt, poſtque eum Æſimedes, quem excepit Clydicus filius, & hunc Hyppomenes, qui adulterum cum Limonia filia deprehenſum, ipſamque filiam diris Suppliciis necâſſe legitur. Leocrates inde, quem ſecutus Aſpander, atque tandem Elixyas, qui duntaxat 6. annis præfuit, incertum an morte ſublatus, an privatus Magiſtratu fuerit propter crimen aliquod, cùm denuò Ordinis Converſio ſecuta videatur, & popularis forma adeò intendi cœpit, ut paulatim omnia in plebis inciderint poteſtatem; Tunc enim ex uno Archonte decennali novem creati ſunt annuâ duntaxat Poteſtate, quanquam ſub illis initiis ſuffragiis deſignarentur ex iis, qui nobilitate, opibus, & gratiâ præſtarent. Magiſtratus igitur iſte NovemVirorum poteſtatem omnem per annum explicabat, quô fini-

De Archontib. decennalibus.

De Archontib. novem Viris annua poteſtate.

finitô alii ſufficiebantur eodem modô; hoc autem Olympiadis Vigeſimæ quartæ annô tertiô incidiſſe perhibetur, cùm jam ab Athenis conditis 877. fluxiſſent anni. Illi autem ùt muneribus in Civitate, ità quoque nominibus diſtingui voluêre, primusque velut Princeps Collegii, Archon nuncupatus: ſecundus Rex: Tertius Polemarchus; alii verò, Theſmothætæ. Ab Archonte autem annorum ratio capiebatur.

De officio Archontis, cæterorumque Novem Virûm.

Archon igitur præter ſacra quædam peculiaria, Bacchanalia nempe atque Thergelia, lites inter Conjunctos, ac defunctorum hæredes cognoſcebat, pupillos, pupillasque curabat, ac de Tutoribus iisdem providebat. Rex verò myſteria Eleuſinia, & Sacra Lenæa, Minervæ etiam, Jovis atque Apollinis, Vulcani & Promethei. Cauſas quoque tum Criminales tum Civiles agnoſcebat, & ſi qui, alios impietatis accuſarent, aut de Sacerdotio contenderent. Quæ autem ipſi videbantur, ad Magiſtratus alios deferri, eas ipſe demandabat. Polemarchi verò munus præter Sacra quædam Dianæ ac Martis, belli præcipua Cura erat, undè illi nomen; quare ſupremum Imperium in bellis habebat, domi autem inter peregrinos jus dicebat, ut Archon inter Cives. Thesmothætæ quidem jura cuſtodiebant, Leges atque inſtituta vindicabant, juri quoque dicundo operam dare videbantur, & præcipuè cauſas de calumniis, donis acceptis, adulterio, contumelia &c. agnoſcebant, criminum ſuſpectos cuſtodiæ tradebant, gravioresque cauſas ad majora judicia deferebant; erant namque eâ tempeſtate, præter Areopagi, Ephetarum, aliaque judicia criminalia atque civilia, de quibus infrà. Hi quidem alii aliis in locis jus dixêre, totique collegio ſolummodò jus erat populum convocandi. Archon autem Rex, & Polemarchus binos ſinguli habebant Adſeſſores.

De forma Civitatis.

Cùm igitur primis temporibus ſuffragiis Populi ex nobilibus atque optimis eligerentur, nec ad muneris Exercitium admitti poſſent, nisi dé majoribus, deque ætate, Cenſu, bonis, Vitaque anteactâ in Senatu reſpondiſſent, ſolemni quòque dato jurejurando ſe Leges ſervaturos, nec accepturos munera, Ariſtocratiæ ſpecies videbatur, licèt reverà temperata eſſet Democratia, cùm totius Populi Concio ſupremus eſſet Magiſtratus, & jura Majeſtatis explicaret univerſa, eamque poteſtatem ad annum duntaxat Novemviris concrederet. Sed quoniam eorundem arbitrium cœpit pro legibus haberi, & Conſuetudo ipſa, Inſtitutaque Majorum obliterari paulatim viſa eſſent, jam-

que peccandi licentia, morumque Corruptiones irrepsissent, discordiæ statim, mutuaque Odia irrupêre; jamque adeò Civitatis statum perturbârunt, ut sub annum 53. ab initio ejusdem Magistratûs uni Viro necesse fuerit scribendarum Legum, formandique Civitatis statum potestatem demandare. Atque hic Draco fuit Civis Atheniensis Vir quidem gravis & Sapiens sed severi plùs satìs ingenii, ideòque leges adeò insigniter sævas promulgâsse visus est, ut inde apud Posteros non atramento sed sanguine scriptas esse fuerit dictitatum, quiptereà judicia meliùs formare aggressus, Ephetarum Tribunal adeò constituit, ut 50. in eo Viri sederent quinquagenarii, atque de Cædibus & Criminibus majoribus judicarent. Hinc à minoribus judiciis ad eos provocatio ferebatur. Ex singulis autem Tribubus, quæ jam 10. erant, 5. assumebantur Viri, quibus addebatur unus sorte designatus, qui ipsis præsidebat, adeoque omnes erant 51. Traditur autem institutum fuisse à Demophoonte Rege, in eoque primis temporibus non tantùm Atticos judices, verùm etiam Argivos quoque sedisse, primumque Draconem, ejectis Argivis, Athenienses duntaxat constituisse. Areopagum autem, utì erat, Draco reliquit, Curia profectò totius Græciæ vetustissima, nec quando initia sumpserit, satìs liquet, licèt aliqui à Solone institutam fuisse scripsissent, cùm ille duntaxat meliùs formâsset, atque ampliâsset munus & potestatem, ità dicta, quasi Martis Collis, à Marte autem denominari credebatur, quoniam ibi primùm causam subiisse traditio erat, & in Cacumine locus visebatur Tribunalis, in quo quæcunque graviora delicta judicabantur, furta nempe, insidiæ, Vulnera scienter illata, Veneficia, incendia, homicidia; in Deorum quoque Contemptores, ac novorum rituum, peregrinorumque Deorum introductores inquirebat, animadvertebatque severissimè; Solon autem adeò Areopagiticorum judicum dignitatem evexit, ut novem Viros eô Magistratu sinè vitio defunctos in id Collegium quotannis allegisset; Postquàm igitur examini se stitissent, & actorum suorum rationes reddidissent, excitatis ad accusandum publicâ præconis voce Civibus etiam æmulis, nec labes aliqua reperiretur, honorem illum areopagitici Collegii assequebantur; nec propptereà alii nisì in maximis Reipublicæ negotiis jam anteà versati, & Sapientes probatique Viri admittebantur, hique Legum Custodes ac Vindices, morum Censores & vitæ Civium erant, atque quid quisque in laribus etiam ageret, & quomodo se suosque sustentaret, inquirebant, inertes ignavosque petulantiæ nequi-

De Dracone.

De Areopago.

quitiæque compertos malè mulctabant; undè Quintilianus damnatum puerum coturnicibus Oculos eruere solitum refert, quoniam ea pravæ indolis indicia daret. Erat autem Collegio huic peculiare, quod incerto Collegæ numero essent, cùm plures interdum, interdum verò pauciores accederent de Novem Viris propter illud severum rationum reddendarum institutum, & major quoque minorvè numerus sæpius vitâ fungeretur, aut Collegio decederet; quanquàm in munere manerent, quoad viverent; nam aliquid interdum admittebatur, ob quod Senatu movebantur tanquam indigni, & ad excludendum eô confessu satìs erat aliquando in Caupona sedisse, atque cibum ibi sumpsisse; conveniebant autem ordinariò ter duntaxat quolibet mense legitimis diebus in pago Martio, aut quotiescunque res poscebat, in porticu regiâ. Archontes verò novem-Viri, si quid è Republica erat, referebant causas, sed Rex Novemvir introducebat, positâque tantisper Coronâ cum Senatu reliquo judicabat; antè omnia autem solenniter peragi sacrificia moris erat, & mactatorum Animalium carnibus insistentes, cùm accusator ex formula juratus affirmabat, reum esse ejus criminis, de quo accusabatur, tum ille similiter juratus negabat; tumque in lapidem *Ἀναιδείας* ascendebat, actor verò in alium *ὕβρεως* dictum, causamque alternis vicibus bis agebant, quanquàm per Patronos etiam posteà causam dicerent; & decem sorte eligebantur ejusdem Curiæ Patroni, quibus nec exordio nec peroratione, aliisvè oratoriis artibus ad flectendos animos, utì fas erat, tantoque silentio audiri videbantur, ut inde dicterium desumptum fuerit: *Areopagitâ taciturnior.* Reo autem post primam actionem solum vertendi facultas erat, si judicium experiri noluisset, & sub dio, noctuque acta hæc fuisse perhibetur; Sententias quidem ferebant occultis suffragiis, adeoque liberioribus per calculos ab Ara sumptos albos & nigros; hi autem erant perforati, ut à judicibus in tenebris judicantibus distinguerentur, quos tacitè in Urnas immittebant, quarum altera erat Ænea, in quam albi, altera lignea, in quam nigri injiciebantur. Quòd si alborum numerus major erat, in tabula cerata ungue brevior linea ducebatur, si contrà longior. Si verò pares erant Calculi, Præco alterum in Urnam æneam injiciebat, qui Minervæ Calculus dicebatur; dum autem reus condemnatus erat, illicò ducebant in vincula, quoniam antè conjici non poterat, & pœna plerumque post Solonis Leges bonorum publicatio erat; duravit autem Consessus iste usque ad po-

ftrema Reipublicæ tempora etiam fub Tyrannis ac aliorum Dominatione, quanquàm ætate Periclis, ùt dicemus, valde poteftas fuerit imminuta, cùm jam plebs omnia ad fe traxiffet, & Optimatum authoritas omnis concidiffet; hinc lege etiam fancitum, ut rationibus reddendis effet obnoxius, Demofthenes, atque Æfchynes retulêre.

De Solone. Cùm autem Draconis Leges nimìs citò difplicere cœpiffent, & Plebis inopia, atque fœneratorum avaritia acceffiffet, jamque inopes, atque ære alieno oppreffos ftatum Civitatis invertere timeretur, eò jam deventum erat, corruptâ Republicâ, atque omnia Optimatibus trahentibus in fuam poteftatem, ut unum fupereffe remedium videretur, Leges nempe novas fanciendi, atque alium Civitatis ordinem conftituendi, firmandique; hinc cùm Solon eâ tempeftate effet vir omnium integerrimus, unaque fapientiffimus, omnes unum adire, rogare, ut, Patriæ confuleret; memorabantque, cùm paulò antè oblatam Tyrannidem repudiâffet, eam nec à paucorum Tyrannide liberare, turpiterque deferere, Cive optimo indignum effe; confenfu igitur poteftas conftituendæ formæ Civitatis data, acceptaque; hinc ab ejus temporibus (quoniam & alia adeò obfcura effe videntur, ut nulla ex illis vetuftatis tenebris fpes affulgeat eruendæ veritatis, & ipfa quoque Civitas potentiæ incunabula Soloni accepta in Concionibus præcipuè referre confueverit) initia ordinatæ Civitatis Athenienfium faciemus, Sigonium quoque imitati, qui ab eo quafi à novo orfus principio fingulas ejus partes accuratiùs inveftigare inftituit.

Archon igitur creatus, ftatim illum animorum motum compefcendum ratus, Legem promulgavit, quâ æris alieni abolitio fanciebatur, licèt alii fœnoris, & ejus etiam, quod forti ex cumulato fœnore accefferat, remiffionem fuerint interpretati, primusque exemplum fecit, cùm pecuniam fuam debitoribus condonâffet. Ut faciliùs autem pares cæteris oneribus redderentur, Minam Atticam, quæ anteà 75. dragmis duntaxat æftimabatur, dragmas 100. valere juffit, fuftulitque aliâ Lege omnem corporum nexum, ob quem ære alieno obruti, fe fœneratoribus præbebant, atque alii alibi venumibant, & multi fobolem vendere, maximaque pars Urbem deferere cogebantur. Tertiâ autem Lege, Draconis jura abrogavit univerfa, iis duntaxat relictis, quæ de cædibus erant conftituta; atque his tribus Sanctionibus fluctuantem Civitatis navem, jamque tempe-

tempestate penè absorptam, tribus veluti anchoris fundavit, eamque posteà Sanctionibus cæteris reparare aggressus est.

Relicto igitur priori ordine, quo Civitas in Tribus 4. erat distributa, & quælibet Tribus in Curias tres,, ac rursum Curia quælibet in Gentes 30. Populi quoque divisionem ex Censu instituit in Classes 4., ità ut qui redditum Medinnorum 500. perciperet, nullæ enim aliæ tunc temporis opes erant, primam Classem facerent, & Penthacoseometimni dicerentur; qui autem 400. in secunda collocati fuêre, & Equites nuncupati, in tertia verò, qui 300., Zesugitæ dicti; reliqui inde omnes in quarta Classe censebantur, quorum tribus etiam classibus longè major numerus erat, eosque Thetes appellabant, & operarios, mercenariosque complectebatur; His autem quanquàm adipiscendorum Magistratuum, & Reipublicæ curandæ facultatem sustulisset, judicia tamen, & suffragiorum jura communia cum cæteris esse voluit. Quare quanquàm optimo jure Cives Athenienses essent, qui consiliorum, & judiciorum, ac Magistratuum adipiscendorum participes fuerint, attamen eâ ætate reliqui propter judicia, & suffragia adhuc Cives erant, quamvìs Magistratibus exclusi; & propterea quanquàm Populus jura Majestatis complecteretur universa, erat tamen Democratia Aristocratico Regimine temperata; prudenter namque Solon constituisse visus est, ut ii Rempublicam administrarent, quibus magìs expediret, salvam esse.

Hinc Aristoteles: *Solonem quidam*, inquit, *probum Legumlatorem fuisse putant, qui paucorum imperio intemperanter abutentium Dominatum sustulerit, & servientem Populum in libertatem vindicaverit, & patriam Democratiam rectè temperatâ Republicâ constituerit.* Quanquàm autem nimiam potestatem largiri Populo visus fuerit, & in judiciis, etiam infimæ plebi, nam & creandi Magistratûs, & rationes ab iis reposcendi ultimæ Classi attribuit, ab Aristotele ipso meritò excusatur, *quoniam*, inquit, *si nè hujus quidem rei particeps fuisset, cùm servitutem servire videretur, hostiles animos, infensosque in Civitatem habuisset, in seditiones, ac civilia bella primâ occasione erupturos, ùt Romæ accidit.* Hunc autem ordinem & Norimbergæ servari videmus, Magistratus namque duntaxat capiunt Cives, qui ex determinatis, nempe 28. familiis, originem trahunt, reliqui verò jure Magistratûs creandi potiuntur; Et quamvìs in deterrimam Democratiam prolapsa quoque esset Atheniensium Civitas, non tamen Legislatoris cul-

pâ accidiſſe ipſemet Ariſtoteles advertit, poſtquàm enim mari potentes evasêre Demagogi, Populo blandiri, ejusque authoritatem amplificare ſtuduerunt, in quibus præcipuè Pericles, atque Ephialtes fuêre, qui Senatûs Areopagitici poteſtatem magnopere labefactârunt, ùt latiùs infra.

De Concione. Concio igitur Jura Majeſtatis univerſa complectebatur, in quam univerſus Populus ex Solonis lege coire poterat, imò qui in concionalibus Tabulis ſcripti erant, cogebantur; nedum igitur legitimè coacta de Senatûs actis judicabat, ſed Leges ferebat, abrogabatque, bella decernebat, pacemque ſanciebat & fœdera, Magiſtratusque creabat univerſos; licèt in Legum abrogatione non univerſus Populus, ſed delecti quidam ex eo cognoſcere deberent, eos autem nuncupârunt Nomothetas; hinc Demoſthenes: *Legum*, inquit, *quæ ſunt, nullam tollere jus ſit, niſi inter Nomothetas: tum verò Athenienſi, qui velit, tollere liceat, cùm alteram aliquam ferat pro ea, quam tollat. Prædri manuum ſuffragia de his Legibus permittant, primùm de ea, quæ exſtat, an videatur commoda Populo Athenienſi, an non; deinde de ea, quæ rogatur. Utram verò acceperint porrigendis manibus Nomothetæ, ea rata eſto. Contrariam verò Legem, nè jus ſit ferre Legum quæ exſtant ulli; quod ſi quis tollens aliquam Legum, quæ exſtant, alteram pro ea repoſuerit Populo Athenienſium parùm commodam, aut iis, quæ exſtant, contrariam: accuſatio ejus eſto ex Lege, quæ eſt, ſi quis parùm commodam Legem tulerit.*

De Jure Civitatis. Jus quoque Civitatis à Concione largiebatur, eratque adeò in pretio, ut nemini daretur, nisì Civitatem magnis affeciſſet beneficiis. Hinc Demoſthenes: *Populus*, inquit, *Athenienſis, cùm ſit omnium rerum, quæ ſunt in Civitate Dominus, cùmque poſſit facere, quod lubet, adeò magnificum munus eſſe Athenienſem facere exiſtimavit, ut Leges condiderit, quomodo Cives efficere oporteat.* „Lex autem eſt Populo, nemini fieri Athenienſem licere, qui non de Populo Athenienſi benemeritus dignus Civitate videatur: etenim ubi perſuaſus erit Populus, & donum dederit, adoptionem ratam eſſe non ſinit, nisì ſuffragio occulto poſtero die ſupra 6000. Athenienſes decreverint. Prytanas autem jubet Lex urnas ponere, & ſuffragium ingredienti Populo dare, antequàm peregrini introeant, & vela tollere, ut cùm ſui quisque ſit Dominus, eum quem Civem eſt facturus, intueatur, an dignus ſit, qui dono Civitatis afficiatur.

De Le- Ritè igitur coacto Populo, à Sacris fiebat initium, & hoſtia macta-

mactabatur, porcellus nempe, cujus sanguine subsellia respergi moris erat, tumque solemni interposito Jurejurando cum diris exe-crationibus è Republica laturos suffragia se obstringebant, tumque proponebantur ea, de quibus Populum consuli oportebat à Prædris, de quibus si Senatus decretum edidisset, illud primò recitabatur; dein verò an sufficeret, an verò Populi consensu jubendum esset, rogabantur; Senatûs consulta enim duntaxat in annum vim habebant, sed à Populo confirmata, Lex perpetua erant; hinc singularia tantùm Senatûs consultum attingebat, Lex autem pro cunctis sciscebatur; quanquàm procedentibus temporibus nec Legem in unum Civem ferre fas fuisset, nisì eàdem universi obligarentur; hinc si suffragia ferri placuisset, Cives à Præcone jubentibus Prædris qui suprà 50. annos nati, ad sententias dicendas invitabantur, & si nemo esset, tum si quis illis annis minor; unde Æschines: *conticuit*, ajebat contra Cresiphontem, *pulcherrimum illud edictum in Civitate: quis loqui vult eorum, qui suprà* 50. *annos nati sunt, & deinde ex aliis Civibus.*

gibus, & Senatûs-Consultis.

Non tamen omnes dicendæ sententiæ jus habere Solon statuit, qui namque Parentes percusserant, aut alere noluerant, aut tecto non exceperant, quique turpem vitam egerant, stipendia imperata non fecerant, scutum abjecerant, muliebria passi fuerant, quique Patrimonium dilapidârant, eo jure vacui erant; Qui autem sententiam dicebat, suggestum ascendebat, ut ex eminenti loco commodiùs audiretur. Cùm autem sententias dixissent, concipiebatur primò decretum, quod suffragiis Populi committebatur ab Epistata jussu Prædrorum, quibus sinè Populus nulla de re statuebat; cùm verò suffragia, quæ manus porrigendo, plerumque ferebantur, Tribus tulisset, etiam è Prædris unus Populo ea renunciabat. Decretum verò Oratoris, aut Senatoris, qui censuerat, & Tribus, quæ in Prytaneatu erat, nomen continebat; hinc Demosthenes pro Ctesiphonte, *Archonte*, inquit, *Mnesiphilo, Hecathombæonis ultimo & novo Pambionis de Tribu Prythaneatum gerente, Demosthenes Paaniensis censuit, &c. &c.*

Actio autem de Legum abrogatione tempore primæ legitimæ Concionis, undecimo nempe mensis die primæ Prytaneæ itâ instituebatur, ut Oratores quinque priùs designarentur, quos Syndicos nuncupabant, ut nomine Populi Legibus, de quibus abrogandis agebatur, patrocinium ferrent, dum intereà novæ Leges albis tabulis inscriptæ quotidie ante tempus tertiæ Concionis, & posteà publico prospectui proponebantur in fori parte ad Statuas Heroum Eponymorum.

De Legum abrogatione.

morum. Tertiâ verò Concione referentibus Prædris Populus decernebat, quo modo, ac ordine Nomothetæ in futura actione sederent, & qualis solutio facienda esset, undeque accipienda pecunia pro ea opera, quam Reipublicæ præstabant; erat namque Solonis institutum, ut mercedem assequerentur; Nomothetæ verò 500. fortasse numero erant renunciati præfato undecimo die mensis Hecathombæonis, aut à Prytanibus, aut à Populo universo per editionem, sive à Senatu 500. Virûm, licèt Thimocrates novas Leges edendi cupidus, multiplicari voluisset ad 1001. usque.

Quod si Prythanes Concionem illam tertiam convocare omisissent, Lex erat, quà singulos 1000. drammarum pœnâ mulctabat, & eam pecuniam Minervæ in arce pendebant. Prædri autem, si post Sacra Concionis de Nomothetis referre neglexissent, 400. drammis singuli quoque mulctabantur, & adeò severè agebatur, ut Thesmethætæ id muneris haberent, & ad Heliasticum judicium reos ipsos, dum opus erat, postularent; quod si nec ritè Thesmothetæ curarent mulctas sinè vitio persolvi, Areopagi Collegio excludebantur. Post tertiam autem Concionem Nomothetæ auditis Oratoribus sedentes, uti præscriptnm erat, in Concione rursum legitimè coacta re priùs maturâ deliberatione discussâ, ab Epistata Concionis admonebantur, ut scita pronunciarent, Leges abrogando, novasque sanciendo, sicut è Republica esse agnoscebat, quæ à populo rata haberi oportebat. Quod Legum abrogandarum, sanciendarumque institutum ad quatuor Centum Virûm usque Dominatum permansit incolume, eorumque imperio abrogato iterum revocatum; unde in Oratione de mysteriis apud Andocidem: *Placuit*, habetur, *Populo, Tisamenus censuit, Rempublicam gerere Athenienses Patriis institutis; Legibus autem uti Solonis, & Draconis, quibus anteà utebantur. Quibus autem opus fuerit, eas lecti à Senatu Nomothetæ describant in Tabulas, & proponant ante Eponymos iis, qui velint, consíderandas, & tradant Magistratibus in hoc mense. Traditas autem Leges probet priùs Senatus, & Nomothetæ 50. à Populo editi ubi jurârint* (Jurejurando nempe Heliastico.) *Liceat autem privato Curiam ineunti de commodo Legum agere. Postquàm latæ fuerint Leges, det operam Senatus Areopagi, ut latis Legibus Magistratus utantur. Confirmatas verò Leges describant in parietem, ubi priùs descriptæ erant, considerare volenti. Leges hoc Decreto probatæ, & confirmatæ in porticu sint descriptæ. Dum lata Lex est, nè non scripta Lex ad rem aliquam, sed suprà scripta Leges adhibe-*

biberentur. Decretum autem nullum neque Senatus, neque Populi firmiùs Lege esset, neque in unum ferre Legem liceret, nisi eadem in omnes Athenienses ferretur, & ut Legibus, quæ essent post Euclidem, Archontes uterentur.

De Senatu.

Ultrà autem Areopagi Senatum, firmandæ moderandæque Concioni alter quoque 400. Virûm fuit à Solone institutus; isque negotia omnia Reipublicæ cognoscebat, quæque non adeò magni ponderis erant, terminabat, cætera populi judicio remittebat; hinc Xenophon, *Senatui*, inquit, *deliberandum de bello, de pecuniæ paranda copia: de Legumlatione: de iis, quæ quotidie in rebus Urbanis accidunt: de sociis quoque; ad hæc accipienda tributa, Cura navalium, & rerum sacrarum sustinenda.* Quamvis autem Concilium perpetuum in Republica esset, Senatores tamen annuô duntaxat munere potiebantur, & propterea quotannis novos designari oportebat; Quare à Curatoribus atque Præfectis singularum Tribuum stato tempore nomina cujuscunque Tribûs Civium, quibus nullum erat ex ætate aut Classe ad capessendum honorem impedimentum, in urnam quandam conjici oportebat; in aliam autem eundem fabarum numerum, è quibus 100. albæ erant, reliquæ verò nigræ; posteà verò ad singulorum nomina fabæ singulæ extrahebantur, & quibus albæ exibant, sors favebat, jamque Senatores erant designati. Eâ igitur ratione cùm 4. Tribus essent, Senatus 400. Virûm singulis annis complebatur; Ex iis autem novis Senatoribus Prytanes sortitò quoque constituebantur, erantque veluti Senatûs Compendium, ejusque Principes. Prythanea autem decimam partem anni complectebatur, quem illi ad Lunæ Cursum dirigebant, diesque propterea 354. numerabant; Erat igitur decima illa pars dierum 35. & quoniam 4. supererant dies, primæ propterà 4. Prythaneæ alteram habebant, licèt Libanius iis 4. diebus Magistratibus creandis operam datam fuisse scripserit, & à Prythanibus Prædros 10. ut Senatui præsiderent lectos fuisse idem quoque author affirmavit, quos ait præfuisse per 7. dies, ità ut singuli Imperium obtinerent, tribus duntaxat exceptis, qui id Imperium non assequebantur. Epistatas verò eos esse nuncupatos, qui per diem Magistratum obtinebant. Verius tamen Prædros novem fuisse non ex tribu Prythaneatum gerente, sed ex reliquis reliquarum 4. Tribuum Senatoribus, ex singulis singulos lectos, atque huic lectioni Epistatam Prythanem, qui in Magistratu erat, præfuisse Sigonius affirmavit; licèt post Rempubli-

cam à Clyſtene conſtitutam ità ſervatum fuiſſe ſit aſſerendum; nam nec anteà de Solonis inſtitutis quoad Prædros & Epiſtatam, nec quo ordine ſibi viciſſim Prythanes ſucceſſerint, liquet; & Clyſtenes ipſe poſt 96. annum Legum à Solone latarum ex 4. Tribubus 10. fecit, & Senatum 100. Viris auxit, ità ut quotannis 50. ex iisdem ſortitò fuerint deſignati, eodem eligendi inſtitutô retentô; quanquàm fabas albas 50. pro 100. ùt neceſſe erat ſingulis Tribubus daret; adeoque Prythanes 50. fuêre ſortitò quoque, ùt diximus, deſignati, 10. nempe Tribuum nominibus in Hydriam unam, fabis novem nigris unâque albâ in alteram conjectis. Cujus namque Tribûs nomen cum faba albâ exire contingebat, Senatui in prima Prythanea præſidebat, quæ ſecundo in ſecunda, & ſic deinceps; quotque Tribus jam exibant, tot etiam fabæ nigræ demebantur ex illis novem.

At alii ex Suida binos Epiſtatas fuiſſe ſcripsêre, alter nempe, qui ſorte ex Prythanibus ducebatur, alter ex Prædris; primusque CuſtosClavium templi erat,in quo pecuniæ publicæ publicaque monumenta aſſervabantur, atque idem quoties Prythanes Senatum congregabant, aut Populum, ſortitò ex unaquaque Tribu Prædrum unum deſignabat, eâ duntaxat exceptâ, quæ Prythaneatum obtinebat; Ex novem igitur Prædris ſortiebatur Epiſtata alter, cujus negotium, de quo agebatur, proponendi cura erat. Prythanes autem totô fermè tempore in tholo, loco nempe Curiæ proximo verſabantur, aures commodaturi cunctis, qui de Republica aliquid deferre vellent. Quæ autem deferebantur, ſi momenti aliquid haberent, tabellis inſcribebant, eaque priùs inter ſe diſcutiebant, ut ritè digeſta ad Senatum, cujus convocandi poteſtas penes ipſos erat, referrent; Senatus autem hunc in modum fermè deliberabat, Senatoribus nempe priùs aſſurgentibus ad ſententiam dicendam, quibus luberat, quibus dictis Prythanum unus aut Senator Decretum concipiebat, nomenque adſcribebat, dein clarà voce recitabatur, & occultis ſuffragiis Senatûs univerſi fabis ſcilicet albis & nigris in Hydriam conjectis curante Epiſtata ſubjiciebatur, exque majori ſuffragiorum numero probari aut improbari videbatur, probatumque univerſo Populo in Concione proponebatur, ſi res poſceret; nec enim aliquid ad populum referri fas erat, nisì priùs in Senatu decretum fuiſſet.

De cauſis cor-

Sed intereà, cùm *Plebs Attica*, ut Ariſtotelis verbis utar, *cujus prompta ac fidelis opera & fortibus auſis tanta res mari terrâque potiſſimum geſta erant, ex prælio Plataeenſi, in quo Cornu alterum tenens Duce Ariſtide*

de fortissimè pugnaverat, hostemque sibi oppositum latissimè ciciderat, Victrix domum rediisset, animos extulit, & pertæsa Conditionis suæ hactenùs tolerata, popularem statum, sublatô scilicet Classium discrimine invisô, & jure omnium æquatô prehendere meditata fuit. Nec defuêre Demagogi, ut his artibus Rempublicam ad se traherent; corrumpi enim ex eô tempore magis magisque cœpta est, & Senatus ipse patere Plebi cœpit; Aristides namque quanquàm meliori Reipublicæ parti addictus, cùm plebem adeò elatam agnovisset, ut nec cogi vi posset, & ingens ex Seditione malum instaret, promiscuos esse Magistratus scivit, Communemque Rempublicam. Hinc Aristoteles, ùt diximus, *non ex Solonis Legum vitio* processisse, *sed casu* affirmavit; cùm enim Civitas Themistoclis præcipuè Consiliô ad navales res conversa esset, iisque præcipuè incumberet, id profectò plebem potentissimam fecit, cùm ejus maximè operâ uteretur; quare cùm in ingentem numerum crevisset, Respublica in ejus potestatem incidisse visa est; hinc Demagogi atque assentatores in pretio. Hinc vitia illa Civitatis à Xenophonte descripta simul quoque cum eo Civitatis ordine vigere oportebat, cùm ad eundem conservandum mala essent necessaria, & tamen multa erant adeò optimè constituta, ut sublime erectumque, ac libertatis cupidissimum Plebis Atticæ ingenium ostenderent. *rupta Reipublicæ.*

Sed quanquàm ea negare non ausim, id tamen Aristotelis pace indubium erit, ut quantumvìs Solon minimè culpandus videatur in eo Civitatis ordine, quem voluit constituere, cùm jam propter Plebis motus ea rerum Conversio secuta fuerit & propptereà omninò plebi erat consulendum; attamen cùm Concio esset rerum maximarum Domina, & jura propptereà complecteretur Majestatis universa, licèt Senatu regeretur, nihilominùs cùm majora essent infimæ Classis suffragia, quàm cæterorum Civium; & Plebs ipsa sensit ab initio Vires suas, cùm rerum ipsarum deliberatio penderet à nutu ejusdem; & jam oratores Plebicolæ atque Demagogi ejus potestate abutebantur adeò, ut meritò Philosophus ille risum effudisset, quòd *sapientes proponerent, stulti autem deliberarent*; Non igitur casu mala Civitatis acciderunt, sed propter ipsum ordinem; quô quanquàm Populus distinctus esset in Classes 4., pejor Civium numerus & fæx ipsa Civitatis, Classis nempe infima, majora ferebat suffragia, cùm tantùm valeret Opificis Calculus, quantùm Civis alterius, qui capax Magistratuum erat. Prætereà plebem ipsam pariter cum Classibus cæteris admisit ad judicia, ut ea quoque propter longè majo- *De vitiis ordinatæ à Solone Civitatis.*

 rem

rem infimorum hominum numerum in poteſtate plebis eſſent omninò. Multò igitur meliùs Servius Tullius ſtatum Civitatis ordinavit, quàm Solon ipſe, cùm Claſſes meliorum Civium ex pauciſſimis conflaverit, & propterea adeò Claſſes auxiſſe viſus ſit, ut quanquàm infima etiam ſuffragia daret, ea tamen perpetuò irrita reddebantur, cùm priora ſat eſſe ad deliberandum agnoviſſet.

Cùm igitur Plebs judiciorum & Concionis ſit Domina, quanquàm Magiſtratûs capere nequeat, & Legibus non abutatur, adeoque Democratia non adeò intendi videatur, motus tamen brevi exiſtere neceſſe erit; cùm ea nunquam quieſcat, nisì adeò formam ipſam intendat, ut Dominatum primò, dein Tyrannidem exerceat, & ſusque deq; omnia miſceat, ut tandem vel Demagogi unius artibus libertatem, quâ uti neſciebat, prorsùs amittat; hinc nec ipſe Athenarum Civitatis ordo diù ſtetit incolumis, & longè priùs antè navalem potentiam præter alios motus Tyrannidem quoque paſſa eſt, adeò ut cùm denuò ſe in libertatem aſſereret, & potentior evaderet, non aliter ſtare, quàm aſſiduis bellis implicata viſa eſſet, donec priùs in Macedonum, dein in Romanorum poteſtatem deveniret.

Sed Magiſtratus cæteros, Legesque Solonis percurramus, ut deinde Civitatis ſtatum ordine quodam hiſtoricô breviſſimè adeò deſcribamus, ut velut in tabula oculis ſubjicere videamur.

De Undecim-Virûm capitalium Magiſtratu.

Præter igitur Archontes, Concionem, Areopagiticum Collegium, atque Senatum, de quibus pauca illa indicâſſe ſat erit, cùm Sigonius, aliique abundè tractârint, undecim Virûm erat Magiſtratus, qui Capitalia, & quidem manifeſta cognoſcebat crimina. Quòd ſi facinus dubium eſſet, ad judicia alia remittebat, ibique convictos, & ad ſe remiſſos pro meritis puniebat. Ex ſingulis autem Tribubus eligebantur, iisque decem unus addebatur, qui Scribæ munere fungeretur, cumque eo undenarius numerus explebatur. Judicia igitur varia Athenis erant, præter namque illud Areopagi, præcipua quoque fuêre Ephetharum, atque Heliaſticum, præter alia, quæ breviſſimè indicabimus. Ephetæ autem à Demophoonte Rege primùm inſtituti, ùt ſuprà dictum eſt, à Dracone aucti, atque ex Athenienſibus duntaxat cooptati in 4. foris, Prythaneo nempe, Palladio, Delphinio, & Phreattio judicare conſueverant. Solon autem cùm Areopagi judicium extuliſſet, Ephetharum authoritatem diminuit, rigoremque temperavit; graviores namque capitales cauſas ad Areopagum tranſtulit, iisque judicium de cæde

cæde inconsulta, deque insidiis reliquit. Archon autem secundus, Rex nempe, ad eos causas introducebat. Quòd si reum absolvissent, jurare solenniter tenebantur secundùm veritatem, ac justitiam sententiam dixisse, cæsis priùs Victimis, & ní ità esset, diras sibi, & suis imprecabantur. Heliasticum quoque forum percelebre Athenis erat, reliquorum namque Parabysti, Trigonii, & Metychii, ùt minoris authoritatis, ità etiam in obscuritate mansêre; videtur autem Heliasticum dictum, quoniam undique à solis radiis poterat illustrari, Judicesque pro re nata assumebantur plerumque 500., interdum etiam 1000., aut 1000. etiam & 500., si de re satìs magna, & gravi ageretur, illique ex omnibus Civibus, qui 3cesimum ætatis annum haberent, essentque integri moris, nec ærario deberent, sortitò ducebantur. Præerantque sortitioni Archontes ipsi: qui autem sortem nactus erat, Præconi eam ostendebat, à quo Tabellam accipiebat, in qua nomen ipsius, Parentis quoque, & Populi, & Fori inscriptum erat; virgam quoque dabat locò symboli, in qua fori nomen eodem, quo forum colore signatum erat, fora namque diverso colore in vestibulo distincta erant, licèt Symbolum illud publicum à Magistratu accepisse traditum ab Aristotele fuerit; hinc Demosthenes pro Ctesiphonte: *In omnibus*, inquit, *Causis ad majorem dignitatem respicere debetis Athenienses, simulque existimare vestrum unumquemque unà cum Virgâ & Symbolo Spiritum Civitatis suscipere.* Jurabant autem singuli in hæc verba: *Sententiam feram, ùt jubent Leges, & decreta Populi Atheniensis & Senatûs* 500. *Virûm. Neque Tyrannorum, neque paucorum Dominatum constituam; nec si quis evertat popularem statum Atheniensium, aut dicat aut suffragetur adversùs hæc, patiar. Neque novas Tabulas, neque Capite damnatos reducam, neque eos, qui incolumes sunt, expellam contra Leges, quæ extant, & Decreta Populi Atheniensis, & Senatûs, neque ipse, neque alium quemquam, concedam, neque Magistratum creabo, ut imperet, rationibus alterius Magistratus non relatis, sive sit ex novem Archontibus, sive Hieromnemon, sive quicunque cum novem Archontibus eodem die sorte leguntur, & Præco & Legatus & Synedri. Neque bis eundem Magistratum, eundem Virum, neque duos Magistratus eundem gerere sinam eodem annô, nec accipiam munera propter Heliææ judicatum, aut ego, aut alius quisquam mihi, aut alii me consciô, neque fraude neque machinatione ullâ. Et natus sum annos non minùs* 30. *& audiam accusatorem & defensorem æquô animo ambos, & sententiam feram, de quo est actio. Adjuro Jovem, Neptunum,*

De Heliastico Judicio.

num, Cererem. Et ipse mihi exitium imprecor & familiæ meæ, si quid horum transgrediar. Sin bonâ fide præstitero, præclara mihi multa, eaque bona eveniant. Videntur autem, priusquàm ad actionem ventum esset, hæc præcessisse; quòd nempe actor Magistratum adivisset, ad quem Cognitio illa pertinebat, 6. Viros plerumque Thesmothetas, quorum permissu reum per Citatorem in jus vocari curabat; dein conceptis verbis actio intentabatur, eaque in tabella descripta Magistratui aut scribæ tradebatur; crimen quoque cum pœna brevissimè exprimebatur, posteà verò intrà certum tempus Sortitio sequebatur, ab Aristophanis Interprete in Plutho expressa. Judices verò postquàm juraverant, in forum se conferebant, & lis introducebatur, reusque primò excipiebat, nec secundùm Leges judicium introduci affirmabat; tum judicium protelare nitebatur; tertiò verò Actorem recriminari, ac tandem mutuò lis intendebatur. Si autem nullam ex his movisset Reus, sed paratum se Actori ostendisset, tum juramentum poscebatur amborum; dein vero ab utroque pecunia deponebatur Judicibus â succumbente pendenda. Testes autem postquàm per Præconem citati erant, testimonium dicebant, aut ejerebant; & si neutrum facerent, 1000. drammas pendere cogebantur. Jurabant autem qui Testimonium ferebant ad Aram, vera se dicturos; hinc horis ad dicendum actori & reo præfinitis, dies altera plerumque Actori, altera Reo, tertiaque Judicibus assignari videbatur; & postquàm dixissent, Magistratus, qui judicio præsidebat, judices per præconem in suffragia ire mandabat. Quòd si reus Capite damnaretur, undecim viris Capitalium rerum tradebatur, ut de eo supplicium sumerent; Si autem pecuniâ mulctâssent, apud Prætores aut Quæstores debebat inscribi, & si solvendo non esset, nedum infamiâ notabatur, adeò ut nec filiis Rempublicam administrare licuisset; sed in vinculis etiam habebatur, donec mulcta fuisset persoluta.

De Judicio Arbitrorum.

Arbitrorum autem judicium adhuc Athenis celebratum, & primùm 44. Viri erant ex unaquaque Tribu, sorteque etiam ex Lexiarchicis Tabulis ducebantur; alii autem ex eô numero, ut eorum Caussas judicarent, à privatis novâ sorte legebantur; alii verò à litigatoribus ex pactô sumebantur, undè Aristoteles: *Arbitri*, inquit, *à Judicibus diversi fuerunt; nam judices in assignatis foris judicârunt, litesque ab Arbitris ad se translatas discreverunt. Arbitri verò antè sorte lecti, quàm hi, quorum de re ageretur, si eis permitterent, arbitrium reddiderunt, & si litigatoribus placuisset, finem liti imposuerunt; Sin minùs, Crimina*

& Citationes, & Testimonia, & Leges, & alias utriusque probationes, in Chechinum conjectas, atque obsignatas, litium Introductoribus tradiderunt. Erat autem eis infamia proposita, si arbitrium, quod forte obtigerat, recusâssent; hinc apud arbitros absque periculo 1000. drammarum litigabatur, & ab iis provocatio erat ad alios judices, nec propterea jurati ferebant sententiam. Compromissarii autem, qui nempe à litigatoribus assumebantur, jurati judicium suscipiebant, & eorum Sententiæ parendum omninò erat.

Ut autem, qui Rempublicam administrabant, rationes reddere cogebantur; ità & Arbitri, qui propterea abeunte annô quendam in locum certis diebus convenire tenebantur, ut, si quis eos accusare vellet, quòd pecuniâ corrupti, aliavè de Causa malè judicâssent, parati ad defensionem essent.

Cùm autem propriè Magistratus hi vocandi, ùt inquit Aristoteles, *quibus tributum est, ut quibusdam de rebus consultent, ut judicent, & imperent; præcipuè autem ut imperent*; Est enim maximè proprium Magistratûs, imperare; hinc post adumbratum quodammodo Civitatis Athenarum Ordinem in ipsa Concione, Senatu, atque Judiciis, partes è quibus Corpus illud Civitatis concinnatum erat, distinctiùs agnoscamus, ut qui Magistratus imperârint, quivè judicârint, quique de Republica Consultârint, ex ipsa rerum forma dignoscatur, ùt quoque Sacerdotia, Curationesque cùm Civiles tum domesticæ, aut ministræ. Primò igitur Tribus quælibet suos præpositos habuit, ùt & Curia & Gentes quoque; eam namque divisionem à Regibus atque Theseo ipso acceptam Draco & Solon quoque tenuêre, ut & Clysthenes post ejectos Pysistratidas, quanquàm è 4. denas effecisset; licèt an easdem numerô Curias Gentesque, an plures quoque esse voluerit, nihil certi tradi possit; primùm namque Tribus quælibet, ùt innuimus, in tres Curias divisa, Curia autem in tricenas gentes; hinc Gentiles, orti nempe ex gentibus iisdem in eadem Curia conjectis, Societatem inter se, amicitiamque colebant, ùt & Curiales & Tribules; Quæ, cùm ante Thesei tempora in Oppidula Vicosque dispersæ essent, populi quoque nuncupari videbantur, ac propterea, ùt Civis nemo erat, quin aliquam Tribum ex 4., sic nemo, qui non aliquem ex Populis Atticis obtinuerit, sive ibi, sive in Urbe domicilium habuerit, ùt Sigonius inquit, qui nomina quoque Populorum in denas ipsas Tribus ab eodem Clysthene descriptorum refert. Tribubus igitur Præpositi Philarchi dicebantur, ùt Curiis Phratriarchi, eæ namq; Philæ & Phra-

De Tribubus, Curiis, & Gentibus, iisdemq; Præpositis.

& Phratriæ dicebantur & Gentibus, ſeu Populis Demarchi; Et quidem deni Tribuum Præpoſiti ut à Populo crearentur, Clyſtenes inſtituit; cùmque ad rei bellicæ adminiſtrationem eſſent traducti, omnem curam ſuſceperunt Tribuum Curatores à Tribubus proditi, qui Tribus ipſas, cùm uſus poſtularet, convocabant, eorumque negotia, atque ærarium procurabant; quodque munus hi in Tribubus, cæteri in Curiis habebant, atq; Populis. In eorum autem conſiliis, & de Civibus cognoſcebant, nec enim Civitate donati pro Civibus habebantur, nisì poſtquàm in Tribus, & Populos conjecti eſſent, nec pueri indigenæ Civium munera obibant, nisì apud Curiales, Popularesque profeſſi eſſent; & Curationes, atque Sacerdotia è ſuo corpore prodibant. Fiebat autem excuſſio apud Populares eorum, qui ſe pro Cive gerebant, ut eos probarent, aut repudiarent. Quapropter Tabulæ aliæ erant apud Curiales, & Gentiles, aliæ apud Populares; illasque communes vocabant; has verò Lexiarchicas; & in eas referri apud Curiales profeſſi triennio pòſt, 18. nempe anno videbantur; in has verò apud Populares, ea namque primùm fiebat; & legitima ætas erat annus decimus quintus ſtato die, Apaturiorum nempe tertio, parentesque Jurejurando ſe obſtringebant, ex ſe, Conjugeque ſua Cive Attica natos eſſe, qui profiterentur; ſi enim mater peregrina fuiſſet, pro Nothis habebantur, ùt Themiſtocles matre Thrace ortus; In populares autem, ſeu Lexiarchicas tum referebantur, cùm adminiſtrandæ Reipublicæ, capeſſendæque militiæ compotes erant, poſtquàm nempe exiverant ex Ephebis, ùt dictum eſt; atque ut omnis Civium Juris, & Civilium munerum, ità adeundarum, ac pro arbitrio adminiſtrandarum hæreditatum capaces reddebantur. Ætas autem militaris durabat in annos 42., ab anno nempe 18. ad 60.; & propterea in ipſa inſcriptione nomen Archontis Eponymi etiam apponebatur; jurabantque non dedecoraturos arma: ordinem non deſerturos, Patriamve reddituros deteriorem; ſed pro viribus eam defenſuros: pugnaturos pro Sacris, & Republica; tùm ſolos, tùm cum aliis: navigaturos etiam in terrã quamvis ſibi aſſignatã; Legibus jam latis, ac legitimè ferendis obedientiam præſtituros, nec permiſſuros, ut quisquam eas tollat: Sacra denique Patria culturos. Hinc Civium omnium Athenienſium, qui Magiſtratus capere poterant, nomina continebant; index etiam concionalis iis in tabulis viſebatur, cujus vigore Concionem obire, & communia Civium jura participare fas erat; hinc Pericles ipſe cùm filios omnes legitimos

De Tabulis Communibus, & Lexiarchicis.

timos ammisisset, vix à Populo impetravit, ut Nothus filius in Civium tabulas referretur; ipse namque cùm Civitati penè dominari videretur, Legem tulerat, ut Cives duntaxat censerentur, qui ex duobus Civibus Atheniensibus orti essent; unde Plutarchus quæstiones in eos, qui se pro Cive ferebant, acerbè habitas, & 5000. damnatos fuisse refert; quærebatur autem de iis, quorum excussio fieret, quos Patres, quas Matres (post Legem Periclis) quos Curiales, quos Apollinis Patrii, & Jovis Hercei Gentiles, Popularesque haberent; suffragia verò pro omnibus tulisse, qui erant in Lexiarchicas Tabulas relati, in quibus nomina cùm Civium, tum eorum, qui pro falsis habebantur, inscripta erant, proditum est.

De Curationibus.

Curationes verò per Editionem ab ipsis Tribubus, & Curiis Gentibus & Populis mandabantur; unde apud Æschynem Decretum habetur Populi, quo singulis Tribubus jubebatur, ut operum publicorum Curatores, & Quæstores è suo quæque corpore daret, quoniam Urbis muri reficiendi erant. Ærarium quoque habuisse peculiare ex Demosthene liquet, qui adversùs Theocritum: *præsentes*, inquit, *Tribules apud suos non est reveritus, cùm ità rem eorum communem administrâsset, ut eum peculatûs damnârint, &c.* Demarchi autem præter tabulas Lexiarchicas, cunctos quoque, qui in singulis Populis essent, describebant; Populum etiam convocabant, & suffragium ei dabant, eâdemque prorsùs authoritate, quâ Regum temporibus Naucrari, potiebantur; Cumque res postularet, Redemptores etiam publicorum reddituum plerorumque, solutionem poscebant, auferebantque pignora; popularesque insepultos sepeliri curabant, atque in designando Senatu 500. Virûm sortitioni præsidebant, ùt & in Magistratibus tributim eligi solitis.

De Legum Custodibus.

Legum autem custodes, qui ex Areopagitico Collegio erant, Nomophylaces dicebantur, & honoris causâ strophio candido insigniti ludis publicis è Regione novem Archontum considebant; In Concione verò, cum Prædris; hinc nè præter Civitatis commoda Populus aliquid scisceret, curabant, & Magistratus juxta Leges agere cogebant; atque hinc Columella: (*a*) *quod etiam*, inquit, *in bene moratis Civitatibus semper est observatum, quarum Primoribus, atque Optimatibus non satis justum est bonas Leges habere, nisì custodes earum diligentissimos Cives creâssent, quos Græci* Νομοφύλακας *appellant.* Horum

(*a*) *Lib. 12. de re rust. cap. 3.*

rum erat officium, eos, qui Legibus parerent, laudibus prosequi, eos autem, qui non parerent, pœnâ mulctare.

De Præfectis juvenum moribus. Juvenum porrò moribus 10. Præfecti erant, qui Sophronistæ dicebantur, unde Socrates: *Uti verò*, inquit, *in Ephebos inscriptus sit, omne adolescentuli tempus Sophronistis, & Areopagi censura tribuitur.* Solon namque educationi, pro Reipublicæ scopo, adeò incumbendum ratus, ut Leges tulerit, quomodo etiam ludum petere, exire, & quot eorum simul ingredi deberent; atque ultrà Sophronistas, Choragi erant, qui pueriles choros ducebant, erant namque ùt varii chori, sic Coragi etiam diversi, hinc Æschynes: (*a*) *Solon*, inquit, *& de adolescentibus ventitantibus, quales esse oportet, & quas ætates habere, & de Magistratu, qui eorum curam habiturus esset, scripsit; & postremo de ventitatione puerorum, & de Choris Encyoliis: jubet enim Choragum, qui fortunas suas in vos impensurus est, suprà 40. annos natum hoc facere, ut cum ætate temperatissima sit, versetur cum filiis vestris:* Sic enim in Lege scripsit: Choragi verò à Populo constituti 40. annos ampliùs nati sint. Erant & Gymnasiarchi, à quibus oleum iis, qui Palæstrâ sese exercebant, ministrari debebat.

Quantum igitur decipiantur, qui puerorum turpes etiam amores Athenis permissos tradidêre, cùm præter Cretensem Civitatem, apud cunctas alias prohibiti fuerint, ex Lege etiam Solonis patet: *Si quis* (verba sunt Legis) *Atheniensium se prostituerit, ei non liceat in novem Viros cooptari, nec rem divinam facere: non Populi causam agere; nec ullo fungi Magistratu, sive domi, sive peregrè, sive sortitò, sive suffragio mandari solito; neque fæcialis mittatur, neque sententiam dicat, neque in publica fana ingrediatur, nec in Festis solemnibus de more coronam gestet, neque intrà fori septa progrediatur. Si quis autem hæc fecerit, impudicitiæ condemnatus, morte mulctetur.*

De Gymnasiis. Lex autem de Gymnasiis sic ajebat: *Puerorum Magistri ludos ante Solis ortum nè aperiunto, & ante ejus occasum iterùm claudunto: neque fas esto iis, qui puerilem ætatem excesserunt, eò ingredi, dum pueri sunt intùs, præter filium Magistri, aut fratrem, aut generum: his exceptis si quis fuerit ingressus, capite mulctator; Et Gymnasiarchi Mercurialibus nullomodo quemquam adultum ingredi sinunto; sin permiserit, neque Gymnasio excluserit, legi de corruptela ingenuorum puerorum obnoxius esto. Choragi autem, qui à Populo constituuntur, annum 40. excessisse debent.*

Sed

(*a*) *In Orat. contra Timarchum.*

Sed & Mulieres suos habuerunt Præfectos 20., qui Gynecocosmi dicebantur, qui parùm modestè viventes mulctabant; Virorum autem cœtibus, ùt & conviviis, & sumptibus præerant Oenoptæ dicti, sed & cœtus in ædibus, nuptiis, atque Sacrificiis inspectare solebant Ghyneconomi cum Areopagitis. *De Gynecocosmis.*

Curatores autem publicorum operum 10. erant constituti, & Astynomos nuncupabant, licèt alii pro re nata crearentur, ùt pro reficiendis muris, &c. Erantque aquarum, viarumque curatores negotiationi, & nundinationi præfecti, qui Agoranomi dicebantur; quique curabant, ut justâ mensurâ, justoque pretio venditiones fierent, Metronomi nuncupati, quique foro, & annonæ præerant Sithophylaces, & alii quoque Emporium curabant, advectique frumenti partes duas in Urbem negotiatores deferre cogebant. *De Curatoribus publicorũ operum.*

Erat & Magistratus, qui Nauclerorum, & Mercatorum lites introducebat, & de peregrinitate etiam cognoscebat, Nautoticen dictus. Epagogæi etiam menstruas dicas de collectis, & negotiis Mercatorum introducebant; Hinc nedum necessarias curationes ea in Civitate adfuisse, sed aliquas etiam præter necessitatem patet; quare Aristoteles: *Prima*, inquit, *ex necessariis curationibus est, quæ in foro versatur, cùm Magistratum aliquem, qui Commercia, & moderationem dispiciat, præficere oportet. Nam ferè omnibus Civitatibus quædam emere, alia vendere ad mutuos necessariarum rerum usus necesse est*; subditque: *altera curatio est operum in Urbe publicorum, tum privatorum, cum decoro ornatu ædificia, & viæ conserventur, & collapsa reficiantur, & limites communes sinè controversia terminentur, & cætera, quæ similia sunt, &c.* *De variis Atheniensium Magistratibus.*

Cunctos autem Magistratus antequàm legerentur, vitæ, morumque apud Judices rationem reddere oportebat; & postquàm Magistratu abierant, rationem referebant apud Logistas; Unde Æschynes: (a) *Magìs jubet*, inquit, *Lex, Magistratus omnes, quos Populus creat, & publicorum operum Præfectos, & omnes, qui tractant aliquid Civitatis ultrà 30. dies, & qui Judiciorum Principatus obtinent*, (operum verò Præfecti omnes Judiciorum Principatum obtinent) *& qui sorte lecti sunt, hos inquam omnes Lex jubet præesse probatos in foro, & rationem, atque εὐθύνας apud Scribam, & Logistas deponere, ità ut nemo vel minimo Magistratu gesto, nisì rationem, & εὐθύνας reddiderit, à Populo coronâ donari possit.* Logistæ autem eos in foro introducebant, per-

(a) *In Orat. de ementita Legatione.*

perque Præcones Cives ad accuſandum invitabant, hinc Æſchynes contra Cteſiphontem: *Nonne*, inquit, *oportebat te ò Demoſthenes, pati, Logiſtarum Præconem pronunciare Edictum hoc patrium, & legitimum*, & contra Timarchum: *Logiſta cùm eſſet, plurimum nocuit Civitati, donis acceptis ab iis, qui improbè Magiſtratum geſſiſſent, & calumnia iis oblata, qui innocentes eſſent.*

Sed præter hos etiam alios fuiſſe Magiſtratus, qui judicia exercuerunt, non eſt ambigendum. Fuêre namque 40. Viri, qui de verberibus, & vi quærebant; hinc Demoſthenes ad Panthenætum: *Multa mihi*, inquit, *gravia objicit. Siquidem & verberationem, & contumeliam, & vim, & puellarum hæredum injuriam; harum verò rerum cujusque ſeparatim actiones ſunt, neque apud eundem Magiſtratum, neqae eadem pœna, ſed verbera, & jus apud 40. Viros intenduntur; Contumelia verò apud Theſmothetas* Hi autem primùm 30. dein verò 40. fuerunt, omnesque populos, in quos Civitas diviſa erat, obibant, deque minoribus rebus, & minori pecuniæ Summa nempe usque ad 10. drachmas judicabant; majores autem Controverſias Arbitrorum judicio poſt Dominationem ſive Tyrannidem 30. Virûm committebant.

De Quæſtoribus. Peramplum autem erat Quæſtorum munus, præcipuè verò Populi quæſtor ut infrà, quique pecuniam publicam curabant, Vectigalia redditusque Civitatis Publicanis addicebant, & ſi ſtato tempore non ſolviſſent, duplum pendere cogebant; hique decem ſorte deſignabantur, atque in Senatu cunctos Civitatis redditus in publicas tabulas inſcribebant, & controverſias pro iis ortas definiebant. Sed & Populus Antigrapheos habebat, qui ea omnia in Tabulas alias referebant, ut Populo ratio quoque conſtaret reddituum atque expenſarum Civitatis, atque duplici Tabularum exemplo nullus fraudibus locus eſſet; Cùm enim multiplex eſſet pecuniæ publicæ genus, ejusdem quoq; Curatores diverſi erant; pecuniæ namque Civitatis nomine collectæ, aut Vectigalia fuerunt ex publicis poſſeſſionibus, ùt fodinæ metallorum, nemora, agri publici; aut portoria, quæ ex navibus importatis & exportatis in portubus exigebantur, quinquageſimæ nempe Mercium, & quandoque decimæ; aut Tributum, quod ſolvebant Urbis Inquilini Civitatis Atticæ, à Viris nempe 12. drachmæ, à mulieribus 6., quod ſi filius ſolvebat, Mater immunis erat, quod Vectigal à ſervis etiam manumiſſis ſolvebatur. Erat quoque Tributum ſociorum, ſociis nempe Civitatibus indictum,

quod

quod φόροι nuncupabant. Primumque in Insula Telo ex Sociorum decreto, post victoriam de Xerse relatam, constitutum fuit ad eum finem, ut si Persæ rursùm arma movissent, adversùm eos, aliosq; hostes comparari iis auxiliis copiæ potuissent, cujus rei Author Aristhides fuit, & primùm modicum erat, posteà verò Pericles atque Alcybiades auxêre, ità ut à 460. talentis, quæ fuerant ab Aristhide indicta, 1000. ampliùs deinceps exigerentur; Athenas deinde translatum propter bella cum Lacedæmoniis, ùt infrà. Sed extrà ordinem pro Civitatis necessitate decretò Senatus ac jussu Populi juxtà facultates tributa imperabantur nedum Civibus, sed inquilinis; imò Lex erat, ut qui ditissimi essent totius Civitatis, difficiliora munia obirent atque impendia susciperent, & quanquam fuerit hæc ratio primùm servata, Demosthenes tamen (*a*) eam firmavit, atque latâ Lege meliorem fecit, ùt ipsemet fatetur. Ex Lege autem, qui se oneri aut muneri imparem ferebat, è classe ditiorum excedere, & alium extrà Classem monstrare poterat, erat namque 300., qui locupletiores habebantur in Civitate Classis quædam peculiaris, ùt infrà, qui si jam fatebatur se ditiorem esse, in ea Classe statim censebatur, si verò negabat, actio erat alteri petendi facultatum permutationem, quarum permutationum actio quotannis stato tempore exercebatur, & Præfectorum rei militaris munus erat. Singulæ namque Tribus, ùt Ulpianus prodidit, 120. e suo corpore prodire debebant, qui omnium ditissimi erant, posteaque in partes binas sexagenorum hominum singulas dispertiti, symmorias efficebant 20., sexagenorum hominum singulas, & in singulis Tribubus binas. Rursùs 1000. ac 200. in duas partes diviserunt, sexcentorum hominum utramque, easque rursùs in duas, ut essent 4., unaquæque 300. Virorum. Isti verò 300. divitiis omnes antecedebant, & ante alios conferebant, eosque dicto audientes in omnibus rebus habebant, ex quo factum erat, ut omnes in 2. partes descripti essent; siquidem qui ab utraque parte erant, quodàmmodò 300. ditissimis, qui utrinque erant, adhærebant. Singuli autem Trecenti qui erant, ùt dixi, quatripartiti, proprium Rhetorem & Prætorem habebant, sed ità ut Rhetores Prætoresque secundorum Trecentorum cederent Rhetoribus, Prætoribusque primorum. *De Symmeriis.*

Quare prompta erat ratio conficiendæ pecuniæ in usum Civitatis, ex ea namque subdivisione 300. illi ditissimi bellô exortô,

(*a*) *In Orat. de Corona.*

aliisque necessitatibus paratâ pecuniâ succurrere prompti erant, & obire munera, expensas autem à cæteris Symmoriis pro rata posteà accipiebant; Si autem bellum esset navale, aut quomodocunque instruenda Classis esset, moris erat singulas Triremes ædificare, atque instruere; adeò autem præmiis atque honoribus augebantur qui celeriùs eas impensas faciebant, aut obibant munera, ut paulatim omnes sumptus Reipublicæ donarent, quod institutum Demosthenes ipse refert pro Ctesiphonte: *Ego*, inquiens, *cùm viderem divites parvis sumptibus factis vacationem habere, qui verò modicis, & parvis copiis præditi essent, bona sua consumere, proptereaque Civitatem omnes rei gerendæ occasiones amittere, Legem tuli, quâ divites in officio contineri, pauperes autem injuriâ liberari possent; & quidem multis pecuniis à Symmoriarũ Principibus aut secundanis, aut tertianis tentatus nè Legem ferrem, aut eam, ut in aliud tempus, differrem: Meritò illis quidem, licebat enim eis ex prioribus Legibus* 16. *simul Lyturgias obire, cùm ipsi parùm aut nihil impenderent, pauperes autem Cives contererent; Meâ verò Lege sancitum est, ut pro facultatibus singulis pensitarent, & qui antè unius Triremis sextus aut decimus erat Contributor, ille duarum Trierarchus evasit, neque enim jam se Trierarchos sed Contributores vocabant.* Sed & voluntariæ erant oblationes, bonis nempe Civibus in Senatu se se ultrò Reipublicæ difficilioribus temporibus offerentibus, aut cùm Senatus ipse posceret, & voluntariæ dicebantur. Hinc Plutarchus cùm pro quodam Sacrificio oblationes poscerentur, Phocionem vocatum respondisse ait, *ut à divitibus peterent, eum namque pudebat, fœneratori, quem ostendit, non reddere, & pro Sacrificio offerre.* Quæ pro Trierarnymis quinchiis & Collationibus dicta sufficiant.

De pecunia publica, ejusque variis receptoribus.

Conficiebatur quoque pecunia ex mulctis damnatorum in Judiciis, quorum nomina oportebat statim Tabulis inscribi, & ejus pecuniæ Minervæ, pars decima, cæteris autem Diis & singulis Epoquagesima.

Sed Vectigal quoque erat, quod à meretricibus persolvebatur.

Erant igitur Vectigalium Venditores, qui auctione in foro constitutà, acceptisque prædibus Civitati consulebant. Alii autem Epigraphei dicti æstimatis cujusque bonis, quantum Tributorum nomine pendere tenebantur, inscribebant. Apodectæ autem à debitoribus coram Senatu pecunias recipiebant, easque in Tabulas referebant, litesque his de causis judicabant, aut in forum introdu-

cebant

cebant, ſociorum autem recipiebant, qui Hellenotamiæ dicebantur. Qui verò pecuniam ex mulctis Diis conſecratam exigebant, Quæſtores dicebantur, & pecuniam illam reponere tenebantur in Conclavi, quod erat poſt arcem, quodq; propterea Opiſthodomus vocabatur. Mulctam autem, quæ Civitati debebatur, exigebant ii, quos Practores nuncupabant; contrà omnes autem, cùm nempe muneri haud ſatisfacerent, ex Senatùs-Conſulto Inquiſitores legebantur. Everſà tamen 30. Tyrannorum Dominatione Syndici inſtituti fuêre, qui de bonis Civium publicatis cognoſcebant. Ille autem, qui præcipuà authoritate pollebat, Quæſtor Populi dicebatur; is enim congeſtam pecuniam in publicos uſus diſtribuebat, & in quinquennium creabatur, atque ab eo Mercedem & Concio & Judices, Senatûs, Equiteſque accipiebant. Erant etiam Quæſtores militares dicti, quoniam pecuniæ militari præerant.

Cùm autem Pericles primùm pecunias publicas ad demerendam plebis gratiam in uſum Theatri quoque impendere cœpiſſet, præcipuè verò militares, atque propterea Theoricæ pecuniæ dicerentur, Quæſtores quoque Theoricarum ſunt creati, datumque jus tenuiori plebi ſpectare cupienti, totoſque dies in Theatro deſidenti, ut binos obulos acciperet in ſingula capita, cùm alii eoſdem penderent, ut locum in Theatro acquirerent; quare ex Tabulis Lexiarchicis jus illud oriebatur.

Inter publicos autem Præbitores ultrà Trierarchas, qui præcipuè Triremes inſtruebant, & Remiges alebant, Collatoreſque, qui nempe pro ratione cenſûs pecunias conferebant, ùt diximus, Gymnaſiarchæ fuêre, qui oleum miniſtrabant, Palæſtrâ ſeſe exercentibus, & Epulones, qui in Sacris pro lætitia ſuis Tribulibus epulum præbebant, Choragi quoque, qui nempe in Dionyſiis, & Panathæneis, de quibus abundè Sigonius ſcripſit. Quæ quidem munera neceſſariò obire oportebat, & ſingulos ſingulæ Tribus, aut Populi præbitores ſuos edebant, Choragias quidem, Trierarchias, atque Gymnaſiarchias altero quoque anno, ità ut pro dimidio temporis immunes eſſent; collationes autem duntaxat urgente neceſſitate; unde Demoſthenes contra Philippum: *Quid eſt*, inquit, *cum ludi Panathenæorum, & Dionyſiorum idoneo ſemper tempore fiunt, Claſſium autem emiſſio alieno? nempe quia illa omnia lege aguntur, & veſtrum quiſque multô ante novit, quis Choragus, aut Gymnaſiarchus Tribus; quando, & à quo, & quid capientem, quid agere oporteat; in rebus autem bellicis confuſè omnia agimus,*

mus; ſimul enim, ùt increpuit quid, Trierarchos conſtituimus, & his permutationes proponimus, & de quærendis pecuniis conſultamus.

De militia Athenienſium.

Sed quoque tenebantur neceſſariò Cives decimum octavum annum ingreſſos pro Republica militare, perque biennium Civitatis fines cuſtodire, adeoque Peripoli à luſtranda regione dicebantur, licèt Ariſtoteles per annum affirmaverit, ùt & Ephebos ipſos ſcutum, atque haſtam à Concione accepiſſe; poſteà verò ſuo etiam impendio univerſa militiæ munera, cùm juſſi eſſent, obire adeò tenebantur, ut qui non parerent, jus ferendi ſuffragii ſtatim amitterent. At Pericles Plebis Demagogus militibus ſtipendia primus aſſignavit. Pedites autem, *Armati*, dicebantur, quæ ſola primis temporibus militia Athenienſium fuerat, Equitibus namque aut nullis, aut admodum perexiguis antiquitùs uſi ſunt. Victoriâ quidem de Xerxe partâ primùm equeſtrem militiam inſtruxêre, trecentosque Equites, & Sagittarios totidem, poſteà verò Equites 1200., pariterque totidem Sagittarios inſtituerunt, quibus tamen ſtipendium ab initio ad emendos, alendosque equos aſſignârunt. Phylarchi autem deſignabant eos, qui equis mereri poterant, excuti namque oportebat, an equis mererentur, & qui ad equeſtrem militiam ſinè probatione accederent, interque alios collocati equos aſcenderent, infamiâ notabantur.

At Navalis militia adeò aucta eſt procedentibus temporibus, ut quanquàm Æginetico bello vix 50. triremes inſtruxiſſent, ſingulæ namque Naucrariæ naves ſingulas præbebant, ut quoque duntaxat antiquitùs binos equites, & 48. ſolummodò erant, Themiſtocles tamen primus effecit, ut Claſſis ex Vectigalibus, qui ex metallorum aureorum fructu percipiebantur, deberet comparari 100. Navium, Populumque ad navalium rerum curam excitavit, accenditque adeò, ut maris Dominium poſteà nactus videretur, eâque Claſſe Xerſem vicit, ſalutemque victoriâ illâ toti Græciæ tulit. Hinc eodem promovente Themiſtocle quotannis 20. Triremes inſtructæ Claſſi adjiciebantur, portumque Pyrei triplicem ab ipſo, cùm Archon fuiſſet, incæptum, antequam Xerſes Græciam peteret, ejus etiam curâ abſolutum tandem fuiſſe, à Thucidide proditum eſt. Ibique nedum navium ſtatio, ſed Navalia cuncta, & armamentarium, cùm Themiſtoclis, tum Periclis, & Lycurgi operâ inſtructum, Authores tradidêre; atque ut nautica turba non deeſſet, inquilinos, atque Artifices immunitate donavit, & ad rei nauticæ ſtudium prœmiis inflammavit,

mavit; Pericles autem navim conſcendentibus per 8. menſium ſpatium ſtipendia mereri juſſit. Curam autem emittendæ Claſſis habebant Duumviri, quos Apoſtolos appellârunt, iique de nauticis controverſiiis cognoſcebant. Curatores autem navalium locos, per quos triremes deduci oportebat, purgare tenebantur, & ſingularium triremium armamenta curabant. Hinc Demoſthenes: (a) *Vocavi*, inquit *in jus eum apud Apoſtolos, & Curatores Navalium.* Hi enim lites de nauticis inſtrumentis in forum introducebant.

Demarchi verò Nautas è Populis ſingulis edebant. Res autem bellica è Prætoribus decem adminaſtrabatur, à Populo in Comitiis deſignatis, rationibusque reddendis obnoxiis, nisi cùm Populus diverſum juberet; ſinguli autem vetuſtiſſimis temporibus per ſingulos dies imperitabant, iisque Polemarchus adjungebatur, ut ſi paribus ſententiis eſſent, ille ſuffragio ſuo cunctationem in deliberando tolleret; quorum alii jurisdictioni præerant, alii verò armis; unde cùm rem militarem alii adminiſtrabant, tùm alii domi manebant, viciſſimque decedentibus illis ſuccedebant, Imperiumque ſuſcipiebant; de his autem rebus in Urbe cognoſcebant, quæ præcipuè ad rem militarem ſpectare videbantur.

Ordines quidem militares inſtruebant, armatosque in prælia mittebant, iisdemque expeditiones imperabant ii, qui Taxiarchi dicebantur, delebantque etiam è militum Albo, unde Lyſias: *Opus erat*, inquit, *mandare Taxiarcho, ut eum ex Cathalogo armatorum eximeret.* Et deni quoque ex ſingulis Tribubus fuêre.

Equitibus autem Hypparchi, & Phylarchi imperare viſi ſunt, quorum illi duo, hi verò 10. fuêre, & ut primi univerſo, ſic alii ſingularum Tribuum Equitatui imperitabant; Hypparchi tamen Prætorum etiam authoritati, atque mandato parere debebant; hinc Demoſthenes: (*b*) *Cùm*, inquit, *Prætor Phocion equites ad ſucceſſionem vocâſſet, Medias ad navim contendit, & quorum equitum Hypparchus eſſe voluit, cum iis non convenit.* Pylarchi autem inter alia Equites conſcribebant, dimittebantque.

Qui autem Triremibus præerant, Trierarchi dicebantur, ſubjerantque Prætorum imperio; eorum verò munus erat, ùt antè dictum, Triremes omni armamentorum, remigumque genere inſtruere, quapropter de ea laude inter ſe mirè certabant.

Erant quoque, qui apud Socios munus obibant agnoſcendi

M eos,

(*a*) *Contra Evergum.* (*b*) *In Mediana.*

eos, qui ſtipendiis merendis apti viderentur, & propterea Inquiſitores peregrinorum dicebantur, unde Æſchynes: (*a*) *Miſſus*, inquit, *à vobis peregrinorum conquiſitor Heretriam, ſolus ex conquiſitoribus pecuniam cæpiſſe confeſſus eſt.*

De Græcorum Religione.

Mittebantur quoque alii, ut actiones inſpicerent Sociorum, explorarentque eorum fidem, & Epiſcopos appellârunt.

Græcorum autem Religionem, ritusque Sacrorum deſcribere inane prorsùs judicamus, cùm hiſtoria, Poëtæque ſimul ad nauſeam uſque tractârint. Breviter igitur ex Ægyptiis, Aſſyriisque Religionem omnem deſumpſiſſe, & naturalium rerum, quas putabant cauſas, atque principia in fabulas ac Numina vertiſſe, exque iis Theologiam ſuam pertexuiſſe, ut Populis proponerent, advertiſſe ſufficiat; licèt primam cauſam unam eſſe Philoſophi credidiſſent, quam verbis exprimere nequibant; Numina verò, quæ Populus colebat, alia Mundum conficere putabant; alia quæ Cœleſtia dicebant, mentem atque animos procreare; hinc figuræ ipſæ Deorum quaſi in ænigmate in ſtatuis conſpiciebantur, & Apollo lyram adaptare, Pallas armata, nudaque Venus cernebantur, cùm ex partium harmonia pulchritudo ipſa oriatur, cæteros autem Deos in his eſſe fingebant, Bacchum videlicet in Jove, Æſculapium in Apolline, Gratias in Venere, quibus orbes aſſignabant, ùt Veſtæ Terram, Neptuno Aquam, Junoni Aërem, Vulcano Ignem; Apollinem autem, & Dianam pro Sole, & Luna deſumebant, & Saturni orbem Cereri vindicabant, Palladi ætherem; Cœlum verò commune omnibus ajebant. Ipſius igitur Naturæ virtutes in Numina transferebant, ipſamque Naturam unam rerum omnium immenſam, atque infinitam, formasque univerſas perpetuò, atque perenni motu aſſiduâ circumvolutione proferentem, aſſerebant; unde rerum univerſitas, innumerabilisque animorum, & corporum productio ſequebatur; hinc Protheus ille Ægyptiorum; hinc Pythagoræ Metempſicoſis, & Mundi anima, ſeu infinita cogitatio infinitæ materiæ cognata; & profectò nil aliud prima illa Ariſtotelis materia, eductioque formarum. Creatorem igitur vertebant in res creatas, cùm creationem ex nihilo non agnoſcerent, Deumque ipſum veluti pro fundo, & materia rerum haberent; hinc Divinitatem ipſam in cunctas rerum ſpecies diſtraxêre, quæque magìs excellebant, quaſi Deum ipſum propiùs exprimerent, Plebi credulæ pro Numinibus colendas pro-

(*a*) *Contra Timarchum.*

proponebant, ipsosque homines propter virtutem aliquam, etsi de reliquo sceleſtiſſimos, conſecrabant. At quis profectò Sacerdotum artes, & callidorum hominum impoſturas procedentibus temporibus adinventas recenſere potis erit? quò namque Oracula, Divinationesque ſunt reponenda? Et Græciæ quidem celebriora erant Dodonæum à Dodona Chaonia, ſeu Moloſſidis Urbe, ſeu à Fluvio Dodone, aut Columba Dodonæa, ſeu Phœniceâ muliere in Græciam deductâ, nuncupatum. Quercetum namque erat Jovi ſacrum, altioremque quercum conſcendebant tum Vates, tum Aniculæ fœminæ, è Theſſalia præcipuè. Quodcelebriùs reddebant fornix, qui ſacer habebatur, quò faces ardentes exſtingui, exſtinctas autem accendi videbantur: Lebes quoque æneus continuum edens ſonum, ſeu vento, ſeu alio quolibet inſtrumento. Delphicum à Delphis Phocidis Urbe, ubi templum viſebatur Apollinis Pytii magnificentiſſimum, cui Caprarum gregem originem dediſſe proditum eſt. Cùm enim antrum profundum in monte Parnaſſo eſſet, anguſto ore accedentes Capræ miros quoſdam ſaltus, ſonosque edidiſſe furenti fortaſſe Caprario viſæ ſunt, ipſumque propterea eò acceſſiſſe, & futura prædixiſſe vulgârunt. Hinc antro Tripodem ſuperpoſuêre, templumque poſteà exſtruxêre; In ejus autem adytis reverà profundus terræ hiatus erat, ex quo ventus fermè aſſiduè flabat; illi autem tripos imminebat, cui ſuperpoſitum erat operculum orbiculare, atque foramen, cui Pythia inſidebat, furoreque correptam ſe ſimulabat, atque capillos propterea demittebat, & ſpumam ex ore emittebat, ſicque furens reſponſa dabat, quæ pecuniâ plerumque corrumpebatur. Sicut autem Oraculum iſtud, ut omnia ferme, ceſſâſſe tandem viſum fuit; ità notatu ſanè dignum, Juliani Apoſtatæ temporibus iterum reſponſa dediſſe, ut etiam impius ille his conatibus revocare impoſturas non omitteret.

De Oraculo Dodoneo.

Trophonii quoque Oraculum apud Lebadiam Beotiæ Urbem fuit, atque à Trophonio Architecto initia ſumpſit & nomen, cùm ibidem domicilium ſubterraneum ſibi exſtruxiſſet, ex eoque futura prædicere jactitâſſet; antrum igitur illud in luco erat, illucque deſcenſurus, ritus quoſdam ſervare debebat, ut expiari crederetur; hinc Sacrificia quædam peragebat, oleo ungebatur, & aquâ lavabatur cujuſdam fluvii; togâ tandem lineâ indutus, & quaſdam mellitas offas manibus geſtans, per anguſtas fauces in antrum deſcendebat, futuraque cognoſcere credebatur nunc ex viſis, nunc ve-

De Oraculo Trophonii.

rò ex auditis, perque eandem viam revertebatur, pedibus retrorsum protensis, eratque velut attonitus, & tristis; statimque à Sacrificulis in solio collocabatur, Mnemosynos dicto, eumque percunctabantur de iis, quæ visa, aut audita fuissent, postque à sociis reducebatur in cellam boni genii, aut bonæ fortunæ, ubi ad pristinam hilaritatem redire videbatur.

De Oraculo Amphiarai. Amphiarai quoque Oraculum apud Oropios in Attica, ità dictum, quoniam Amphiaraus Oeclei filius, homo Magiæ peritus, & somniorum interpres, solemnis nempe impostor, post mortem in Deos relatus templum habuit, ubi responsa dare per somnia credebatur; Qui autem futura præscire cupiebat, postquàm Sacris esset operatus, 24. horas jejunare, & triduô Vinum non gustare, dein Amphiarao arietem mactare debebat, cujus pelle involutus somnum capiebat, sicque responsa in somnis accipere putabatur. Erat etiam propè templum Sacer fons Amphiarai dictus, cujus aquam ad profanos usus adhibere nefas. Sed cuncta recensere putidum foret.

De divinationibus. Divinabant autem cùm ex avium Cantu & Volatu, tùm ex somniis, perque Sacrificia, inspectis nempe Victimis, seu per ignem aut fumum; ùt quoque per Sortes, per Versus, & Virgas, nec à mortuis abstinebant, & aquis etiam ad divinandum utebantur, ut & Gallô gallinaceo, Cribroque.

Multa autem erant Sacrorum Genera, Festa & Ludi, nec minùs pauci Sacrorum Præfecti, de quibus cùm abundè Authores fermè innumeri scripsissent, quid ampliùs his immorari opus erit?

De Legibus Connubialibus Atheniensium. Atque in his profectò, Magistratibus nempe, Populi ordinibus, & Sacris jus omne publicum Atheniensium versabatur. Præcipuas autem Matrimoniorum Leges Plutarchus recenset; Ea verò celebris erat, quâ & Civem Atticum peregrinæ, & Atticam alienigenæ jungi vetebatur: *ubi peregrinus*, Lex ajebat, *Mulierem Civem Atticam duxerit, quâcunque arte aut machinatione, quivis Atheniensium, cui id licet, eum apud Thesmothetas accusato. Qui si damnatus fuerit, venumdetur tum ipse, tum res ejus familiaris: Et Cliens esto ejus, qui reum peregerit.* Similiter, *si & peregrina Civi Attico nupserit, pari ratione is etiam, qui peregrinitate damnatam habuerit in Matrimonio*, 1000. *drachmis mulctator.* Quanquam autem Solon dotes sustulisset, ut uxores ad suscipiendam duntaxat sobolem ducerentur, & tres solummodò Vestes, quædamque parvi pretii Vasa secum novam nuptam afferre jussisset, cuncta tamen procedentibus temporibus mutata

fuêre;

fuêre. Licebat autem Athenienſi Civi ducere filiam Germani fratris, Sororisvè, moribusque receptum quoque erat, Maritum moriturum Conjugem alteri ſimul cum dote tradere, & Demoſthenes oratoris Pater ſolemni Teſtamento uxorem Cleobulen Aphobo cum dote nuptui dedit, imò ſervis quoque manumiſſis dabant, ùt Phaſio Phormioni ſuo. Divortia quidem plurimùm uſitata Athenis fuiſſe, maritosque ſemper uxores, cùm animus fuiſſet, dimiſiſſe reſtitutâ dote, aliasque ſibi junxiſſe, quis profectò negaverit? Unâ tamen uxore contentos fuiſſe certum eſt, imò & Concubinâ; quod quanquàm haud expreſsè Authores referant, conjici ex eo videtur, quòd eas uxorum locô habuerint; erat namque moribus receptum, eis uti, imò nec ſcortari Maritis ex Lege vetabatur, nec propterea ùt adulteri taxari poterant; hinc Demoſthenes: (*a*) *in Matrimonio habere, hoc eſt*, inquit, *cùm quis liberos generat, atque ad Curiales & populares, ſive municipes filios introducit, & filias pro ſuis nuptum elocat. Meretrices enim voluptatis ergô habemus: Concubinas ob quotidiana Miniſteria, Curamque Corporis: Uxores autem ad gignendos legitimos liberos, & fidelem rei domeſticæ Cuſtodiam.* Hinc Epænetus Andrius, quanquam cum Neæra Matre, & Phornone filia rem habuiſſet, atque ipſemet faſſus eſſet, Arbitrorum judicio fuit abſolutus. Permittebatur autem Solonis Lege, adulterum cum uxore deprehenſum confeſtim occidere; ſi autem alter erat, ſeu Pater fœminæ adulteræ, ſeu frater aut propinquus, adulteram duntaxat poteſtas erat in Vincula conjiciendi, deferendique apud Magiſtratum; Viro profectò nec licebat uxorem in adulterio deprehenſam retinere; quod ſi retinuiſſet, ignominioſus habebatur. Si quæ autem puella nec Parentes, nec fratres haberet, adeoque in nullius eſſet poteſtate, & ſola Parentum hæres, accipere eum tenebatur, cui jus erat ex Lege tributum. Si autem nec ille fuiſſet, ipſa Virum eligebat; jus verò erat proximiori agnato ſibi deſpondere, & poſſeſſionem hæreditatis adipiſci; Si verò inopes erant, proximiores quoque aut uxores ducere, aut dotem fortunæ congruam iis dare tenebantur. Carpit autem meritô Plutarchus eam Solonis Legem, quâ puellæ, ſi proximior, cui nupta erat, impotens fuiſſet, & tamen dotis cupidus eſſet, ex ejuſdem propinquitate alterum ad Concubitum admittere, & liberos ex eo ſuſcipere, & nihilominùs cum eodem Viro manere permittebatur. Juſſit profectò Solon novam nuptam cum Viro occludi, & utramque

(*a*) *Contra Nearam.*

que malo Cothoneo vesci bellariorum locò, terque saltem quolibet mense Virum cum uxore coire ad sobolem procreandam.

De Disciplina Matronarum.

Celebres autem erant Leges de disciplina Matronarum, interque alias ea erat, quâ adultera mulier Ornari vetabatur, aut in fana publica ingredi; quod si secùs fecisset, verberibus excipiebatur, & Vestimenta dilacerari, ac ornatus diripi debebant; Nimis quidem indulgentem ergà raptores, Lenonesque Solonem fuisse idem Plutarchus notat, cùm duntaxat 10. drachmarum mulctam persolvere pro pœna tenebantur, & si raptas ipsas puellas prostituissent, duplicari mulctam jussit.

De pœna furti.

De furtis autem Lex erat à Demosthene relata in Thimocratea: *si quis*, inquiens, *interdiù supra* 50. *drachmas furatus fuerit, adduci licet ad undecim Viros: si quis verò noctu quidpiam surripuerit, eum & occidere, & inter persequendum vulnerare, & ad* 11. *Viros, si cui libet, adducere fas esto. Convicto autem eorum facinorum, propter qua in vincula licet abripi, non licet datis Vadibus satisfacere pro factis, sed mors pœna esto. Ac si quis ex Lycao, aut ex Academia, aut Cynosarche Vestem aut laguncalam, aut quidquam aliud minimi pretii, aut aliquod Vasculum è Gymnasiis, aut portubus surripuerit suprà decem drachmas, etiam hic Capite pœnas dato: Si quis verò privato judicio furti convictus fuerit, ei permittitor duplum æstimatæ litis solvere: penes verò judices esto, furem ad* 5. *dierum, totidemque noctium Vincula damnare, ut omnes vinctum esse videant.* Si aliquis autem delator fuisset, aut crimen intendisset, & ab instituta actione destitisset pecuniâ corruptus, aut aliâ de causa, is velut prævaricator ad 1000. drachmarum mulctam ærario solvendam damnabatur; Si autem actionem prosequebatur, at quintam suffragiorum partem in ferenda sententia non tulisset, ùt Calumniator, aut Sycophanta totidē drachmas ærario solvere damnas erat, & quamdiù non solvisset, ab Oratoris munere arcebatur. Quare Æschines, cùm in Ctesiphontea causa illum suffragiorum numerum non obtinuisset, præ pudore & ignominia, ac nè mulctam solveret, Rhodúm abiit exulatum.

De succedendi ratione.

Quoad successiones verò, quanquàm ante Solonem nullum esset ultimarum Voluntatum jus, & consuetudine receptisque moribus duntaxat ab intestato deferrentur, Natura tamen ipsa Legem fecerat, ut nempe, qui essent proximiores, hæreditatem caperent. Adoptivi autem filii ùt & geniti succedebant; at Solonis Legibus Testamenta fuêre introducta, successionesque ab intestato Legibus defini-

definitæ; illud porro notatu dignum, quòd filias superstitibus masculis excluserit, & duntaxat parvula illâ dote contentas esse voluerit; Nothis autem seu spuriis jus propinquitatis & successionum nullum erat, ùt nec jus quoque Civitatis. Deficientibus quidem masculis ex defuncto rectâ per mares descendentibus, & existentibus ex filia genitis, hos præferri ex fratre defuncto descendentibus jussit Legislator; Qui autem ex maribus descendebant à defuncto prognatis, licèt gradibus essent impares, in stirpes tamen succedebant; Ex Collateralibus verò orti secundùm gradûs proximitatem admittebantur, & fœminarum nulla erat ratio: Quibus verò soboles non erat, alios adoptandi, eôque remediô familiam conservandi facultas erat, sed consensus debebat accedere illius, in cujus potestate, qui adoptabatur erat, & si diversæ fuisset curiæ, ad curiales adoptantis adduci oportebat, nomenque ejus in tabulas referri; prohibebatur autem adoptato, aut filio ejus, aut cuiquam ex his prognato, si liberis masculis ipsi carerent, in fraudem Cognatorum adoptantis alium sibi adoptare, eique familiam tradere; hinc & adoptio irrita evadebat, & hæreditas ad primi adoptantis proximos redibat. Quod si adoptatus in familiam suam reverti voluisset, & filium sibi substituisset, filius quidem familiam & hæreditatem adoptantis tenebat, ipse autem velut juris sui desertor, suique emancipator, jure omni adoptionis excidebat; idemque in filio erat constitutum, si Patris exemplum imitari mallebat. Testamenti autem factio cunctis data Civibus est, qui sui juris essent, modò Leges servarentur, & propterea non ad eum finem, ut genere proximos fraudarent, sed ut beneficiis inter se certarent, vetabat Lex Testamentum condere, & res suas alienis legare, qui liberos mares legitimos habebant, quibus utique hæreditas debebatur, quivè mente læsi erant, aut seniò nimìs pressi, aut beneficio impliciti, morbovè gravi laborantes, aut mulieribus obsequentes, aut earum rerum aliqua, quæ legibus erant vetitæ, affecti, aut deníque necessitate aut Vinculis circumventi. Licebat autem substitutiones facere; quanquàm verò Testibus uterentur, ignotum tamen iis erat, quod testamentis contineretur, undè velut scripta Romanorum testamenta fuisse docemur. Aperiebantur autem præsentibus testibus apud arbitros aut judices, & cùm de hæreditate contentio erat, citari oportebat eum, qui hæreditatem tenebat ad Archontem, quemadmodùm in aliis causis. Sacramentô quidem,

„ quidem, Lex ajebat, contendat petitor; ſi ſinè citatione petiêrit, imperfecta erit petitio hæreditatis. Sin is, qui hæreditatem adiit, ſuperſtes non fuerit, arceſſat ſimili ratione eum, cui præfinitum tempus nondum erat terminatum. Diſceptatio autem apud Archontem erit eà ratione, quâ is egit, qui hæreditatem tenet. Illud porrò ſingulare videtur, quod de puella orbâ Lege diſpoſitum erat, ut nempe ea agnato nupta tamdiù hæreditatem poſſideret, quàmdiù filius ex ea natus pubertatis annos egrederetur, annos nempe 16., tunc verò hæreditatem ipſam filio tradere, & filius viciſſim Matrem alere tenebantur; undè ad id tempus uſufructuaria ſolummodò eſſe videbatur; permanens autem in domo filii, nec dotem repetendi facultas erat; quod ſi diſceſſiſſet, aut alimenta erant præſtanda, aut dos reſtituenda; tranſeunti verò ad ſecunda Vota dos omninò reſtituebatur.

Erant quoque in Civitate Juriſperiti, qui conſuli ſolebant in rebus dubiis, reſponſaque dabant, quêis utebantur in agendo etiam apud Magiſtratus.

De vulneribus, & cæde hominis.

De Vulnere autem: *ſi quis*, Lex ajebat, *Viri Corpus vulnerârit, aut Caput, aut faciem, aut manus, aut pedes; is ſecundùm Leges Areopagi exulato eâ Civitate, quam incolit injuriâ læſus, ſi vulnus Conſultò illatum; & ſi in Civitatem redierit, deprehenſus, morte mulctator.*

Mos autem erat, ut cæſi hominis propinqui uſque ad ſobrinos occiſores perſequerentur, & propterea jurejurando obſtringebantur id facere, etiam ſi ſervus fuiſſet interfectus; ſi autem propinqui non comparuiſſent, is qui funus curabat, in eo efferendo haſtam adhibebat, & juxtà ſepulchrum proclamabat: *an quis eſſet cæſo cognatus?* Cuſtoſque ſepulchri erat per triduum.

De curatione funerũ.

Sed quomodo funus curari deberet, Lege cavebatur: *defunctum*, inquiens, *intùs proponunto ùt voluerint: efferunto autem poſtridie, quam propoſuêre ante ſolis ortum: Viri, cùm effertur funus, antecedunto, mulieres ſequuntor: Mulieri fas non eſto ingredi in bona defuncti, neque funus ejus, dum effertur ad ſepulchrum, ſequi, quæ ſexagenariâ minor ſit, præterquàm, quæ intrà Conſobrinorum liberos cenſentur: nec mulieri ulli in bona defuncti ingredi permittitor, elatô jam funere, niſi quæ propinquitatis gradu intrà has Conſobrinorum filias ſit.*

De Uſuris.

De Uſuris quidem, & præcipuè de nautico fœnore mirum quantum procedentibus temporibus Leges abundarint! cùm Civitas tota maritimis negotiationibus dedita fuerit, & ex ipſius ſyngraphæ

for-

formula, quam Demoſthenes exhibuit, Wolffiusque latinè reddidit, quædam dignoſcuntur: (*a*) *Mutuârunt* (ea eſt) *Androcles Sphettius & Naucrates Cariſthius Artemoni, & Apollodoro Phaſelitis argenti* 3000. *dragmas Athenis Mennen usque aut Scionem, & inde Boſphorum: Quid ſi voluerint in ſiniſtra ora uſque ad Beryſthenem, & rurſum Athenas? ducenis Vicenis quinis millenas: ſin poſt Arcturum ſolverint è Ponto templum Argonanteum petituri, trecentis eas* 3000. *drachmas, Vini amphoris Mendeis pignori oppoſitis ter mille, quod evehetur Menda aut Scione in navi viginti remorum, quæ eſt Hibleſii navicularii. Oppignorabant autem id Vinum, non debentes propterea cuiquam quidquam argenti, neque ad id mutuabantur: Et evehent merces Vini pretiô coëmptas rursùs Athenas, in eadem navi omnes; perductis autem Athenas mercibus reddent debitores Creditoribus argentum, quantum debetur ex Syngrapha intrà vigeſimum, ex quo Athenas venerint, diem integrum, exceptà jacturâ, ſi quam Vectores de communi decreto fecerint, & ſi quid hoſtibus pependerint. Quod ad cætera attinet omnia, integrum eſto; & exhibebunt pignus Creditoribus liberum & immune, donec ſortem cum uſuris reddiderint ex Syngrapha. Niſi autem ad dictum diem ſolverint, pignora Creditoribus oppignorare, & vendere tanti liceat, quanti ſunt. Quod ſi quid argenti Creditoribus ex Syngrapha reddendi defuerit, exigere liceret Creditoribus ab Apollodoro & Artemone, & omnia eorum bona tam terreſtria, quàm Nautica ubique gentium, ubi ea fuerint, pignorari, perinde ac ſi judicio victi judicatum non ſolviſſent, tam alterutri Creditorum, quàm utrique. Sin non onerârint, decemque dies poſt Caniculam in Helleſponto manſerint, atque exoneraverint ubi Athenienſibus pignora capere non licet, etiam inde reverſi Athenas, uſuras reddant annô ſuperiore tabulis inſcriptas. Sin quid navi graviùs acciderit, in qua vehentur merces, pignora ſalva ſint. Quæ ſuperfuerint, communia ſunto Creditoribus, & in his rebus nihil plus valeat, ac Syngrapha.* Cætera ex ipſamet oratione patent. De ſponſionibus autem, Lex quanquàm ratas eſſe juberet, nè tamen diutiùs annô valerent, præſcribebat, & propterеà Creditores ipſos admonebat, ut in tempore, debitores, ſponſoresque urgendo, pecuniam repeterent.

Cùm verò Leges in immenſum creviſſent, & inde confuſionem parerent, ſub finem Peloponneſiaci belli delectis quibusdàm Viris demandatum fuit, ut eas in ordinem redigerent, utque quatrimeſtri ſpatio abſolverent injunctum. Inter eos autem Nicomachum fuiſſe verſipellem Virum, grave Civitati fuit; is enim ſervo natus li- *De Legum reformatione.*

N berta-

(*a*) *In Orat. contra Lacritum.*

bertatem acquisiverat, & in Civium Album relatus fuerat. Intumuit ergo fortunâ, ùt his accidit, qui cùm abjecti, & vilis animi sint, ad levem etiam fortunæ auram inflantur adeò, atque tumescunt, ut nil spirare præter superbiam videantur, cunctosq; despiciant, imò decipere gaudeant; & si obsequâre, magis improbos efficies, cùm nunquam flectantur. Igitur ut in omnibus similis sui esset, Leges quoque corrupit, acceptâque pecuniâ fixit, refixitque; unde querebatur Lysias ex ejus manibus, tanquam Legis custodis, depromi Leges, & sibi ipsis adversantes à contendentibus, quas utrique à Nicomacho ipso acceperant, produci.

De variis Civitatis Atticæ conversionibus, ac tandem interitu.

Sed eô deventum erat, ut propter Plebis potentiam, quæ cuncta paulatim ad se traxerat, Civitas undique jactari, ac tandem susque deque volvi Demagogorum artibus videretur. Hæc autem, quanquàm præter morem, ideò retulimus, ut Romanam Civitatem nedum Leges, sed & ipsam formam, atque ordinem ab Attica pene desumpsisse, inque eadem mala incidisse propter plebem, dignosceretur; quanquàm utraque Civitas potentiâ & opibus cunctas longè superâsse visa fuerit. Et, ut verum fatear, nulla alia ferme fuit, si Romam tollas, quæ cùm sapientiâ, & institutis, tùm rerum gestarum gloriâ Athenienses superârit; quanquam enim Lacedæmonii præter fidem quoque egregia facinora terrâ, marique gessissent, & Athenienses ipsos pluries bellis superâssent; attamen cùm moribus, tum institutis, atque Legibus, Atheniensibus comparari nequeunt; cùm pene efferatos fuisse, Legesque admodum inhumanas habuisse, ex jam dictis satis abundè pateat. At ea est rerum humanarum conditio, ut cuncta perpetuo quodam motu necessariò volvantur, & propterea vicissitudinem quoque Legum, ac morum esse; hinc postquam jura Athenis negligi cœpêre, & Plebs improvida Dominationem exercebat, cuncta miscuit, turbavitque adeò, ut primò Seditiones, dein Tyrannicam Dominationem sub Pisistrato passa fuerit, ac denuò exactis Tyrannis in factiones abiverit; exarserant namque Clystene, atque Isagorâ Principibus; ac licèt posteâ externis bellis implicata quievisse visa esset, & rerum gestarum gloriâ celeberrima nedum inter alias Græciæ Urbes, sed per totum orbem evasisset, cùm è tot bellis nedum victrix, sed constantiâ, & fortitudine cum fortuna ipsa dimicâsse conspiceretur; attamen post acceptas in Sicilia clades, conversionem passa est, & è corrupta Democratia in pejorem statum incidit; 400. namque Viris rerum summa

com-

commissa, & illi primum Dominationem, dein Tyrannidem quoque exercuêre; & quanquam fuissent postmodum abrogati, priorq; forma quodammodò restituta, à Lacedæmoniis tamen navali prælio Athenienses victi ad Ægospotamos, & Civitatis ordo rursum conversus; cùm 30. Virûm Tyrannis fuerit constituta. Licèt autem Thrasybuli virtute Tyrannis illa eversa fuerit, attamen ad 10. Viros rerum summa pervenit, e quibus tandem, Pausaniæ Lacedæmoniorum Regis operâ reconciliatis Civibus, emersit etiam, & priorem iterum formam nacta est; Cùmque iterum bellis esset implicita, tam diù stare visa est, donec Philippi Macedonis artibus cùm potentiam, tùm gloriam amisit, & sub Alexandro filio vix suis Legibus, ac Magistratibus uti facultas erat; eo autem exstincto, in Antipatri Dominatum cessit, post cujus obitum iterum in partes distracta, Optimatum scilicet, & Plebis, dum illi Cassandro, hæc Polyperconti addicta esset, vix defuit, quin suismet armis in propria viscera sæviret; adeò autem jactata his motibus fuit, ut nunc paucorum Dominatum, nunc plebis Tyrannidem passa fuerit, donec Cassander cuncta discordiis Civibus fessa, Curatoris nomine sub imperium acciperet, à quo Demetrius, Phanostrati filius Phalereus, ut Civitatem curaret, constitutus, intolerabili Dominatione usus est. Sed vix à Demetrio eo Cassandri impotenti Dominatu liberata, cùm ille, Antigono Patre interempto, Athenas contendisset, ut velut in portum miseriarum se reciperet, quoniam beneficia multùm antevenerant, pro gratia Civitas odium reddidit, & Legatos quosdam obviam misit, qui nunciarent, nè Urbem peteret, neminem enim Regem in eam recipi decretum esse. At statim seditione laboravit, & in potestatem Lacaris Tyranni devenit; tunc autem occasionem rei bene gerendæ Demetrius non omisit, rebus suis quodammodò compositis; Urbem igitur obsedit, ad eamque rerum omnium inopiam adduxit, ut Lacari inde proficisci necesse esset, & ille potitus Urbe, Pyræo, Munichiâque receptis, Musæum quoque valido præsidio firmavit; hinc sub ejus Dominatione fuit, donec in spem erectus recuperandi Asiæ Regni, quod Pater obtinuerat, ac propterea bellis cum Lysimacho, Selenco, & Ptolomeo, eorumque socio Pyrrho, qui Macedoniâ eum expulêre, implicitus, Atheniensibus in spem libertatis excitari, occasionem dedit; quare Duce Olympiodoro Macedonas expulerunt, & annuum Archontem eâ re confectâ designârunt, cùm priùs servatorum Antistitem in honorem Demetrii per aliquot annos

nos creare debuissent. Ille autem collectis copiis, & Classi, ùt potuit, instructâ, quanquàm ad obsidendas terrâ, marique Athenas properâsset, precibus Crateris Philosophi permotus, obsidionem solvit; unde in eodem statu Civitas mansit, cùm ille majora interim ausus, variisque fortunæ casibus jactatus, exemplum rerum humanarum præbuit, quoniam victus tandem ab hostibus, libertatem amisit, & Regnum; & qui tot bellis turbaverat Orbem, miseriarum cumulo circumventus, captivusque Seleuci Generi fato functus est.

Civitas autem sub Antigono Gonatha filio quievit, donec Galli Brenno Duce Græciam ipsam infestis agminibus petivêre, atque ad Thermopilas Duce Calippo, Principatum Atheniensibus ipsis obtinentibus, cum iisdem debellatum à Græcis fuit. Rex autem victoriâ etiam alterâ elatus, memor eorum, quæ Patri acciderant, & quomodo Athenienses ab eo defecissent, comparatis ingentibus copiis, instructâque Classi, Urbem terrâ, marique obsidione cinxit, eamque ad deditionem compulit, quanquam auxiliaribus copiis Lacedæmonii accurrissent, & nec Ptolomeus Ægyti Rex Civitati defuisset; Præsidium igitur Macedonum denuò vidit, ac licèt post 10. annos ab ipso Rege amotum fuerit, Civitas tamen sub clientela Macedoniæ Regum vixisse visa est, & præsidiis Macedonum tenebantur Pyræum ipsum, Munichia, Salamines, Sunium, aliaque Atticæ loca; unde florentibus Macedoniæ rebus eo in statu manere coacta fuit, & propterea tunc primùm spes affulsit recuperandæ libertatis, cùm Demetrio Antigoni filio exstincto, impubes Philippus esset; hinc Aratum Sycionium, qui primò exturbare Macedones, ut Græciam in libertatem assereret, frustrà conatus erat, acciri curavit, illeque etsi æger, oblitus quoque injuriarum, quas Athenienses intulerant, cùm priùs Macedonum partibus addictos se simulâssent, quanquàm etiam nec Prætor esset, Athenas festinavit, & cùm consilio, tùm pecuniâ, quâ Athenienses ipsos adjuvit, rem eò perduxit, ut corruptus Macedonum Præfectus, 150. talentis acceptis, præsidiarios milites è Pyræo, cæterisque Atticæ locis abduxerit, quibus propterea statim Athenienses potiti fuêre; quare Civitas Achæorum societati se adjunxit, & exemplum secuti Ægynethæ, Hermionenses, aliique; ab eo autem tempore libertas in Attica denuò faciem emisit suam, & conatus Macedonum irriti cessêre.

Sed

Sed jam ad eum ſtatum Romanorum Civitas devenerat, ut cunctis inhiaret Regionibus; hinc quanquàm terminato bello Punico ſecundo fœdus percuſſiſſet cum Philippo Macedone, atque Athenienſibus, P. Corn. Scipione, & P. Sicinio Craſſo Conſulibus, quod incidit in annum Urbis 550., Olympiadis 143. anno quarto, & Philippum ipſum Athenienſes invadentem Duce Tito Quinto Flaminio debellâſſent, ac pacem petere, omneſque Græciæ Urbes liberas relinquere coëgiſſent, Athenaſque ipſas inter cæteras magnifacere, ſociaſque, atque amicas nuncupare viſi eſſent ad bellum uſque Mythridaticum, deletâ tamen Coryntho, atque Achaia in Provinciam redactâ, pro Imperio agere cœperunt; atque hinc Ariſthionis etiam Philoſophi operà, qui Demagogus Populi erat, iiſque artibus Dominatum exercebat, corruptuſque à Ducibus Mythridatis erat, ejus partes ſecuti, arma Romanorum in ſua viſcera traxêre; hinc à Sylla obſeſſi, oppugnatique adeò, ut priùs miſeriarum omnium cumulum perpeſſi, & præ fame humanas etiam carnes edere coacti, poſteà verò expugnatâ Urbe ſinè diſcrimine cæſi adeò, ut tota Attica Civium ſanguine madere viſa eſſet. Hinc plurimi eâ rerum facie in deſperationem verſi, quanquàm victoris manus evaſiſſent, ſe ipſos tamen interemerunt. Hinc Urbs direptioni militum relicta, mœnia ſolo æquata, Pyræum vaſtatum, cætera igne abſumpta, & vix ædificia conſervata. Ariſthio vero, ejuſque Satellites deditâ arce, ad quam ſe receperant, ſupplicio affecti; ſervi autem omnes ſub Corona venditi; & quamvìs paucis illis, qui è tot cladibus ſuperſtites fuêre, libertas data videretur, ea tamen nec ſpecietenùs integrè conceſſa, cùm jus ſuffragiorum, decretorumque ſciſcendorum ſublatum eſſet; licèt liberis illa re iquiſſet, & cùm diſcederet, easdem Leges, quas à Romanis finito bello Achaico acceperant, reddidiſſet. Eo autem defuncto, quanquàm precariò iisdem Legibus uſa eſſet, & Romanos colere debuiſſet, meliùs tamen ab iisdem habebatur, cùm ipſorum aliqui in eam Urbem etiam ſe reciperent, ut ingenià excolerent, cùm ſedes eſſe diſciplinarum omnium putaretur.

Sed orto inter Cæſarem, atque Pompejum graviſſimo illo Civili bello, cùm Athenienſes Pompejanarum partium fuiſſent, metuerentque poſteà victoris Cæſaris iram, memorabile reſponſum illud tulere; *Servari* nempe *à mortuis*, ſcilicet iis indulgere propter majorum monumenta, rerumque geſtarum gloriam. Sublato autem

Cæſare, ſtatim Athenienſes Brutum, & Caſſium interfectores repentè ſtatuis ornâſſe viſi ſunt, easque velut Tyrannicidis juxta illas Hermodii, atque Ariſtogitonis poſuêre. Quod quanquàm Octavii Cæſaris animum altè penetrâſſet, victor ille tamen compoſito orbe nîl aliud Athenis mutâſſe viſus, quàm nono poſt Ægyptiorum bellum anno, quo tempore Ægynam, & Heretriam celebres Urbes ademit, & nè pecuniâ acceptâ Athenienſes jus Civitatis donarent, vetuit. Ab eo autem ad Hadrianum uſque Civitas ingloria ſtetiſſe viſa eſt, quanquam, ùt Euſebius prodidit, poſt cladem à Romanis acceptam in Germania Quintilio Varo Duce, res novas moliri tentârint; quare ſupplicium de Authoribus fuiſſe ſumptum memorat. Ille autem Civitatem adeò coluit, ut jura etiam majorum reſtitueret, & cùm Athenis verſaretur, indutus more Attico, eorumque Sacris initiatus, & ſummo Reipublicæ munere functus, Bacchanalia, & alia feſta celebrârit, iisdemque Cephalenem Inſulam dono dederit.

Sed non minore benivolentià Athenienſes proſecuti Antonini Imperatores Pius, & Philoſophus; uterque enim Sacris initiatus, nedum cunctis honoribus Civitatem ornâſſe viſus eſt, ſed univerſis ſapientiæ magiſtris annua ſtipendia in Urbe conſtituit, quorum poſteà æmulatione Gallienus Valeriani filius quanquàm iners, nulliusque conſilii Princeps, Athenienſem ſe fecit, atque in Areopago cauſas uti Senator agnovit, ſacrisque etiam initiatus, Archontis annui munus obivit.

Theodoſii verò primi Imperatoris ætate nîl defuit, quin ab Alarico Gothorum Rege, qui ex Thracia in Macedoniam primò profectus, Græciam dein infeſtis agminibus petiverat, everteretur; cùmque ſpe prædæ Athenas properâſſet, *oſtentis*, ajunt, *territum*, ab oppugnanda Urbe deſtitiſſe. Minervam namque apparuiſſe fertur in muro obambulantem, Achyllemque ipſum pro manibus pugnare accinctum; hinc pacatus Urbem ingreſſus eſt, honorificentiſſimèque exceptus, ac muneribus donatus Urbem inviſit, reliquitque incolumem. Theodoſius verò alter primi ex filio Arcadio nepos, Eudociam Civem Atticam Leontio Philoſopho genitam in uxorem accepit. Et Irene Leonis quarti uxor, Athenienſis quoque Civis fuit. Sed & Nicephorus Auguſtus Stauracio Cæſaris filio Theophenonem Atticam conjugem dedit, dumque Orientis Imperium ſtetit incolume, nec honos, ſplendorque Civitati licèt ſubditæ defuit, quanquàm Paleologis imperantibus, cùm jam diſſolvi Imperium illud cœpiſſet, & Provincias

vincias ferme omnes in Europa amisisset, Reinerium Acciajolum, Florentinum Civem Principem sub Ducis nomine Attica Respublica vidit, ejusque impotentem dominatum ferre debuit; donec in Turcarum potestatem cum tota Græcia pervenit, & Mahometes nedum externam admiratus magnificentiam, sed rerum præter tarum gloriam, pepercit Urbi, quanquàm deditione cepisset; Præfecti autem ejus, successoresque adeò deformâsse visi sunt, ut vix Athenas fuisse dignoscatur, nec enim nomen, nec Dialectus ipsa superstes, & nunc *Sethine*, seu *Atinam* nuncupant; Unde cùm Imperia, & Regna, tùm Civitates tandem post perpessos fortunæ casus, rerumque vicissitudines interire docemur. Hinc Ovidius suâ ætate de Athenis ipsis nomen tantùm remansisse cecinerat, cùm inquit:

- - - omnia verti
Cernimus, atque alias assumere robora Gentes,
Considere has: sic magna fuit censuque, virisque,
Perque decem potuit tantùm dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodò Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparta: magnæ viguère Mycenæ,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces.
Vile solùm Sparta est: altæ cecidere Mycenæ.
Oedipodioniæ quid sunt, nisi nomina Thebæ?
Quid Pandioniæ restant, nisi nomen Athenæ?

EXER-

INDEX EXERCITATIONUM ET CAPITUM QUÆ HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

EXERCITATIO II.

De Civitate Lacedæmoniorum, & Atheniensium.

PARS PRIMA.

De Civitate Lacedæmoniorum.

CAPUT I.

PARS II.

De Atheniensium Civitate.

VI. De

EXERCITATIO III.

De Civitate Venetorum.

CAPUT I.

EXER-

EXERCITATIO IV.

De Hebræorum Civitate.

CAPUT I.

XLII. De

Dissertatio Unica.

TOTIUS

TOTIUS OPERIS BREVIS CONSPECTUS.

LIBER I.

FUndamenta Politicæ Facultatis, quam Regiam atque Architectonicam nuncupârunt Plato, & Ariſtoteles, tradit; hinc

Exercitatione primâ de Facultatibus humanæ naturæ agitur, & propterea diſtinguitur duplex hominis natura.

II. Definitur Lumen naturale.

III. Principium aſſequendæ Veritatis affertur.

IV. Cauſæ Errorum, ac Præjudiciorum explicantur.

V. Bonorum extremùm proponitur, & ea occaſione agitur de Stoicorum Doctrina, atque aliis errorum ac præjudiciorum Cauſis. Inde

Quomodo Natura humana Societatem exigat, tractatur; atque hinc

Placita Philoſophorum aliquot pro Societatis neceſſitate, ac Juſtitia hominum naturali deſcribuntur. Tandem

Concluditur Naturam hominum ſocialem eſſe, hominesque natos ad pacem atque Concordiam, mutuaque inter ſe Officia exhibenda, unoque verbô, Rationis explicationem, Naturam hominum eſſe. Hinc

Quænam ſit ratio hominis diſſeritur, & norma humanarum rerum proponitur. dein

Hobbeſij errores, ac Spinoſæ impietas indicantur, ex quibus magis magisque ultimus finis hominum ſtabilitur, atque ex eo juſta rerum univerſarum Idea deducitur. Undè

Quàm Conſtantem deceat eſſe Sapientem, & quomodo in rebus humanis verſari oporteat, vitamque inſtituere, demonſtratur. Poſtque hæc veluti fundamenta, ad Societates ipſas tranſitus fit; hinc

Quo-

Quomodo se habuerit primus & naturalis Civitatis Ortus? &
Qualis quantaque fuerit necessitas Ordinis in Civitate describitur; quapropter Primò

Quid sit Civitas: dein, quid Familia, quidque Vicinia } ex quibus Civitas naturaliter resaltavit. Inde verò.

Quid sit Ordo ipse in Civitate, & quotuplex sit, affertur. Hinc Primò

Quid sit summa Potestas in genere explicatur? &
Quænam sint supremæ Potestatis jura? Ex quibus Primò agitur
De Dominatione Unius.
II. De Regali Monarchia.
III. De Tyrannide.
IV. De Aristocratia.
V. De Democratia.
VI. Quomodo Ordo Civitatis convertatur? &
VII. Quænam sint Conversionum Causæ?
VIII. Quænam Cautiones ad coservandas Civitatum formas seu Ordines? Indè

Legum Origo spontè fluit, necessitas nempè explicandi rationem in Societate, à qua Jus Civile derivatur; atque inter Civitates ipsas; à quâ jus Gentium, seù Jus ipsum hominis naturale, cujus affertur definitio, ut & Juris Civilis; quanquam aliud sit, Jus Naturæ considerare respectu singulorum hominum, quô sensu *vim* esse dixi, *& facultatem homini peculiarem, quâ cum Convenientia; tùm repugnantia Naturæ suæ clarè percipit, ac distinctè.* Aliud, quoad Cætus hominum inter se, quod ab ejusdem Vis ac facultatis explicatione resultat. Igitur

Jus Civitatis, effectus est Ordinis.
Ordo autem nullus esset, nisì suprema Potestas eum custodiret. Quare

Civilia Jura jussa sunt supremæ Potestatis subditis pro benè vivendi norma proposita.

Jura

Jura Gentium *explicatio sunt vis & facultatis hominibus peculiaris, necessitate, mutuisque Officiis recepta, & peræque à Cœtibus ipsis jure sociatis custodita*; undè norma sunt Gentibus inter se, ut illa Civibus; quibus universi vivunt convenienter naturæ suæ. Quare evidens fit, ex quo impetu potiùs quàm naturæ luminæ homines ducebantur, non aliàs potuisse Vitam ad præscriptum Rationis ducere, quam in Civitate ordinata. Ex Ordine autem

Rerum etiam divisio fluxit: undè

Jura, & Rerum Dominia ab Ordine derivantur, &

Quæ Necessitas Ordinis, eadem quoque illorum. Cùm igitur

Civitas Summa Potestate regatur; illa

——— Cùm per se jura explicat, & versatur

——— Circà Universalia, nempè

——— Jura condendo aut abrogando:

——— —— Singularia, & vel directè

—— Publica, ùt

——— Actiones Pacis ac Belli:

——— Fœdera:

——— Dominij Eminentis Exercitium; quod pro Salute universorum in singulorum bonis eidem competere necesse erat. Et

——— Vectigalia, quæ ad Societatem, ut Alimenta & Vestes ad Corpus conservandum sunt necessaria. Et

—— Privatæ, quæ etiam ad publicum ordinantur, ut singulorum Contentiones definire, Quietis Turbatores, Legumque Violatores punire.

——— Tum per alios, ut Magistratus, Curatores, Legatos &c. hinc

De Supremo Popularis Reipubl. Magistratu, Concione scilicet, deque

—— Aliis determinatis Magistratibus, & eorum divisione; quare primò

——— Ordinarij definiuntur; dein

——— Illi extrà Ordinem. Tandem

——— Magistratuum Administri: quibus explicatis, differitur

——— De Eo Magiſtratu, à quo Conſilium Reipubl. præſtatur; hinc
——— Senatus definitur, & de eo univerſaliter tractatur: poſteà
De Legatis; hinc
De Jure Fæciali.
De Fœderibus Æqualibus, &
Inæqualibus, deq; ipſorum diſtributione, nempè
——— Sponſione.
——— Pactione.
——— De fœdere, deque
——— Fœderum Cautionibus;
——— Arbitris Fœderum, ac Pactionum.

Cùm autem nedum Civitas debeat eſſe ordinata, ſed Cives quoque in Ordines quoſdam debeant eſſe diſtributi, ut cuncta præſtent univerſi, queis indigere ſinguli poſſumus, hinc Primò
De Cive, & quis jure optimô Civis dicatur? quis non? deque Subdito; poſteà digreſſio fit de
Primæva hominum Societate; hinc.
——— Phylæ ac Phratriæ; hinc
——— Phyditia, Syſſitiaque: hinc
——— Collegia & diſcrimen
——— à Corpore, Corporis autem
——— Ab Univerſitate: poſteà de
——— Collegiis ac
——— Legibus Collegiorum pro diverſo Civitatum Ordine, &
Cur in Tyrannide Collegia atque Sodalitates tolli videantur? inde
De Collegio Senatûs, & quomodo Cenſorum judicio dignos cooptari duntaxat Romæ oportebat; hinc de
——— Cenſoribus, & quomodo Athenis & alibi nuncupari ſolebant, deque
——— Cenſorij Muneris utilitate pro recta Juventutis educatione. Ac de
——— Magno Pedonomo apud Lacedæmonios; & de
——— Perſarum more.

Expli

Explicatâ universaliter Civilis Facultatis Notitiâ, quoniam exemplis potiùs, quàm præceptis assequi palam est, transeo ad celebriores Civitates describendas, quoad Ordinem præcipuè, ejusque Conversionem; hinc

SECUNDO LIBRO

ROmanorum: Lacedæmoniorum, & Atheniensium: Venetorum, atque Hebræorum Civitates descripsi; Cumque his Exercitationibus Volumen secundum absolvi, ut legentibus patet.

Alteram verò, & postremam Secundi Libri Exercitationem in Partes VI. easque rursùm in Sectiones distribuo, quarum

Prima Germaniam exhibet.

Altera Galliam, & Hispaniam.

III. Italiam ab Odoacre Rege ad hæc usquè tempora.

IV. Britanniam, Helvetios, & Batavos.

V. verò Daniam, Sueciam, & Poloniam.

VI. Tandem de Mosci, ac Turcæ Dominatione tractat.

Licèt autem summa brevitate procedam; nîl tamen quod necessarium videri possit, omittendum censui. Hisque Volumen Tertium, quòd Neapoli editurum spero, terminatur.

TERTIO LIBRO

HIstoriam definio, divido; eâque occasione de Ethica seu morali Philosophia, cujus Historia Pars est, Exemplaris nempe, seù Paradigmatica, cùm faciendorum fugiendorumque Exempla demonstret, verba facio. Cumque Exempla

——— Vera sint, vel
——— Ficta, &
——— Omnium, aut
——— Singulorum; hinc pars ista Ethices partim est
——— Characteristica: partim
——— Historica: partim
——— Fabularis, &

Quæ sint, abundè describitur; quare Fabularis etiam subdividitur; & hinc

De

De Narrationibus Milesijs, ùt Apuleji, Heliodori, Vocatij.
De Mithologia.
De Poësi Epica, & Scænica; & propterea
De Comica, &
— Tragica.

Historica quidem cùm vera aliorum Exempla eum ad finem narrando proponat, ut ex ijs, quæ rectè ac secùs facta sunt, eorumque eventis, quid faciendum fugiendumque sit, ostendere videatur, rectè propterea nedum vocatur
Testis Temporum, sed
Vitæ Magistra. hinc
Methodus Historiarum
cùm Conscribendarum,
tùm Legendarum. hinc

Historiæ Fundamenta, Geographia numpe, Chronologia, & Populorum Notitia quoad mores, atque ingenia, & de illis agitur Exercitatione quartâ; hinc quoque

Notiones quædam traduntur de Geographia, & Chronologia, atq;

Ratio temporum proponitur, ac tandem ad Particulares Historias fit transitus; quare Primùm
De 4. Monarchijs disseritur, eaque occasione Historiæ universalis summa exhibetur, atque ad quasdam Epochas reducitur: dein
Historia Legum; inde

Ultimis Exercitationibus Historia Naturalis, atque ejus partitio: ac tandem

Histora Sacra, præcipuè Novi Testamenti delineatur; hinc in ipsa Ratione temporum, Civitatum Ortus, incrementa, decrementaq; Bella, Paces ac Fœdera: Seditiones, Conversionesque ad Epochas quasdam rediguntur, & earum Ordo velut in picta ad delectandum Tabula demonstratur. Præterea laterculum Regum, Ducum atque Augustorum, (à Momyllo nempè Augustulo,) qui Civitatibus, de quibus Sermonem institui, præfuere, oculis subjicitur. Quibus omnibus, annuente DEO, quartum Volumen, atque postremum, ubi commodius potero, vulgandum, absolvetur.

AD LECTO-

AD LECTOREM.

JAm, si lubet, perlustra, quisquis es benigne Lector, & Romam, & Spartam, atque Athenas; Videbis enim celeberrimarum toto Orbe Civitatum initia, incrementa, decrementaque, ac tandem, ut sunt rerum humanarum vicissitudines, interitum; Quanquam igitur nec Ædificia, Porticus, Fora, pictas, sculptasque imagines hìc invisere detur, cùm duntaxat Ordinem, Mores, Legesque, Conversiones deniq;, earumque Causas velut Tabulæ quædam Exercitationes isthæc nostræ exhibeant; attamen integra ipsa corpora, eorumque casus pulchriora erunt spectacula, quibus mentis Oculos perfrui, ac nunquàm satis delectari experti sumus. Varias igitur etiam ætates, atque ægritudines contemplare, & quomodo ijsdem tandem absumpta. Cumque omnia diligenter fueris perscrutatus, nè inanibus immoreris, sed aggressus iter, Venetorum Civitatem stantem adhuc, florentemque adire ne graveris; Orta namque duce Naturâ, tuendæque valetudini semper intenta, quanquàm non adeò ingentis Corporis formam præseferat, venustate tamen, partiumque concinnitate cætera longè supergreditur. Tandem Hebræorum Civitatem, quæ Deum ipsum Authorem agnoscit, ut suæ Providentiæ atque Justitiæ mirabilia daret exempla, sa-

lutemq; humani generis in temporum plenitudine pareret, atque ipſam Divinam Sapientiam ejusdem imagine adumbraret, avidiùs percurre; & populum intueare nunc per deſerta vagantem, ibique mirum in modum Divinis etiam Legibus ordinatum; Nunc ſedibus ſuis impios Populos expellentem, & Cultum Summi Numinis, Virtutesque explicantem, nunc felicitate ipsâ corruptum adeò, ut Legem DEI negligeret, diſſolutoque ordine ſemetipſum peſſumdaret, perque varios Caſus, rerumque Converſiones adeò jactaretur, ut tandem Urbe, quæ Caput rerum erat, ſolô æquatâ, ſuperſtes Populus per Orbem diffuſus miſerationem ſimul, iramque propter pervicax adeò ingenium, ut lumen Veritatis nec admittere velit, uno côdemque momentô excitare videatur.

Id quidem Judæis maximè deberi Veritas ipſa fateri cogit, quòd nempe Divinas ipſas notiones longè lateque ante Chriſtum adeò propagarint, ut diſperſione ſuâ Deorum multitudo, atque infanda ſuperſtitionum monſtra ex animis hominum jam penè exceſſiſſe viderentur; Adeoque cùm poſteà Evangelij Lux univerſis affulſiſſet, & Cordatiores Judæi Prophetarum Vaticinia impleta videbant, & Gentes cæteræ notiones jam acceptas cum Evangelio ipſo componebant; Hinc nova cum Veteribus mirè concurrere animadvertes, Divinâ Providentiâ, penè omnes ad veram Fidem, verumque DEI Cultum exarsêre; Quæ quidem Verbi Divini Sapientia, ſi ùt par eſt, intimis ſenſibus hauriretur, adeò firmaret homines in Exercitatione Virtutum, ut officiorum omnium ſplendor luce ſuâ beatos efficeret Univerſos; Tantus enim eſſet Charitatis ardor, ut inflammati Animi nullo aliô poſſent alimentô, nisì uberrimis Juſtitiæ, Pacis, ac Humilitatis fructibus ſuſtentari,

& ra-

& radix ipsa Vitiorum conflagraret universa; Evangelica namque Doctrina non duntaxat affectiones moderatur, sed pravas per sui ipsius abnegationem (quô nullus unquam Philosophorum pervénit, quâpropter Umbram tantùm Virtutum exhibere visi sunt) evertit adeò, ut ipsius Fidei & Charitatis, quæ perpetuò eam debet comitari, arctissimo nexu, è cunctis unum veluti Corpus efformet, & propterea quod singulorum est, in commodum quoque universorum cedere sequatur evidentissimè; quô ex fonte cuncta Divinæ Legis præcepta unicè promanare dignoscitur.

Et quidem principia ipsa ac veluti fundamenta Legem etiam veterem jactâsse, nobisq; satis ostendisse advertimus. Quid enim aliud Religio eadem revelata docuit mortalium Genus, quàm ab una Familia, unoque Parente propagatum Orbem universum esse Authore DEO? qui primùm ipsum hominem ad sui imaginem, & similitudinem creavit, normamque dedit, quâ se ritè rectéque regere, atque ad Authoris sui mentem operari valeret, rationem nempe, quæ ab ipsa summi Numinis Idea, Lege scilicet æternâ, tanquam propria ejus imago, derivatur, ut nedùm Origo prima velut Fratres conjungeret; sed Lex ipsa rationis Cives efficeret ejusdem Civitatis; cunctos namque Communio ipsa juris, explicatio nempè rationis, stabili adeò nexu sociavit, ut una Communis Civitas Mundus ipse reddi videatur sub DEO Principe, simul atque Parente.

Hinc postquàm Lumen rationis inter vitiorum undique grassantium tenebras delituit adeò, ut homines obliti prorsus naturæ suæ, impetu duntaxat velut pecudes regerentur, & propterea à DEO deficerent universi, licèt diluvium immisisset, ut aquarum molibus obrutos, flagrantes-

 tes-

tesque vitiorum Cupiditates cum vita ipsa extingueret; Unum tamen Noë cum sua Familia reservâsse docemur, ut denuò in hominum pectoribus Charitas reviviseret & mutuus Amor; cùm ab uno stipite primùm ortos, dein in uno etiam conservatos, seque propterea Fratres, Civesque simul intelligerent; Cùm autem nec ùt par erat, Naturæ Lumen sequuti, Deum ipsum ritè colere neglexissent; nam, ut Apostoli verbis utar; *mutaverunt gloriam incorruptibilis DEI in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & serpentium: commutaverunt Veritatem DEI in mendacium, & coluerunt & servierunt potiùs Creaturæ, quàm Creatori*; Cultum sui præscripsit, & Edicta illa perpetua promulgavit, Potestatésque ab eodem esse constitutas admonuit, ut ratio ipsa inter homines, Societatis ritè ordinatæ beneficio, saltem explicaretur, & metu quoque juxtà naturam viverent; Hinc apud Isaiam Cyrus ipse vocatur Christus Domini; Imò ejus dexteram apprehendisse Dominum Propheta scripsit, ut subjiceret ante faciem ejus Gentes, & dorsa Regum verteret, & aperiret coram eo januas &c.

Discrimen igitur vides Officiorum & Civilis doctrinæ, quæ à DEO accepêre mortales cum hominum placitis, primisque ipsis Legumlatoribus, quos utì mortalium sapientissimos omnis Ætas est admirata; Nam illi rationis Lumen suæ duntaxat Civitati accommodare videbantur, & Religionem ipsam ad Civitatis finem dirigebant. Hinc tot Oracula & superstitionum monstra; Hinc etiam gloriam & Nobilitatem ex fabulosis Originibus auspicari videbantur; & Græci, ut se cæteris nobiliores assererent, indigenas, atque ex eodem solo Attico genitos se prædicabant. Scio equidem majora de binis illis Græciæ Civitatibus-

tibus, quæ utramque paginam implent in hiſtoria, Te Lector Candide crediciſſe, & aliquid fortè expectabas, quòd Gentes cæteræ nec unquam explicuêre. Sed humana ſunt omnia, nec hominis ratio ſibi relicta ultrà progredi potis eſt. Habuêre igitur, quæ facilê laudaveris, ſed plurima ſunt, quæ nunquam ſatis poſſe vituperari videantur; quanquàm illi celebrâſſe res ſuas ad nauſeam usque viſi fuerint; & licèt Lacedæmonij, ùt gens belligera, in agendo potiùsquàm in ſcribendo, diſcendoque fuerint primis præſertim temporibus occupati; attamen alii non defuêre Græcorum, qui res ſuas ſcriptis ſatis abundè conſignârunt; cùm Gentes cæteræ nihìl ſua geſta curârint Poſteris tradere, ac potiùs educandi ratione, & exemplis, quæ oculis erant ſubjecta fidelibus, formabant Animos. Aliæ autem certis duntaxat Civibus id negotij reliquiſſe viſæ ſunt; Hinc Celtarum, Germanorumque Vetuſtates ferme ignotæ; & Arabes quanquàm antiquitate pluribus aliis antecellant, quoniam parùm aut nihìl hiſtoriam profeſſi ſunt, oblivione pene demerſi, etſi Sapientiam & artes coluiſſe indubium ſit, cùm & devictas Gentes eorum deliria docuiſſent, & Philoſophiæ non pauca ſuperſint Opera, quæ pudendis adeò involucris Græcorum doctrinam, atque Ariſtotelis præcipuè circumtexuit, ut nisì ſummoperè in extricando adlaboraveris, nec eam agnoſcere ſpes erit. Quid verò de Turcis, Tartarisque? An enim initia, progreſſus, & bella, Nationesque ſub jugum miſſas ab ijs unquam accepimus? quanquàm unus altérve Temporum rationem, Urbesque breviſſimè delineârit, ut duntaxat Chronologica quædam, atque Geographica, exiguaque admodùm conſpiciantur monumenta. Apud alios autem, ùt Chaldæos, Ægyptios, Perſas, atque Brachmanes, quoniam

niam Sacerdotes fermè rerum Domini erant (mos enim conjungendi Imperium cum Sacerdotio per annos ferme 2500. toto etiam Terrarum Orbe invaluerat, & apud aliquos, Regum ipſorum luxus, Socordia, aut bellicæ Occupationes; Apud Hebræos autem Lex ipſa DEI poſitiva abrogavit. Hinc Virgilius; *Rex Anius, Rex idem hominum, Phebique Sacerdos.* Et Cicero: *Omninò apud Veteres*, inquit, *qui rerum potiebantur, ijdem augaria tenebant, ut enim ſapere, ſic divinare regale ducebant*) ijdem Sacerdotes hiſtoriam quoque conſcribebant, & Annalia, inque publicas tabulas, quæ ad Religionem ſimul & Politiam pertinere dignoſcebantur, referre ſatagebant. Quid? cùm ab ipſis Ægiptiorum Sacerdotibus Græçorum Sapientia ortum duxerit? An enim Pythagoram, Solonem ipſum, cæteramque Græcorum Sapientum Cohortem Ægyptum adiviſſe, atque à Sacerdotibus illis Philoſophiam, ex eaque intertextam Theologiam accepiſſe, in dubium poterit revocari?

Quid mirum igitur, ſi Græcorum faſtus ſua tantummodò facta adeò extulit, ut cæteros etiam Populos Barbarorum nuncupatione dehoneſtârit, proptereáque nîl præter Græcum nomen ubíq; reſonet; quanquàm ſi ad trutinam revocare velis Ordinem atque Inſtituta, eorumque geſta, nec cum ijs Gentium aliarum conferre graveris, Græcos ipſos nedum ſuſpicere deſines, ſed ab ijsdem prorsùs animum avertes.

Romanos verò humanam rationem nemo negaverit longè meliùs explicâſſe, adeóque occultâ Civili quadam Sapientiâ proceſſiſſe, ut prætextu libertatis bellum gerere,

re, nec ſubjectos notâ ſervitutis inurere, ſed honore Amicitiæ, atque Sociorum appellatione complecti viderentur: Et profectò eorum inſtituta ex cæteris quoque Gentibus in unum coacta honeſtatem atque juſtitiam, ipſúmque Naturæ Lumen præſeferre nemo inficias iverit. Sed paulatim Artes & Arcana prodiêre, & victi Orbis vitia adeò Romanorum Animos corruperunt, ut è Virtutibus ipſis triumphum ducere, & pro jure injuriam, pro humanitate ſævitiam, pro continentia obſcœnitatem, próque fortitudine feritatem, atque pro honeſtate turpitudinem, vocem ac faciem ſuam emittere paſſi eſſent.

Jam igitur ex his, ſi Civitatum formas probè rimari ſit animus, Regalem invenies Monarchiam cunctis ferme Nationibus potiſſimùm congruere, quoniam Rex omnes Ordines conciliat, mensque una cunctos ad Concordiam atque obedientiam adigit, ut idcirco Virtutum concentus ſuaviſſimus efficiatur, & Imperium ipſum Summi Numinis unicè præſeferat; nec idcirco tot motibus, Civiumque ſeditionibus obnoxium, atque hinc ad permanendum aptiſſimum; quod Exercitatione ultima hujus Libri, ubi Monarchias ipſas percurrimus, ratione, exemplisque comprobare conati ſumus. Quâptopter tibi miraculi ſit locò, unam Venetorum Civitatem in eodem ſtatu poſt intercluſa Comitia conſervari.

Sed eô potiſſimùm fine cùm præfatas Civitates, tum Monarchias ipſas deſcripſimus, ut humana à Divinis probè cerni queant, & poſtremis Exercitationibus Sacra Hiſtoria, quam ſumus tradituri, avidiùs excipiatur; Hinc Civilem Hiſtoriam uno veluti obtutu, nec interrupta oratione ſpectandam poſt primas de Hiſtoria ipſa Exercitationes

tiones ad hæc usquè tempora exhibemus; & quanquàm diversa à cæteris methodo, Epochas tamen, ut illi, constituêre visum est, licèt non eadem ratione; ab Orbe nempè condito ad Diluvium unam; alteram verò ad Nimbrodum usquè, qui primus subjugatione aliarum Civitatum, atque bellorum vi fundavit Imperium; à quo ad Cyrum, & à Cyro ad M. Alexandrum; atque ab eo ad Cæsarem aliæ. Tempus autem Augustorum ad Carolum M. una etiam complectetur. Et ab illo ad CAROLUM SEXTUM Magnum Augustum, & Regem, imò Principum, quos Orbis est admiratus, Maximum, vel si duntaxat non aliò advertas Belli & Pacis artes eo imperante collimare, nisì ut Populorum felicitas, tranquillitasque universa firmiori semper Fundamento fulciatur, postrema erit. Quod si nullatenùs propositum finem assequemur, saltèm tentâsse sufficiat, nè ut ignavum Animal torpere otiô, aut cœcô ductu rerum imaginem sectari, Vitamque propterea sinè ratione agere videamur.

VALE.

EXER-

EXERCITATIO III.

DE
CIVITATE VENETORUM.

ITalia primo velut fulmine perculsa, cùm Romanorum Republica à Cajo Cæsare oppressa, ea rerum Conversio secuta est, ut ab eo tempore in servitium ruere visa esset; Diviso autem Imperio, & finibus legionario milite nudatis, quanquàm Barbari undequaque datâ veluti portâ irrumpere viderentur, tristem tamen Animam utcunque trahebat, cùm adhuc maneret Imperij forma; & licèt Civilibus bellis Arma in suamet viscera sæpiùs unô eodemque tempore plures Augusti de Imperio contendentes convertissent, non adhuc, tot alijs quamvis ictibus sauciata, vivere desierat; sed dum Imperium concidit, dumque Roma ipsa Regium nomen pati debuit, & qui servi erant Dominationem arripuêre, altero illo fulmine adeò obtrita, absumptaque fuit, ut ne vestigia quidem suæ formæ remansissent; Hinc ijs temporibus ad Carolum M. usque, qui primus rem restituit, Italicus ager Theatrum evaserat Barbarorum, ubi spectacula ederent & ludos; Hinc rerum oblivio omnes adeò obstupefecerat, ut veluti pecudes nunc huc, nunc illuc abactæ, nulla alia salutis spes ijs affulgeret, nisì cùm hostem ipsum satietas deglubendi caperet. Hinc tot Nationes una post alteram, pluresque simul unô eodemque tempore Italiam ferrô flammâque diripuêre. Annô tamen 420. cùm recen-

De ortu Civitatis.

tia

tia aliarum Gentium essent Vulnera, & rumor percrebuisset, Attilam cum infestis agminibus instare, Venetusque ager primus esset objectus, plurimos Venetæ Regionis desiderium cœpit, ut ea incendia vitarent, in Æstuaria Maris Adriatici sese recipere, & Insulas, seu Stagna illa inter littus & continentem incolere. Ità namque ager ille Italiæ, Venetus priscâ ætate nuncupatus, versus littora deprimitur, ut aquarum ingens copia, quâ proximus etiam ager abundat, illuc deferatur, & propter maris æstum quâ littus patet influentis, in paludes abeat; littus enim adeò supereminet, ut quandam crassioris aggeris speciem præseferat, licèt ex multis ipsius littoris locis, quibus maris Æstus accedens, rediensque admittitur, aquæ ipsæ in Æstuaria delapsæ ad mare decurrant; quare per ea ostia Naves commeant, remeantque; sunt enim velut littoris intervalla, quæ portus efficiunt, quos dixêre *Brondulum*, *Fossam Clodiam*, *Metamaucum*, *Gemina Castella*, *Portus* quoque *ad Divi Erasmi* : *ad littus majus*; *& triplex Portus*. Spatium igitur intrà littus & continentem stagna illa maris Adriæ efficit, & in eis Insulæ erant, loca nempe, quæ inter illos aquarum recessus eminebant, quâpropter ut naturâ loci tutarentur, ad eas confugere Venetum agrum incolentibus, atque primum ibi Mapalia, Casasque condere visum est. Quanquam autem illuc convenisse multò etiam antè Barbarorum incursiones, Piscatores, aliosque abjectos homines crediderim; frequentari tamen ab honestioribus cœpisse propter ipsorum metum etiam antè Attilam conjicimus; Cur enim si ea patebant effugia, Alarico, Ataulpho & Radagasio Italiam, & præcipuè Venetum agrum miserè vastantibus, ea loca adire non debuissent, ut Barbaris adventantibus eò se reciperent? Igitur constans est opinio, Urbis ortum ità se habuisse. Jam in Rivo alto ijs de causis præter alias Insulas multæ nedum Piscatorum & Naviculariorum domunculæ visebantur, sed alij quoque sedes fixerant, & Arundinibus atque asseribus Casulas struxerant, unamque fertur ex lateribus fuisse cujusdam Entinopi Cretensis; Cùm autem accidisset, ut incendiô casu obortô cuncta conflagrarent, nec remedio locus esse videretur, Vir ille ad Religionem confugit, votoque se obstrinxit, consecrare tantum Soli, quantum Sacello ædificando sat esset, ut sacra fierent, quorum causa incolæ multa patiebantur incommoda, cùm disjuncta loca tenerentur adire; vix autem votum concepisse traditur, cùm illicò ingens pluvia exorta restinxit flam-

flammas; & ille, ut se Religione solveret, in ipsamet Area suæ domûs, quæ jam igne absumpta erat, Sacellum condi, & solemni Ritu Divo Jacobo Apostolo sacrum fieri curavit, quatuor Episcopis insignem illam Ceremoniam absolventibus, Severiano scilicet Patavino, Hylario Altinate, Jucundo Thaurisano, & Hepadio Opitergino; Hinc mirum! quantum Vicus ille excrevit, confluente undique finitimorum turbâ, & ædificia excitante; locus namque ipse præter eam Sacrorum commoditatem naturâ quoque opportunior ad incrementa erat; quare aucta adeò est Incolarum, atque ædificiorum multitudo, ut Rivo alto nomen, famaque accesserit; Cùm autem posteà ea Italiæ Calamitas accessisset, ut Duce Attila Hunni fermè totam devastâssent, nobilissimasque Venetorum Urbes diruissent, exemplum secuti alij, præcipuè dum Aquilejam vi captam everterunt, plura oppida in Æstuarijs ipsis inchoârunt; *Gradum* namque feruntur Aquileienses condidisse: *Caprulam* Concordienses, *Altinates Torcellum, Majorbium, Boreanum, atq; Amorianum*: Atestinos verò, Civesque montis Silicis *Clodiam*, *Metamaucum*, *Philistinam &c.* Quæ procedentibus temporibus magìs magisque frequentatæ adeò, ut etiam cœperint adversùs finitimos, Istros nempè, Dalmatasque, armis dimicare, ac vincere, & Bellisario contra Gothos non contemnendam opem tulerint. Narseti autem adeò fuerunt accepti propter auxilia officiaque, ut in rerum gestarum memoriam duo Fana curaverit excitari, Divo nempe Theodoro Martyri, ubi Templum hodie est Divi Marci, unum: alterum verò Divis Geminiano & Menæ.

Sed Longobardorum adventu undique confluentibus Vicinis Populis, præcipuè dum Agilulphus Rex Patavium fermè solô æquavit, adeò aucta Civitas est, ut nec in Rivo alto, nec in Insulis cæteris commodè potuissent habitare; ideò in aliam Insulam, quam *Geminam* nuncupabant, se receperunt, Urbemque propterea mirificè ampliârunt; quô tempore Civitati finitimorum tantummodò injurias arcere studium erat, & Tribuni duntaxat à Populo eligebantur in singulis Insulis; & alij majores dicebantur, qui præsidebant majoribus Insulis; alij verò minores, qui nempe minoribus, quas propterea finibus & jurisdictione illarum complexas fuisse, patet; Cùm autem Opitergium à Rothari Rege captum fuisset, honestiores de nomine Heraclij Imperatoris Heracleam Oppidum condidêre, cæteros autem Equilium; hinc ab eô tempore Heracleæ con-

De Tribunis Insularum.

cilium indicebatur, undè Andreas Dandulus: *Interea* inquit, *Venetia Maritimalis Regio propter bellicas Clades Populis aucta in qualibet Insula Tribunos annales constituit, qui incolis justitiam exhiberent. Facta verò commune tangentia ab omnibus Comprovincialibus congregatis determinari consuetum erat*; Quod ex vetustissimis Civitatis ejusdem monumentis liquet, cùm expresè fateantur, Tribunos singulos in suis Insulis jus dixisse, & in ijs quæ ad Regimen pertinebant, communi Concilio usos fuisse; In rebus autem magni momenti Insularum Concilium convocatum. Ijs autem postmodum præfuisse *Magistrum militum*, qui propterea universæ etiam Reipublicæ præerat, rerum Venetarum Authores prodidêre. Quare Dandulus: *Magistratus*, inquit, *ille Tribunatu major erat secundùm Græcorum usum*; Ex ijsdem autem Heracleam primum veluti Caput rerum, ubi nempe celebrari Comitia, majoresque Magistratus residere videbantur, posteà verò Metamaucum, ac tandem Rivum altum fuisse satìs liquet; sub eâque forma stare Civitas visa est ad annum usque 703. ducentesimum nempe 82. ab ejus initijs, quô tempore creari Duces primùm cœpêre; quanquàm eô tempore velut prima Civitatis infantia adeò obscura sint omnia, ut nihîl de vera ejusdem forma, deque Comitiorum Ordine, & quis ea convocandi habuerit potestatem antè Magistrum militum, certi affirmari queat, quod Authores ipsi Venetæ Historiæ produnt; Hinc Bernardus Justinianus: *Omnis*, inquit, *per eos annos rerum Venetarum Cursus, qui ab Atila ad Narsethem Eunuchum defluxit, nullis Venetorum, exterorùmve monumentis satìs est exploratus; Neq; id mirum. Quis enim ex Venetis sivè tenuem eorum inspicias conditionem, sive assiduos rerum undiq; perstrepentium terrores, recentibus adhuc novisq; rebus animum possit appellere ad memorias conficiendas? Intenti erant omnes ad paludes sternendas, Tecta construenda, paranda navigia, eaq; exercenda, quibus qualemcunq; possent, vitam agerent. Satis illis erat animam ducere, omnisq; Cura in alendis Familijs pro temporum conditione consumebatur. Scriptorem ergò Venetum nemo requirat. Si autem ad externos te referas, idem facilè dices; nec enim videri poterant aquatilium Nauticorum fortunæ (quô enim alio nomine illis temporibus censendi sunt?) nullâ dignæ Conditione, nedum ut literis, & historiæ mandarentur.* Loquitur autem de primis ipsis initijs, cùm Bellisarij temporibus jam adeò excreverant, ut aliquâ Societatis formâ regerentur, & magno illi Duci operâ & officijs accepti essent, & longè priùs finitimorum injurias arce-

De Magistro Militum.

arcere cœpissent, sicut suprà dictum est. Quæ profectò rerum Caligo tot disputationibus de Urbis Origine, deque primæva libertate causam dedit, quibus primò viam struxisse visus est Patavinus ille Bernardinus Scardeonus, qui decretum refert suæ Urbis his verbis: *Annô à Christo Nato 421. ultimo verò Innocentij Papæ Primi ex Apono oriundi, cùm maxima gloria & felicitate floreret Patavinum Regnum, administrantibus Rempublicam Galliano Fontana, Simone Glaucone & Antonio Gaulo Lacuvio Consulibus, Honorio & Theodosio Arcadij Filio imperantibus, per Consules & Senatum decretum fuit, ut nempe Principes aliquot Viri ex omnibus delecti ædificarent Urbem propè Rivum altum, cogerentq; in eodem omnes ex circumjacentibus Insulis, & unum esset potiùs oppidum portuosum, quàm multa, ubi stationem haberet Classis apparata, maritimisq; rebus jugiter assueta, ad Custodiam portûs, perfugiumq;, si quod bellum ingrueret, exhibendum longè tutissimum: Gothorum enim multitudine insolentiaq; perspectâ, tenere sese adhuc memoriâ, illos unà cum Rege suo Alarico Italiam ingressos, reliquisse eam rapinis atq; incendijs vastatam, ipsamq; Urbem infesto agmine petijsse, & direptioni mandâsse; Quare præter eos motus, quos aliàs attulissent Gothi, Cives Patavinos perceptis Conatibus ijs, qui ex Australibus & Occidentalibus Regionibus tunc per eos gliscerent, timore abductos statuisse, vel eô ipsô Annô 421. 17. Kalendas Aprilis Urbem condere, in quâ perfugium compararetur & Portus, juxtà fluminis ostium coactâ universâ multitudine in eum locum, cui nomen, Rivo alto, ex Insulis & Stagnis, atq; adeò ex tota Provincia. Urbem porrò, Venetias, nominatum iri, biennioq; præfuturos operi eò transmissos Consules, à quibus fundamenta jacta 8. Kalendas Aprilis circà meridiem. Primos autem Præfectos operi Consules Albertum Phaledrium, Thomam Claudianum, & Zenonem Daulum; alterô, Consules Lucianum Paulum, Maximum Lucium, & Hugonem Fuscum.*

Et ultrà Consules missus eò est, ut idem subdit, *Vir sapiens Ægidius Fontana, Galliani Fontanæ Frater, qui acceptâ juris condendi potestate, atq; pro arbitrio suo statuendi quidquid conducere novæ Civitati, & de Republica fore putaret &c.*

Quam tamen narrrtionem Nicolaus Crassus in notis ad Jannotium multisrationum ponderibus atterit; & illud profectò est indubium, ut jam diximus, plures Insulas habitatas fuisse ante *Rivum altum*; quanquàm Patavinos eas paludes frequentâsse, ut vitarent Barbarorum iras, sicut cæteri ejus Regionis Populi, ipsimet Veneti Autho-

Authores non negaverint, cùm ex Decreto Patavinæ Reipublicæ cæptam Urbem, adeoque ab ortu subditam, negent; cumque ijs innumeri quoque Authores, qui etiam Civitatis libertatem à suis initijs propugnârunt adversùs ea, quæ prodidit Scrutinij Author, sentiunt; qui propterea nedum inaniter Bernardum Justinianum, aliosque citat, cùm ex illis nîl possit erui, quod libertati officiat, sed Srrabonem de Aquileia, Hadria, alijsque locis Venetorum nomine designatis, & à primis temporibus mari allutis intelligendum, absque fundamento adducit. Hinc nec in dubium revocatur, Patavinos ad Narsethem, quòd ijs portubus, littoribus, & stagnis spoliati essent, conquestos fuisse; quoniam præcipuè Rivo alto plurimùm utebantur propter mercaturam & navigationes, quas maximas exercebant, quibus propterea Venetos Legatos respondentes inducit Bernardus Justinianus, interque alia hæc dixisse tradit; *nisì fortè aquum censetis in illis ruinis & lapidibus impenium restitisse, & quod Patavio juris quondam fuit in his paludibus, eô deleto etiam integrum remansisse.*

Initia igitur licèt concordare cum Patavino Decreto videantur, aliter tamen se habuisse Authores fermè innumeri produnt, & momentis rationum suadere nituntur; præsertim, cùm de Classi loquatur, quæ tunc nulla erat, & qui incolumitati propriæ consulere nequibant, de condenda Urbe, instruendaque Classe cogitâsse, facilè absurdum dixeris; Quare Attilæ adventui incrementa Civitas debet, & amplitudinem, cùm multò antè ortus ejusdem exstiterit; licèt annô duntaxat 809. in unum Corpus meliùs concinnari, ac ritè coalescere visa esset, Heracleâ & Equiliô solo æquatis, dein Albiolâ quoque, Clodiâ, & Metamauco; adeoque Venetiarum illud nomen eis Oris commune paulatim cœpit Rivo alto tribui, cùm eò ex omnibus locis Populi confluerent. Quare plurima Cassiodori, aliorumque Scriptorum loca de Venetijs, aut Venetis inscitè admodum ad ea æstuaria, quæ ijs temporibus illô nomine haud poterant nuncupari, referuntur.

De Ducum Electione. Ducum autem Electio Longobardorum metui debetur; cùm enim majores Tribuni de prioritate disceptantes, Longobardis eorum fines vastandi præbuissent occasionem, Comitia, ut malis illis consuleretur, Heracleæ fuêre celebrata; quare sancitum in his fuit, Ducem eligi, qui cunctis præesset, ut in ipsis Venetæ Civitatis annalibus

nalibus habetur, quorum verba ex ipso Nicolao Crasso desumpsimus: *Dum apud Insularem Venetiam Gentium multitudo copiosa in Vico quolibet habitaret, Tribuni & omnes Proceres, & Plebei cum Patriarcha & Episcopis & cuncto Clero in Heraclea his diebus pariter convenerunt, ut imminentibus damnis & periculis obviarent, & suæ Provinciæ decus, & statum prosperum in meliùs augerent. Cùm itaq; Tribuni majores Insularum de prioritate disceptantes sibi ad invicem deferre vellent, Longobardi absq; resistentia eorum fines pluries invaserunt; quâ de re unanimiter decreverunt, Ducem sibi preesse.* Quod accidit Annô ab Urbe conditâ 292.; & ab ea electione usque ad sedem in Rivo alto translatam, centum & aliquot Annos effluxisse notatur, quô tempore Civitas pueritiam agere videbatur, & paulatim progredi, atque ut puerorum corpora varijs morbis conflictari videmus, ità ea Civitas inter Civiles ægritudines, quibus jactabatur, cùm modò Duces, modò militum Magistri præessent, & nunc unus, nunc alter abrogaretur, ætatem agebat suam; quanquam adeò libertatis cupidissima, ut Ducum Potestatem in ipsamet Creatione latâ Lege circumscripserit, & propterea de juribus Majestatis, præter judicia, nihil prorsùs attribuit. Hinc Dandulus: *Unanimiter,* scripsit: *decreverunt, solum Ducem præesse, qui æquo moderamine Populum gubernaret, atq; Potestatem haberet in publicis causis Concionem advocandi, Tribunos etiam & Judices constituendi, qui in privatis Causis, exceptis meris spiritualibus, tam Clericis quàm Laicis æqualiter jura tribuerent, ità tamen, quod gravatis quandocunq; liceat Ducis remedium implorare. Ejusq; jussione Clericorum Concilia, & Electiones Prælaturarum à Clero & Populo debeant incohare, & electi ab eo investitionem accipere, & Ejus Mandatò inthronizari.*

A tempore igitur translatæ sedis in Rivum altum, quæ accidit An. 809. Valentino Duce propter bellum Gallicum, cum victiricibus Pipini armis cuncta fermè alia loca tenerentur, usque ad Sebastiani Ziani Ducis Electionem secutam Annô 1122. Adolescentiam agnoscimus Civitatis; quoniam quanquàm conflictata sæpiùus, crescebat tamen in dies, partesque firmabat, ut illi ætati accidit, cùm nullâ certâ lege ducatur, animosque perpetuò fluctuantes, varijsque motibus agitatos ferat; hinc quanquàm nec certis legibus majora Comitia fuerint celebrata, nec Magistratus cæteri ab ijsdem creati eô quô nunc Ordine, adeoque cuncta pendere viderentur à Ducum nutu, cùm illi Concionem advocarent, quotiescunque placeret, quod non-

nonnullis occasionem dedit, nullam aliam tunc fuisse Civitatis formam, nisì Monarchicam asserendi; Attamen vim rerum intuentes, Duces ipsos & potestatem à Populo habuisse, & Populum jura Majestatis retinuisse, eaque, cùm occasio tribuit, semper explicâsse, Ducesque ipsos coërcuisse, licèt aliquando per seditiones ac turbulentos motus, ut inferiùs advertemus, fateri cogimur.

De Forma Civitatis. Ab illo autem Duce Ziano usque ad Petrum Gradenicum secundum, cujus Electio contigit Anno 1298. prima velut juventa fuit, cùm regularis Ordo ac forma Civitatis tum primùm effulgere, Comitiaque certis Legibus celebrari & Magistratus ab ijs creari viderentur. Sed omnium erat suffragia ferre, nullaque Civium distributio noscebatur; Quare Democratiam exstitisse agnoscimus, cùm summa rerum fuerit penes universos. Petro autem Gradenico Duce, Comitia primùm interclusa fuêre, cùm enim ea Comitiorum ratio ob Vitalis Michaëlij Ducis, post quem Electio Sebastiani Ziani secuta est, cædem, fuisset adinventa, ut quolibet annô mense Septembri duodecim Viri eligerentur, bini nempe è singulis Tribubus (in 6. namque Civitas erat distributa) ut ij ex universa Civitate 450. aut 470. Cives eâ facultate cooptarent, ut singuli possent è sua Familia 4. alios adsciscere, qui majora Comitia in Annum conflarent, à quibus Magistratus omnes crearentur, adeoque rursum vertente Anno 12. Viros eligi oporteret, à quibus jus Comitiorum in proximum annum pari modo tribuebatur, quiq; proptereà eô annô exclusos se videbant, spem sequentibus fovebant suffragia ferendi; cumque ità perstitisset à præfata Cæde, quæ Annô 1170. vel ut alijs placuit, 1175. contigit, ad Annum usque 1296. (septimus nempe Annus Ducatûs Petri Gradenici) eo tempore Lex illa perlata fuit; ut quicumque eô An. majora Comitia celebrâssent, quique quadrienniô proximô, duntaxat cum posteris id jus perpetuò haberent, ità ut nîl amplius immutari fas esset; ortumque habuit à 40. Virùm Collegio, quod jam eâ tempestate vigebat; cùm enim ei Leonardus Bembus, & Marcus Baduarius præessent, hi primùm de eâ re ad Collegium ferendi cogitârunt, quæ cùm esset à 40. Viris maximo consensu probata, tandem ad universa Comitia perlata est, eodemque plausu ijsdem jubentibus sancita; Hinc ab eo tempore præter 15. Familias, quæ propter Bajamontanam Conjurationem adscitæ mox fuêre, eosque 30. Viros, qui ob rem in Genuensi bello optimè gestam, gratitu-

dinis

dinis & premij Causâ honorem sunt assecuti, paucos admodùm atque urgentibus de causis eô jure donari visum est. Quare cùm ob Legis novitatem tota Civitas turbata esset, Conjuratione præcipuè detectâ, ut Reipublicæ consuleretur, & Comitia meliores inirent, statutum fuit, ut quicunque à Comitijs non essent exclusi, quolibet Annô suffragijs in 40. Virali Collegio ad diem D. Michaëli Sacram subjicerentur, adeoque si dimidiam suffragiorum partem haud obtinuissent, per eum annum exclusi à Comitiis erant; Cum ijs autem, qui eâ lege in Comitiis continebantur, nempe qui à 12. Viris delecti fuerant, illi etiam comprehensi fuerunt, quos ex Facultate, quâ pollebant, secum adduxerant.

De necessitate Comitia intercludendi.

Quanquàm autem, ut ferme in qualibet rerum mutatione contingere videmus, motus exstiterint propter Cives, qui exclusi fuêre, Marino Bocconio præsertim Authore, adeò ut periculosæ illæ Conjurationes Bajamontanæ, Quirinorum, Thiepulorum, aliarumque Familiarum fuissent excitatæ; attamen Sanctio illa formam, quam videmus, quamque non sinè ratione suspicimus, Civitati dedit; adeoque & salus & ejusdem Ordinis Conservatio, rerumque gestarum gloria eidem Sanctioni unicè debetur. Quis enim haud agnoscet, Rempublicam, si in Plebis incidisset potestatem, vicissitudines, quas cæteræ passe sunt, fuisse subituram? & jam ingentium malorum præludia experta erat, cùm tot Ducum Cædes vidisset, & plurima indulgere debuisset, ut furorem sisteret plebis. Licèt autem eô Comitiorum Ordine, quem diximus, à Sebastiani Ziani Ducatû, postque Vitalis Michaëlij cædem, Lege firmatum, meliores viderentur de Populo Comitia celebrare; jam tamen parùm aberat, quin Civitas antecedentibus malis pejora pateretur, cùm exteri undique confluerent omnis generis, cumque Civibus se miscerent, facileque ad Comitia possent admitti, nec ea facultas cuilibet electo à 12. Viris adsciscendi 4. usque alios, Reipublicæ salutaris esse poterat. Præterea instabilis Comitiorum ratio, & quolibet annô à nutu 12. Virûm pendere debebat. Hinc formam ipsam Civitatis perpetuò fluctuare necesse erat. Quâ autem ratione 12. Viratus ille fuerit constitutus, & an sortitò aut suffragijs, & quô ea ferendi modô fuerit designatus, nec satìs liquet. Id tantùm conjicere datur, suffragijs 12. Viros creatos fuisse in Comitiis totiùs Populi, acclamatione nempe, ut cùm Ducibus fiebat; cùm enim Comitia à primo ortu exstitisse, eo-

rumque duntaxat celebrandi rationem procedentibus temporibus, auctô in dies Civium numerô, in meliùs fuisse mutatam fateri cogamur; Verosimiliùs profectò erit, eos Viros, quibus committi celebrandorum Comitiorum ratio debebat, ut cùm Ducem, dum opus erat, tum Magistratûs cæteros crearent, in Concione Populi suffragiô electos fuisse. Utcunque igitur Sebastiani Ziani temporibus duplici malô provisum est, nè scilicet Ducum arbitriô potissimùm omnia geri viderentur, adeoque Populus eis acceptum ferret quidquid detrimenti Civitas peteretur, undè tot Ducum Cædes, atque ruina; & nè inconsultò Populus maxima Reipublicæ negotia expediret, firmatâ eâ qualicunque Comitiorum ratione, creatisque Magistratibus, qui Reipublicæ simul cum Duce præessent, latisque præcipuis Ducarij Juris Capitibus.

Interclusis autem eâ Lege Comitijs certus ordo firmatus, & ad meliores translata Reipublicæ Administratio, interdictusque exteris aditus tractandæ Reipublicæ; cùm quinquennalia illa Comitia selectos duntaxat ex universo Populo celebrâsse, velque neminem qui reverâ Civis esset intrà temporis illud spatium, cùm alijs præsertim, quos electi ipsi à 12. Viris adsciverant, vel paucissimos duntaxat exclusos fuisse, necessariò deducatur; hinc primò Virtutes omnes explicari cœptæ sunt, & cùm Sanctione ipsâ primæ velut juventutis turbida ætas Reipublicæ completa est.

De incremento Civitatis.

Ergo Infans Civitas non ultrà Æstuaria, antequàm ad creandos Duces ventum esset, 270. Annorum spatiô crevit; Ab ijs autem, quorum primus Lucius Anafestus fertur fuisse, ad Sebastianum Zianum usque, Adolescens adhuc eminere tamen cœpit; nedum enim finitimorum injurias arcere, sed etiam Victricia arma longiùs ferre, & mari Potentiam in dies augere adeò visa est, ut formidari potiùs quàm injurias propulsare cœpisset; jamque dominandi dulcedine in subactis Insulis capiebatur; quæ quidem ætas 470. ferme Annos complectitur, Ducesque 37. nisi fallor, eam sunt moderati; Hinc nullis velut Moderatoribus ampliùs indigens, eum sibi Ordinem struxit, ut Duces speciem, atque Insignia retinerent Potestatis, vim tamen amitterent, essetque tota penes Populum, institutâ tamen eâ, quam diximus, solemni Comitiorum ratione; Quare ab eo tempore primam juventam exercuit, suumque robur magis explicavit; rebus propterea gestis celeberrima, Auctoribus ingentem præbuit scribendi materiam,

cùm

cùm intereà ætate ipsâ prudentior, suisque malis edocta, meliorem vitæ rationem instituit Comitijs interclusis, undè velut defæcato spiritu nullas ampliùs ab eo tempore ægritudines passa est; Exegit igitur primos illos juventutis Annos 125. Annorum curriculo, qui à Sebastiano Ziano usque ad Sanctionem illam, quâ interclusa Comitia fuêre, defluxerunt.

Antequàm autem formam ipsam Civitatis sub qualibet ætate perscrutemur, præsens Regiminis ratio est nobis adumbranda, ut eâ velut imagine ante Oculos objectâ, quomodo primùm se habuerit, facilùs contemplari valeamus.

De Ordinibus Civium.

Corpus igitur Civitatis, ùt cætera, Summâ Potestate animatur, quæ à Petri Gradenici temporibus ad eos Cives translata est, qui Comitiorum participes mansêre; qui propterea cùm participes quoque honorum essent, ab alijs adeò distingui cœperunt, ut hi nobiles atque Patritij, cæteri autem Populares dicerentur; è quibus tamen alij sunt honestiores, & veluti secundam constituunt classem, adeoque quanquàm jure suffragij careant, quædam tamen eis in Republica munera concreduntur; Cæteri verò plebs sunt, & duntaxat privilegijs quibusdam in Vectigalium solutione fruuntur; hinc *optimo jure Cives*, Patritij sunt; quoniam honorum duntaxat & Magistratuum capaces existunt, & propterea vicissim parere atque imperare apti sunt; qui autem nunc Cives, sive eorum linguâ, *Cittadini*, nuncupantur, mediô quodam jure videntur esse; cùm gravissima etiam munera obeant, eisque Arcana omnia Respublica concredat, eorumque operâ in expediendis etiam rebus maximis utatur; Hos autem intelligimus, qui ab Origine jus illud Civitatis obtinent, & propterea nedum Majoribus quoque, Patre, nempe, Avo, & Proavo Civibus orti sunt, sed sordidas artes nemo eorum exercuit. Hinc Tabulæ illorum exstant, è quibus probationes indè desumuntur, quas Advocatores Triumviri, de quibus infrà, solemni ritu admittunt; Alij autem sunt, quorum Majores non constat Cives exstitisse, ipsi tamen in Urbe nati, educatique, aut decenniô saltèm commorati, nec propterea aliô jure Cives sunt, quàm quia in Portoriis atque Oneribus, ut diximus, privilegiis Venetorum Civium potiuntur, cùm ferme dimidium minus persolvant quàm Exteri; idem tamen erit Opificiis, cæterisque sordidis artibus se immiscere, sive protsus abstinere, cùm sint omnium Munerum incapaces.

Hinc ex Ordine Civium ab origine magnus Venetiarum Cancellarius desumitur, Arcanorum omnium, publicarumque Tabularum Custos, cùm & Collegio, & Senatui, & Decemvirûm Concilio intersit; nec propterea quidquid in Reipublica geritur, eum latere potest. Quare Patricij quoque eidem locô cedere videntur, postque obitum publico funere, magnisque honoribus effertur, cùm nedum frequentibus Patribus, sed Duce ipso comitante deducatur. Quatuor quoque Viri à secretis Decemvirûm, atque alij 24. qui Senatûs Acta describunt, & Consiliis intersunt, ex his eliguntur, ùt Tabelliones quoque & Ducales Scribæ, cùm ordinariè tum extrà Ordinem adsciti, exque illis Patricij cùm regundis Provinciis, tum legationibus designati assumunt, qui magìs apti videntur à Secretis; præterque ea Legationibus quàmplurimis funguntur, quas Residentias vocant apud Duces, Pro-Reges, aliosque supremos etiam Principes. Alia quoque munera in subditis Civitatibus exercent, nec spes deest, cùm ob ingentia servitia, tum in Reipublicæ necessitatibus & bellis pecuniarum largitione Patriciorum honores adipiscendi, cùm in eum Ordinem cooptatos quàm plurimos fuisse visum sit.

De Collegijs. Cæteri autem in Collegia sunt distribùti, quot namque sunt Opificia, tot sunt Collegia, quibus singulis Præfecti præsunt, facultatemque habent nedum convocandi Collegii, sed ferendarum atque abrogandarum Legum, ut expedire visum fuerit, dummodò major Collegarum pars assentiatur. Decernunt autem Collegia: Ædiles, de quibus infrà, jubenr; nec enim firma sunt Collegiorum Decreta, nisì Ædilium sanctio accesserit. In Collegiis autem Pietatis causâ institutis, illud præcipuè observatu dignum puto, quòd quanquàm Patricij ijsdem adscribi, stipemque conferre videantur, àb honoribus tamen abstinent, eosque Civibus quoque infimis relinquant.

De præcipuis Civitatis Magistratibus. Ex Patricijs igitur Comitia solummodò conflantur; ab ijs autem cuncti eliguntur Magistratus, quorum præcipuum præter Dominationem, Senatumque Rogatorum, Collegium est, quod constituit Dux ipse, sexque Viri à Consilijs; tres etiam Viri Collegio quadragintaVirali Præfecti, qui binô quôlibet mense mutantur: Sex Majores Sapientes, qui Senatum represensant: 5. Sapientes, quos Continentis vocant; & 5. alios quos dicunt Ordinum; Quare minus veluti Civitatis Corpus constituit, cùm ejus præcipua membra com-

plecta-

plectatur; Dux autem cum 6. Viris Dominationem efficit, vulgo *La Signoria*, estque veluti sanctiùs Civitatis Concilium, præsidetque propterea cunctis aliis; Quare summa rerum adeò est distributa, ut Septem-Viratus iste Caput Magni Corporis efformet; Collegium verò, Collum, pectusque, cùm & præcipuas vitales partes complectatur, & per illud veluti Organum negotia cuncta ad Senatum transmittantur; Senatus autem stomachi Vices gerit, cùm omnia concoquere, suasque ad partes distribuere, sit ejus Officium. Magistrarus autem reliqui velut nervi, membraque cætera, quæ suô videtur locô aptare Decem-Virale Collegium, cui nè quid Respublica detrimenti patiatur, videre unicè incumbit. Patriciorum autem Comitia seu magnum Concilium corpus ipsum sustinet; cumq; propterea nec Regiminis ratio, nec Civitatis forma probè dignosci queant, nisì membra hæc sigillatim dignoscantur, ideò de magno ipso Collegio priùs, gradatimque de reliquis, nobis agendum erit.

De ijs qui ferendi suffragij jure potiuntur.

Magnum igitur Concilium adeunt, quotquot impræsentiarum Nobiles dicuntur, cum 25. expleverint Annum; & quanquàm ea ætas ad suffragia legitimè ferenda requiratur, mos tamen obtinuit, Dominationis permissu, 31. ad summùm singulis annis admittere, qui eam ætatem non attigerint; Tenentur autem universi coram tribus Viris Advocatoribus, de quibus infrà, legitimè se natos, & ex ijs Parentibus, quos nominant, probare, & ætatem quoque. Quòd si ex ijs sunt, qui infrà ætatem admitti petunt, dummodò 20. Annos impleverint, quos adhuc exegisse demonstrare oportet, postquàm cætera quoque indicârunt, Syngrapham accipiunt à Triumviris ipsis, obsignatam ab eo qui est à Secretis, illamque alteri deferunt, qui apud quadragintaVirale Collegium idem munus obtinet; ille autem nomina Syngraphas deferentium sigillatim in parvis quibusdam Chyrographis describit, cumq; ijs pridie nonas Decembris, cùm D. Barbaræ Festum agitur, Principem & Consiliarios adit, vulgò *La Signoria*, è quibus 31. duntaxat sortitô ad Comitia debent admitti, quando nempe Candidati non excedunt numerum 100. & 50.; quorum namque descripta sunt nomina, quinta pars solummodò est admittenda, nec tamen possunt esse plures quàm 31.; si enim excesserint eum numerum 150., jam nulla quintæ parris habetur ratio. Quod si candidati sint pauciores, minorem etiam numerum quinta pars

pars complectetur; Conjectis autem in Urnam Chyrographis, totidem argentei globuli in alteram conjiciuntur, aureique non plures quàm 31 minúsve, si quinta pars eum numerum non attingat. Quibus peractis Dux illicò chyrographos incipit educere, & nomina profert, qui est à Secretis. Tumque puer pro singulis Chyrographis, singulos globulos extrahit, & si ad nomen exeat globulus aureus, jam Comitiorum jus adeptus intelligitur, & cùm priùs pars domûs tantùm fuerit, ab eo tempore incipit pars esse Civitatis; Si autem argenteus exierit, tenetur expectare, donec vertente Annô idem dies recurrat, nec ampliùs coram Advocatoribus se sistere oportebit. Hos autem, quoniam sortes experiuntur die Divæ Barbaræ Sacro, Barberinos nuncupârunt.

De præcipius Civitatis Legibus.

Quanquàm verò Patricij omnes legitimæ ætatis jus habeant Comitiorum, jura attamen Majestatis nec ab ijs explicantur universa, nec præter Legislationem, Electionemq; Magistratuum, aliud ferme in Comitiis agitur. Legibus autem cautum est, ut Ecclesiastici, Patritij etiam nec ad Comitia, nec ad Magistratûs admittantur, quanquàm antè Annum 1298. aliter servatum videretur. Ità quoque Equites Hierosolymitani, quoniam alteri Principi subduntur. Lege etiam sunt prohibiti arctiori gradu Conjuncti Cardinalium suffragandi jure in ijs, quæ Ecclesiasticorum negotia respiciunt, nec aditus ad Sancti officij Tribunal patet ijs, qui dignitates ambiunt & beneficia.

Quæstus autem velut indecorus Patricijs lege est interdictus. Ad majores verò Magistratus non promoventur, nisì qui minores ritè gesserint, cùm ij rudimenta simul & probatio sint; quare ætate, & rerum experientiâ edocti Rempublicam capessunt, & propterea sicut Lacedæmone, Venetiis quoque expedit senescere. Hinc nemo plures Magistratûs unô eodemque tempore potest exercere, nec se abdicare, dum electio secuta est; sancitumque propterea, ut qui secus faxit, mulctam subeat 2000. nummorum aureorum, & duobus annis jure careat suffragandi. Observatu quoque dignum erit, quòd præter Ducem, & Procuratores Divi Marci cum cæteris propter Magistratûs quoscunque, gratulationes etiam fieri prohibeantur, ut assentationibus nullus detur locus. Magistratus autem tum in subditis Urbibus, tum in ipsa regnatrice nunquam potestatem amittunt, nisì à Comitiis Successores destinentur; nec vel minimum abesse possunt

absque

absque Sanctioris Concilij permissu, Ducis nempè cum Consiliariis, quem SeptemViratùm nuncupabimus, ut illud Dominationis Vocabulum usurpare non sit necesse.

Sed Donaria cujuscuuque generis accipere ab exteris vetitum; nec in aliorum Ditionibus comparare sibi bona licèt, ut nulla extra Civitatem spes corrumpat animos, adeoque pœnæ bonorum amissionis, vertendique soli sanctæ sunt. Imò in ipsa ditione Civitatis, feuda emere prohibentur, ad servandam æqualitatem; nec priùs Prætoria in Villis habere fas erat, quod tamen obtinuit, cùm nulla sit ratio, cur Clarissimo cuique plures Curæ, majoraque pericula sint subeunda, delinimenta autem Curarum & periculorum sint adimenda.

Legibus quoque Connubiorum vetitum Patricijs est & Uxores accipere ab exteris, & filias nuptui dare, ijs scilicèt, qui alteri Principi obediunt; Ac licèt ex historia Catharinam è Cornelia Familia Jacobo Cypri Regi nuptui datam, & alteram è Capella, Duci Florentiæ, quæ Mariam Galliæ Reginam peperit, certum sit; non tamen hæ nuptiæ sinè statûs ratione permissæ, & Senatus ipse, ut Legi consuleret, atque non ut Corneliam aut Capellam elocari, sed Civitatis Filias, videretur, eas novo ritu adoptavit, ut nedum inde fœdus inter Rempuclicam & Principes ipsos, sed succedendi jus oriretur, quod pro eo Regno accidisse visum est. Permittuntur autem Connubia cum Nobilibus Reipublicæ subditis, & inter Cives, eos nempe, qui quanquam honoribus Patriciorum uon gaudent, sunt tamen ab origine, ùt suprâ diximus; licèt Patricii, aut necessitate ducti, aut aliâ de Causâ has nuptias contrahant; quare à magno ipso Concilio Contractus debet approbari. Nullâ quoque Venetijs Nobilium Primogeniti prerogativâ potiuntur, & Majorum hæreditates æquis pattibus cernuntur, licèt id servatum videamus, ut unus ferme è Familia Uxorem ducat, quanquàm in Cornelia Familia, quoniam divitijs nimiùm excreverat, Sanctius Concilium cunctos Fratres semel Uxores ducere coëgisset; hinc æquati honores & bona.

Præter autem publica munera, quibus Patricij obnoxii sunt, nec Duce ipsô exceptô, bellorum temporibus quisque etiam juxtà redditus Civitati contribuit. Ijs autem omni tempore cum Legatis atque Oratoribus, cæterisque Principum Ministris, eorumque Famili-

liari-

liaribus colloqui, præcipuè autem literis communicare, gravibus pœnis eſt interdictum, quod ab Anno 1618. propter detectam Conjurationem Ducis Oxunæ, aliorumque, magnô rigore ſervatur. Sed nullo metu communicant, cùm perſonati incedunt, aut in locis, ubi ludorum causâ conveniunt, vulgò *Ridotti*. Id quoque ſapientiſſimè ſancitum, ut Oratores Venetorum in reditu Senatui rationem geſtarum Legationum ſcriptô reddere teneantur; Quare Opes, Viresque Principis, præſentemque rerum faciem exactè deſcribunt, & Senatus propterea meliùs quandoque quàm ipſi, perſpectas eorum Vires habet; pauci namque, ut Auguſtus, rationaria perſcribunt, quibus, ſi non ut ille, tot Claſſes, regna, atque Provincias, Tributa ſaltèm & Vectigalia, neceſſitates ac largitiones unô obtutu dignoſcerent. Munera etiam, quibus donari moris eſt, dum redeunt, Senatui tradunt, & ex Publico Miniſterio præter laudem bene adminiſtrati Officij nihil ſperant, quamvìs ijsdem nunquam fruſtrari videantur; nec licet aliquid à Principibus prætendere, & neque ut pro ijs intercedant. Ducis autem Filij nunquam poſſunt Oratorum munere fungi, cunctique in Magiſtratibus propter Uxorum crimina perinde ac ſua plectuntur. Sed Magiſtratus univerſi aut annui ſunt, aut 6. duntaxat menſium ſpatio terminantur, ut per orbem veluti imperandi & parendi ratio vertatur, nullusque augendæ potentiæ, aut ſuperbiendi locus; *Superbire namq; homines etiam annuâ deſignatione, quid ſi honorem per quinquennium agitent?* inquit ille. Hæc autem ideò in univerſum referre placuit, ut Comitia ipſa & ſuffragandi ratio meliùs dignoſcantur.

De tempore celebrandi Comitia.

Quoniam autem Comitiorum celebratio cunctos alios Mgiſtratus ceſſare facit, cùm eos etiam complectatur; propterea ad diem Dominicum, cæterosque ſacros dies indicta eſt, & hyberno tempore, à primâ nempè Novembris pomeridianis horis usque ad Solis Occaſum; â primo autem Aprilis, de manè usque ad meridiem haberi mos eſt; cumque in eligendis præcipuè Magiſtratibus tota Comitiorum functio verſetur, ea eligendi ratio nobis eſt deſcribenda.

De magno Concilio, & univer-

Cùm ergò in ampliſſimum, quod nunc viſitur, Conclave, ubi Comitia celebrantur (priùs namque varijs in locis etiam poſt translatam in Rivum altum Reipublicæ ſedem habita fuère, nam & in Eccleſia Divi Marci, & in Ducum ædibus, & alijs quoque in templis convocari ſolebant) cuncti Nobiles ætatis jam dictæ, Duxque ſimul

mul & Consiliarij, nec non Triumviri Advocatores, cæterique Magistratus se receperint, suô cuncti Ordine assideant, ità ut Duci in suo Tribunali à dextera tres ex Consiliarijs, & unus ex Præsidibus 40. Virûm, â sinistra verò tres reliqui Consiliarij, & duo alij Præsides ejusdem Collegij 40. Virûm; atque ad extremum Tribunalis Magnus Cancellarius adstare videantur, occupatis quoque à cæteris Magistratibus locis suis, supremis nempè subselliorum gradibus cùm à dextra, tum à sinistra, alijsque pari dignitate in singulis Conclavis lateribus assidentibus, datô honestiori locô ei, qui major est natu; propè suggestum verò, quô sustinetur Ducis solium Urnæ tres sunt collocatæ adeò basi erectæ, ut hominis altitudinem excedant, nè adspici queant, conclusæ undique, & cum duobus duntaxat foraminibus, ut manus possint immitti ad extrahendos globulos; Urna tamen in medio posita, propterèaque ante Ducis Conspectum, unum habet foramen. Cùm autem ad 1600. fermè Nobiles conveniant, hinc in duas illas Urnas 800. circiter globuli injiciuntur ex ære, aut metallo alio, cui argentum super inductum est; his autem 60. tantùm adduntur inaurati, 30. nempè pro qualibet Urna. In mediam verô, 24. pariter argento obducti, & 36. inaurati conjiciuntur. Post quæ Scribarum Princeps in locum ascendit propinquiùs, cùm duo sint in medio Conclavi parùm distantia, superque alterum gradum subselliorum elata, & Magistratus profert, quos eâ die creari oportet, soletque subjicere, etiamsì nullæ sanctiones fiant, *quòd sint ea Leges ferendæ, quæ è Republica fuerint*; quibus pronunciatis ad sedem suam revertitur, statimque vocat Advocatores, Decem Virûm Præfectos, Censores, Auditoresque cùm veteres tum novos, de quibus infrà, ut jurejurando se obstringant, omninò curaturos, ut Comitiorum Legibus satisfiat; reversusque ad subsellia, tres Consiliarij ad Urnas accedunt, majorque natu ad mediam, ad dexteram alter, natuque minimus ad sinistram; Medius autem habet scabellum antè Tribunal Ducis, ubi Electores quoque debent assidere; à quô autem subselliorum Ordine sit inchoandum, sortitò designatur. Tum ex eo, cui sors obtigit, Nobiles suo quisque ordine surgunt ad Urnam è duabus extremis, quæ ei Ordini respondet, globulosq; educunt; & argenteos ad urnam aliam, quæ in basi majoris Urnæ sita est, dimittunt; redeuntque sorte non favente; si autem aurei, eos tradunt in manus Consiliarij, qui propiùs sedet, statimque Urnam

Sa suffragandi ratione.

nam petit in medio ſitam, globulum etiam extracturus; & ſi argenteus fuerit, quamvìs Conſiliario in medio ſedenti illum tradere videatur, nihil tamen conſequitur, adeoque rêdit ad ſedem ſuam; ſi tamen aureus venerit, poſtquàm eum inſpexerit Conſiliarius, Patricius ille jam Elector eſt conſtitutus, & propterea ad ſcabellum illud ante Ducis Tribunal ſitum converſo ad eum obtutu ſedet, nè Candidati eidem aliquid poſſint indicare, aut ſe mutuò commendare; tumque pronunciatur Electoris nomen ab uno ex ijs, qui ſunt à Secretis; quô auditô jam ex ea Familia Fratres, Socer, Sororij, alijque, ſortis beneficio privantur; nec in 4. Ordinibus Electorum pluribus ex una Familia locus datur præter duos, nec in eodem Ordine. Quare novem ſunt Electores cujuscunque Ordinis, cuncti ex diverſis Familijs, cumque fuerit primus Ordo deſignatus, Syngrapha ſigillo Publico munita minimo natu ex illis à quopiam à Secretis defertur, quæ Magiſtratus continet, quos creari oportet; Tumque juramentum præſtant, ſe duntaxat eis ſuffragia daturos, quos Reipublicæ expedire, Magiſtratus aſſequi putaverint; Hinc exeunt è Conclavi & ſe recipiunt in locum ſuum, poſtque eos ſecundi, & ſic deinceps, deſignantur; Legeque cautum eſt, nè ſubſellia permutentur, donec Creatio omnium Ordinum, 36. nempe Electorum fuerit abſoluta; Primò igitur Ordine creato, & Conclavi ab eo relicto, quousque ad alium Ordinem creandum procedatur, deſignantur Candidati; ſtatim ac enim in locum conſtitutum ſe receperunt, unus à Secretis, cui incumbit, Leges profert, quas in Candidatis renunciandis oportet obſervare; Poſteà verò novem globulos in Urnam immittit inſculptos numerorum notis, & Electorum quilibet, Senior nempe primò & ſic deinceps, globulum educit, in quo Magiſtratus denotetur, ut Candidatum in eo renunciet; cùm e.g. Unitas primò reſpondeat Magiſtratui, qui in accepta Syngrapha, ùt dictum eſt, continetur, binarius numerus ſecundo, & ſic de alijs ad nonum usque; & propterea qui primum numerum obtinet, primam haber nominandi facultatem, eodemque Ordine proceditur usque ad ultimum; ſed ſi fortaſſe 11. Magiſtratus eſſent deſignandi, primus Elector ultrà primam vocem, decimam quoque habet, & ſecundus undecimam; nec enim ùnquàm plus undecim creanrur; Facultas autem eſt inter Electores permutandi Magiſtratuum nomina, cumque ſit Lege ſancitum, ut Electores ipſi Vades ſe præſtent eorum, quos ad Magiſtratus nominant, ſi propte-

propterea facta permutatio sit, obligatur tamen Vadem esse illius, qui ab altero permutante renunciatur, præcipuè verò si illis Magistratibus pecunia publica concredenda sit; undè permutantes obligantur pro ijs, quos nec etiam nominârunt; dum verò primus Elector sivè ex permutatione, sive sorte ipsâ Patricium nominat Magistratui aptum, & cæteri suffragia præstant; Si Calculorum duæ tertiæ partes non concurrant, oportet alium nominare; Si autem suffragia 6. obtineat, jam erit Candidatus, nomenque propterea & qualitas ab eo, qui est à Secretis, in Syngrapha ipsa notantur sub Magistratu, eâdemque Lege in cæteris proceditur, licèt tertij Ordinis & sequentium Electores aliquando facultatem nominandi non obtineant, si nempe Magistratus creandi essent ex ijs, qui duos competitores admittunt, qui inprimo & secundo Ordine designari solent, & illis sors non faverit in globulorum extractione, dum nempe eâ notâ sunt insculpti, cui nullus respondeat Magistratus; quare suffragia duntaxat ferunt. Si autem dubium oriatur in ipsa suffragandi ratione, tunc ex Advocatoribus unus, exque Præfectis Decemvirûm alter eò se conferunt, dirimuntque, quod in controversiam venerat. Post quæ Electores nec ad Comitia reverti possunt, si non sint è Consiliarijs, Præfectis Decemvirûm, Advocatoribus aut Censoribus, quibus jus est, Comitia rursum adire. Qui autem singulis ordinibus fuerunt à Secretis, Candidatorum nomina in Syngraphis ut supra descripta ad Magnum Cancellarium deferunt. Igitur in singulis Magistratibus aliquando duo & sæpè 4. instituuntur Competitores, dum scilicèt ab omnibus, vel à duobus Ordinibus duntaxat nominantur; quanquàm sæpè accidere videatur, ut plures, aut universi Ordines in unum Candidatum consentiant; tunc enim quasi esset Competitor sui ipsius, de eo suffragia feruntur. Syngraphâ autem à Magno Cancellario acceptâ proferuntur Magistratus singuli cum Competitoribus; inde ab initio exorsus, primum tribuit locum ei Competitori, qui, à primo Ordine est designatus, & si consensus accesserit alterius Ordinis, etiam non omittit; Undè auditur Candidati nomen toties repetitum, quot sunt Ordines, qui designârunt; nec duntaxat ejus nomen auditur, sed Patris quoque & Avi, si Ducis dignitatem aut Procuratoris Divi Marci obtinuerit, ut si plures eôdem nomine vocentur, Patris saltèm nomine distingui possint; priùs autem excussio fit, an scilicèt ipsis Candidatis Lege obstet, Magistra-

tum assequi, ità ut ad suffragia descendere sit inane, ut nempè si *de repetundis* fuerit postulatus, vel si Magistratum obtinuerit, nec tantum temporis lapsum fuerit, quantum necesse est ad alterum obtinendum, aliaque id genus; cumque omnia publicis tabulis diligentissimè sint descripta, illicò noscuntur. Si ergò contingat è 4. Competitoribus tres excludi oportere, nec pro superstite suffragia ferri possunt, cùm nemo è Competitoribus remanserit; Unde cùm ab uno tantùm Ordine aliquis est designatus, nisi Competitor adsit, suffragiorum nequit esse particeps.

Postquàm autem Candidati, ut suprà, fuêre recensiti in eo Magistratu, de quo agitur, non hi solummodò exeunt è Comitijs, sed alij etiam ex eadem Familia, & arctiore nexu conjuncti, exspectantque alibi, donec suffragia ferantur; tumque Scribarum Princeps altâ voce, quod eorum obligationis est, Patricios admonet, ut *ei Calculos dare velint, quem è Republica esse magis putant*; posteaque primum Candidatum profert, iteratque donec suffragia excipiantur; tunc verò pueri quidam discurrunt per Conclave præferentes singuli duos ligneos loculos inter se connexos, album nempè, qui interior est, admittitque Brasinum, qui exterior, & rejicit Candidatum; ità autem sunt pertexti, ut nemo possit advertere, in utrum pila decidat, suffragia nempe feruntur pilis quibusdam ex albo lino confectis. Cumque ità exceperint, deferunt ad Principis Tribunal, tumque favorabilia suffragia in Vas quoddam album injiciuntur, alia in Brasinum etiam, Consiliarijque ad dexteram sedentes ea enumerant; ad sinistram verò, cæteri; & si minùs dimidiâ parte Calculorum Candidatus tulerit, rejicitur; Si verò plura, scriptis traditur suffragiorum numerus dimidiam partem superantium, & qui è Competitoribus majorem obtinuerit, Magistratum assequetur; Qui autem ità sunt electi, se sistunt coràm Censoribus, jurantque, *nihil admisisse contra Leges*, ut *Magistratum obtinerent*.

Quâ igitur ratione provisum, ut optimi quique Magistratus obtineant, quamque aptè & decorè cuncta sint disposita, vides; Ea autem adeò celeriter fieri perhibetur, ut fermè fidem superet. Quæ quidem suffragandi ratio: *Andare à Cappello*, vulgò nuncupatur. Calculi autem statim enumerantur, delatis namque loculis coram Consiliarijs, linei globuli in quandam tabellam 200, foraminibus perviam immit-

immittuntur, totidemque in subjectam Capsulam per ea foramina statim decidunt, sicque illicò numerantur.

Comitia autem cum Solis occasu debent terminari; adeoque si suffragia de aliquibus nondum lata fuerint, quanquàm ab Electoribus nominati, nec ampliùs Competitores manent, cùm alij in Comitijs proximis rursum instituantur. Ipsi tamen Electores possunt quoque Competitores esse, cùm etiam ab alijs aut etiam à se ipsis nominantur. Quanquàm autem nullus sit certus numerus in Comitijs definitus, maximus tamen visitur Patriciorum numerus convenire ad Comitia celebranda; si autem sint ferendæ Leges, aut habitæ deliberationes sanciendæ, 600. ad minùs requiruntur; Consiliarij autem nisì 4. adsint, nec Magistratus poterunt creari.

De Conclavi, ubi Comitia celebrantur.

Conclave porrò, ubi comitia celebrantur, amplissimum est, & 4. habet angulos, totidemque latera, quorum duo sunt longè reliquis minora, quibus undique Scabella adhærent ad parietes conjuncta, aliaque sunt in plano disposita; ijs autem, quæ parietibus conjunguntur, duo sunt gradus, alterque altior ità, ut qui sedeat, aliorum oculis subjiciatur; alter verò æqualis est subsellijs in plano dispositis. Tribunal autem, ubi Princeps sedet secundùm duo minora latera dispositum cernitur, & Suggestum est è tignis constructum. In plano autem secundùm longitudinem novem subsellia habet transgressis tignis intersepta, suntque majora latera, alterum à fronte, alterum à tergo; minora verò à dextra & à sinistra, & cùm his cumque illis duobus eminentiorum subselliorum gradibus, quæ ad majora latera sunt disposita, 10. Ordines efficiuntur; majus namque alterum latus è superiori parte cum subsellijs unum Ordinem efficit, pars nempè superioribus ex adverso respondens; aversa verò cum dimidia parte alteriùs è Regione siti, secundum; & sic deinceps usque ad alterum majus Conclavis latus. Quare qui per utrumlibet latus incederet, proximaque subsellia contingeret, unius ejusdemque Ordinis partes, unam à dextris, alteram verò haberet à sinistris, Patriciosque bifariam distinctos, & adverso vultu se intuentes cerneret; Cuncti autem rediguntur ad majores quinos, & primus utrumque Ordinem complectitur secundùm majora latera; alter verò duos alios lateribus ijs proximè adhærentes, & ità in reliquis, unde quintus duos continet in medio positos. Duæ autem sunt

janua

januæ, altera ad majus latus posita, in quo nullæ sunt fenestræ, altera verò in minori latere quàm proximè ad alterum majus, quod fenestras admittit, ità ut si quis in majori latere existat, aspectumque convertat ad sinistram januam, ipsam è conspectu videbit; estque alia parva in ipso minori latere, per quam Electores, à quibus Competitores designanrur, transeunt, cùm è Comitijs egrediuntur; hinc qui Ordines subselliorum ad Urnas priùs debeant accedere & à quo Capite & latere sit ducendum initium, sors etiam decidit; Diximus namque Consiliarios ætate minùs provectâ juxtâ Urnas tres assidere, maximus nempe natu pro media, minimus pro sinistra, alter verò pro dextera, & hi duo utraque Capita subselliorum, quæ Magno Cancellario cum cæteris à Secretis sunt assignata, occupant; alter verò, ùt dictum est, in Scabello ante Tribunal Ducis obliquè producto, in quo etiam postmodum Electores sedent; Decem igitur in Urnam quamlibet coloris argentei globuli injiciuntur, ex quêis quinq; numerorum notas singuli singulas insculptas hâbent, cum verbis: *Caput ad Brolium, & latus ad Divi Georgij*; Reliqui autem quini, quanquàm ijsdem notis, verbis diversis, sunt inscripti, nempe: *Caput ad Castellum, & latus ad Divi Marci.* Inde sortes ducuntur, & quicunque obvenerit, à quonam Ordine & Capite sit inchoandum denotat, tumque globulus eximitur sorte ducti socius, cum Unitate scilicet & verbis, posteaque alter, qui secundo loco vocata subsellia docet; itaque pergitur, donec Electorum numerus fuerit absolutus; tumque suô pergunt Ordine Patricij ad alteram ex Urnis, quæ sibi respondet, & sortes, ut diximus, experiuntur, ut Electores fiant. Ducis autem eligendi ratio diversa est, ut infrà. In Magistratibus verò designandis ordo etiam adhibetur; majores namque primùm eliguntur, dein cæteri; pergiturque usque ad Solis Occasum, aut Meridiem, si Comitia æstate celebrari contingat. Quæ Comitiorum & suffragandi ratio sensim, procedentibusque temporibus ad Ordinem, quem diximus, devenit, quô ferme nullus aptior excogitari potest; Hinc summa quies in eo, quod est difficillimum, atque in omni Civitate præcipuum, undè omnes propemodum fluxêre Conversionum Causæ, *Creatio*, nempe, *Magistratuum*. Quòd si aliqua etiam admittantur, quibus fraus Legibus fiat, id profectò erit advertendum, *in rebus humanis tum satìs superq; provisum esse, cùm minoribus duntaxat incommodis locus datur*; nec enim eò deveniri potest,

ut perfectio insit ex omni parte. Si quis igitur Græcorum Civitates, & quotquot cæteræ fuêre, velit respicere, nîl præter Seditiones, Factionesque reperiet, & Romæ tandem post tot motus, per vim Magistratûs arreptos fuisse visum est; undè Civilia Arma in suamet Viscera conversa, ac tandem interitus, quoniam è priori forma, quam Legumlatores instituerant, semper in pejus processêre; ac tandem in Plebis tyrannidem sive unius, seu paucorum devenêre, donec rursum conversæ, susque deque jactatæ nunquam cessârint, nisi vivere desierint. Venetijs autem tempus ipsum res in melius redigebat, & ùt Vires, ità Ordinis firmitatem Civitatis Corpori largiebatur; adeoque post interclusa Comitia, & Plebis vitavit impotentiam, & Demagogorum machinationes, & Paucorum ambitum atq; Dominatum, semperque perstans in suo Ordine adeò mira omni tempore exhibuit specimina sapientiæ, ut quidquid optimi erat apud Græcorum Respublicas, aliasque, atque in Romana etiam Civitate, ad se traxisse palam faceret.

De Collegio.

Collegium verò ultrà SeptemViratum, Ducem nempè cum sex Consiliarijs, tres Præfecti quadragintaVirali Collegio, sexque Majores Sapientes, & quinque alij, quos *Continentis* dicunt, atque totidem, quos appellant *Ordinum*, primis temporibus *Sapientes mari* dicti, componunt, de quibus sigillatim nobis agendum est. In eo autem Reipublicæ negotia, antequàm ad Senatum transeant, præconsultari oportet; imò ab eodem, quoniam præcipua complectitur hujusce Corporis membra, cæteris etiam Magistratibus juxta rerum exigentiam distribuuntur; Hinc Collegium ipsum Oratores audit Principum, Civitatum Legatos, Exercituum Ductores, cæterosque; Hinc etiam ei scriptô exponuntur cuncta, quæ occurrunt, quæ à Senatu debent cognosci; coit autem singulis diebus horis circiter duabus post Solis ortum; Singuli autem Magistratus, è quibus constat, Præfectos sibi constituunt quolibet die 7., eisque incumbit ad Collegium referre, eaque exponere, quæ sui Magistratus propria sunt; Si verò deliberare oporteat de rebus alicujus momenti, consultant universi; quanquàm si res Continentis sint, Sapientes mari audire duntaxat possunt, & silentium servare tenentur; licèt in gravioribus rebus, quæque Majorum Sapientum operam exposcunt, nec pertineant ad Sapientes Ordinibus, seu mari, aliquando excludantur; In cæteris autem, quæ sua non sunt, ut diximus, licèt audire, sed nullam

nullam ſententiam ferre; quôd ſi tulerint, nulla ejus in Senatu habetur ratio ùt aliorum, quod cùm de ijs ſermo erit, meliùs dignoſcetur. Ad Senatum verò referuntur cunctorum Sententiæ, nempe *Prencipis, ejusq; Conſiliariorum, Præfectorumq; Quadragintavirûm, Sapientum Majorum atq; Continentis cum Authoris nomine*, ſi ſint diſſentientes; eæque ſcripto mandantur ab eo, qui eſt à Secretis; cùm enim nihil poſſit deliberari absque eo, quòd à Senatu decernatur; ad eum propterea hi Magiſtratus accedunt, exponuntque ſententiam; quòd ſi diverſæ ſint, ea primò locô proponitur, quam Dux vel Conſiliarij dixere, poſteà verò quæ à Maximis Sapientibus profecta eſt, &c. adeoque ultimi ſunt Sapientes Mari; quòd ſi Magiſtratus ipſe inter ſe diſſentiat, ejus ſententia primò refertur, qui Principem locum inter Collegas habet, quibus relatis facultas datur Sapientibus, ſi velint, oppugnandi cæterorum ſententias, ſuasq; firmandi, ſemperque is antecedit, qui authoritate præeminet; poſt Sapientes autem Senatores quoque diſſerunt, & ſicut placuerit, ſententias oppugnant; & poſtquàm òmnia rationum monentis ſunt expenſa, ſuffragia colliguntur; quod hoc ferme modô accidit; poſitô namque 4. eſſe ſententias, 4. à Secretis albos geſtantes loculos exeunt, rogantque ſententias, quos ſequuntur alter cum Braſino, poſtremusque cum rubro, qui color eſt pro ijs, quibus non liquet, & non ſinceri appellantur, quoniam neque damnant, neque approbant. Senatores igitur in quemcunque placebit loculum ſuffragia conferunt, & ut res deliberari queat, dimidia ſuffragiorum pars eſt pro una ſententia ſuperanda, undè donec ea non prætergrediatur, iterum ſuffragia ferri oportet; Tunc autem relinquuntur Sententiæ, quæ minora tulerunt; hinc ſi duæ remanſerint, pro quibus ſuffragia dari oportet, duo duntaxat prodeunt à Secretis cum albis loculis, quos ſequuntur duo alteri cum Braſino ſcilicèt ac rubro; quòd ſi nec ulla ſuperârit dimidia ſuffragia, denuò ex integro conſultari negotium oportet, atque referri, & vel eâdem die, ſi præcipuè res urgeat, vel alterâ, quanquàm hoc rarô accidat. Potiuntur autem Dux & ſinguli Conſiliarij, Præfectique Quadragintavirûm atque Sapientes perpetuâ referendi facultate. Quòd ſi in rubro ſuffragia dimidiam partem ſuperârint, ità ut nihil liquere videatur, tunc pro nulla ex jam dictis Sententiis ſuffragia ampliùs ferri poſſunt. Si autem deliberatio aliqua neceſſariò capi debeat, & nil unquam decernatur, tunc Concilium Decem-Virûm quæ ſunt agenda provi-

providet, ità ut nîl ferme possit excogitari, cui provisum non rectè videas.

Cùm igitur Senatores jus referendi non habeant, si aliquis de eorum numero è Republica esse opinetur, ut referri oporteat, quod ipse cogitat, debet cum ijs, qui referendi jus habent, rem totam communicare; cùm, ut diximus, nîl ferri ad Senatum possit, quod non fuerit inter Sapientes, cæterosque de Collegio præconsultatum; adeoque tanta est inter Senatum & Collegium connexio, mutuaque dependentia, ut unum proponere, alterum decernere, & rursum Collegium Senatui in exequendo parere summâ concordiâ videantur.

Ex his verò, quæ sigillatim de Magistratibus singulis disseremus, patebunt etiam ipsamet Collegii initia; nunc autem de Senatu seu Rogatorum Concilio pauca dicenda sunt; hoc autem maxima etiam complectitur Majestatis jura, cùm gravissima quæque Reipublicæ negotia decernat; hinc pacis & belli deliberationes ad Senatum pertinent, ùt induciarum & fœderum; de rationibus quoque comparandæ pecuniæ ad Civitatis usum, in Senatu agitur. Sed & Leges feruntur, cùm nempè referente Collegio, à quô primum fuerint approbatæ, Senatus laudat; primùm namque Magistratus, cujus interest Legem ferri, Collegium debet adire, ejusque utilitatem aut necessitatem ostendere, quæ si à Collegio non rejiciatur, & in Senatu referatur, nec Senatus improbaverit, decernitur, & præconis voce promulgatur, tumque sancita intelligitur, & omnes obligat, quanquàm ut Legi major auctoritas accedat, in majoribus quoque Comitiis nonnullæ sanciri videantur. Senatus prætereà Sapientes eligit, cùm à Continenti, tùm à Mari, ut infrà; Ducem etiam seu Classis Præfectum constituit, si bellum immineat Navale, & Legatum, si in Continente gerendum sit; Consiliarios etiam, atque Censores partim Senatus eligit, partim Magnum Concilium.

De Senatu, seù Rogatorum Concilio.

Constat autem ex 120. Viris. 60. nempè ab ejus initiis, totidemque aliis, qui variis temporibus adjuncti fuère, nam Laurentio Celso Duce cùm Creta Insula defecisset, 25. adjuncti sunt; posteà totidem alij, cùm ageretur de ineunda pace cum Ludovico Pannoniæ Rege, Joanne Delphino Duce; ac deniqùe ad hunc numerum crevit Duce Francisco Foscaro propter bellum, quod Lombardiæ gestum est; Ex una tamen Familia nequeunt esse plures tribus, quoad *Veteres*; inter *Adjunctos* verò, duo, & aliquando tres; cùm scilicèt duo sunt inter

Anno. 1363. *A. 1360.* *A. 1410.*

Veteres; Nullum autem diſcrimen eſt inter *Adjunctos*, atque *Ordinarios* quoad ſuffragia, ſed duntaxat nominatenùs & honoris ſpecie; præter hos autem alij Senatum adeunt absque ſuffragio, nec propterea aliam præſtant operam, niſi negotia audiendo, ſeque ipſos informando, ut *ejus Sapientiſſimi ſint Conſeſſûs Spectatores, antequàm Conſortes*; præterea Senatum adeunt nonnulli Magiſtratus & Concilia, ùt Dux ipſe: tres Conſiliarij, quos inferiores dicunt: duo Cenſores, qui ſuffragia ferunt, poſtquàm Magiſtratu functi ſunt: Tres Viri, qui præſunt actis per Caſtaldiones, hi enim adhuc poſt exercitam jurisdictionem jus ſuffragij obtinent ad tempus. Tres Viri publicorum Vectigalium Cuſtodes. Tres rei frumentariæ Præfecti: Tres Urbani Quæſtores: Totidem veteribus rationibus inſpiciendis Præfecti; totidemque recentioribus. Quatuor Sali procurando deſtinati: Tres Ædiles viarum: Tres rei nauticæ Præfecti: tres Quæſtoribus, tresque Magiſtratibus 10. Præpoſiti: Tres Fiſci recuperatores, omnesque cum jure ſuffragii. Qui autem ea non ferunt, præter Collegium Sapientum, Decemqueviratum Sapientum, Triumviri ſunt aquis cuſtodiendis: Valetudini tuendæ totidem, ut & Vectigalibus: Tres Viri mercibus ex Alexandria Præpoſiti: Ex Damaſco 12.; totidemque ex Londino. Sunt etiam alij qui difficillimis Reipublicæ temporibus ſuo Cenſu Ærarium ſublevantes adhuc aditum in Senatum acquirunt absque ſuffragij jure, quem non amittunt, donec pecunia fuerit reſtituta; hoc autem juniores præcipuè appetunt, ut maturè prudentiam & rerum gerendarum Uſum ſibi comparare queant. Atque ſic ex 300. ferme Viris Senatum conflari videmus, & ſi Romano Senatui velimus comparare; *Ordinarij* à Romulo Senatores electos repræſentant, *Adjuncti* autem *Conſcriptos* è Sabinis; cæteri autem, qui nulla ſuffragia ferunt, *Pedarios*. vulgò Venetijs primos appellant *Pregadi*, quoniam primis temporibus rogabantur, ut accederent ad conſulendum de rebus publicis; alios autem Adjunctos *Pregadi ſtraordinarij*; cæteros, *Sottopregadi*. Convocatur autem à Collegio quotiescunque placuerit; ſed Magiſtratibus etiam & Advocatoribus dari ſolet; cùm nempè aut hi de negotio quopiam referre cupiunt, aut illi Legem aliquam ſanciri curant, & cum Campanæ ſonitu id ſignificatur; tum præcones, ſeù Viatores accerſunt. Nihil autem deliberari omninò permittitur niſi ſaltèm 4. Conſiliarij adſint in Senatu; exque alijs cum jure ſuffragij 50.; Cumque adeò excreviſſe numerus Senatorum videatur, id tamen nun-

nunquàm fatis admiramur, quòd adeò Secreta custodiant omnes, ut maxima quæque pacis & belli negotia omni fermè tempore à diligentissimis etiam Legatis nunquàm fuerint perscrutata, & solummodò post exitum rescita; Quis enim maximam hanc Virtutem atque in rebus agendis unicè necessariam in Republica Veneta non suspiciet? cùm non dicam unum, sed neminem audisse crederes, quod tam multorum auribus committitur, & ut exemplum aliquod proferatur, Anno 1485. fœdus inivit cum Pontifice, Imperatore, Regibus Castiliæ, atque Neapolis, Mediolani Duce, & Mantuæ Marchione adversùs Galliæ Regem Carolum VIII., ejus Oratore Philippo Comineo Venetijs agente; Is autem, quanquàm sagacissimus, ut scripta ejus testantur, videretque quotidie cæteros Principum Legatos Collegium adire, nunquàm potuit *abditos Reipublicæ sensus, quodq; occultiùs parabat*, assequi, donec initum fœdus Dux ipse Augustinus Barbaricus pronunciavit. Et Ludovicus Sfortia, Vir, quem nedum *negotijs parem*, sed *suprà* dixisses, quanquàm dominandi cupiditate corruptus, sancitum cum Rege Ludovico XII. fœdus nunquam potuit penetrare, nisì postquàm fuit promulgatum. Quid autem cùm Parentes & Filij vicissim aut hos, aut illos damnatos noscerent, & nec eos monerent. Non negaverim tamen, metum quoque legibus injectum esse, ac veluti ademptum *per Inquisitiones*, & loquendi, audiendique Commercium.

Senatores autem Annui sunt, atque eâ suffragandi ratione, quam diximus, in Comitiis creantur; Ordinarij nempè singulis diebus sex, ineuntque Magistratum Kalendis Octobris; *Adjuncti* verò unô duntaxat tempore tùm in Comitijs, tùm in Senatu creari solent tertiô Kalendas Octobris, die Beato Michaëli Archangelo Sacrâ; tunc enim in Senatu priûs quicunque suffragij jure potiuntur nominant, quem volunt, nominaque scriptis mandantur. Coguntur verò die sequenti Comitia, descriptaque nomina, postquàm fuerint à quopiam à Secretis recitata, conjiciuntur in Urnam, sorteque ducuntur, ut suffragia pro ijs excipiantur; qui autem mediam suffragiorum partem superârit, Senatui adjungendus est. Magistratus verô, qui à Senatu eliguntur, ut diximus, nihil debent sorti, cùm quilibet Senatorum nominare, quem velit, videatur, proque eo itur in suffragia, cuique ultrà dimidiam suffragiorum pars obtigerit, assequitur Magistratum. Quòd si munera plurimum Oneris habeant & im-

pendij, tunc nè aut odiô aut invidiæ locus detur, sors simul locum habet, in parvis namque chyrographis Senatores eorum nomina describunt, quibus è Republ. credunt munus obeundum, conjectisque in Urnam coram Præfectis Decem Virûm collocatam, eos sigillatim Scribarum primus educit, recitatque & pro illis suffragia excipiuntur. Præfectus quidem Classi licèt à Senatu nuncupetur, in Comitijs tamen suffragia debet experiri. Quare Competitores à 4. Electorum Ordinibus designantur, & qui plura suffragia obtinet, dummodò non sint infrà dimidiam, eam potestatem assequetur.

De Septemviratu, vulgo, la Signoria.

Nunc ad Septem Viratum veniamus, Ducem nempe cum 6. Consiliarijs; Dux autem diversô eligitur modô; postquàm enim Populi acclamationibus deligi cessatum, secutâ Vitalis Michaëlij Cæde, primus Sebastianus Zianus ab undecim Electotibus est creatus, & Electorum numerus post illum ad 40. devenit, procedentibusque temporibus unus additus est; itaque post Marinum Maurocenum usque ad hæc tempora servatum. Cuncti igitur Patricij, qui tricesimum Ætatis Annum excesserunt, Comitijs adesse possunt, eaque, alterâ die post defunctum Ducem celebrantur; & postquàm coivêre, Magnus Cancellarius admonet, creari Ducem oportere, sed antea Correctores quinque, tresque Inquisitores eligendos esse; Cumque statim obitu secutô Ducarium adeant 6. Consiliarij, tresque Viri 40. Virali Collegio Præfecti, inter Consiliarios ætate major Ducis Vices gerit, cæteri Gubernatorum nomine potiuntur, nec egredi è Ducario licèt ante novi Ducis creationem; adeò ut nec sentire Civitas videatur Principis obitum, & præter justitium, potiùs propter curam eligendi Ducis quàm aliâ de causâ, nulla rerum mutatio contingit. Pro Dux igitur brevi habitâ Concione in defuncti laudes, omnes hortatur, ut in novo Principe eligendo suo muneri quisque satisfaciat, & Remp. præ Oculis habeat; recitantur inde Leges pro ijs, quæ in Electione servari oportet, sancitæ; posteaque Correctores, Inquisitoresque eâdem, quâ cæteri Magistratus, ratione creantur; hi autem gesta defuncti Ducis universâ ad trutinam revocant, proque ijs, quæ non ad præscriptum Legum admisit, hæredibus etiam mulctam pecuniariam indicunt, atque ità novo Duci *velut è prospectu exhibetur utilissimus idem ac brevissimus bonarum, malarumq; rerum delectus; cùm quid in alio damnatur, quidq; famâ dignum, agnoscat.* Agitatur autem judicium in Comitijs, aut in 40. Virûm Collegio, & nec damnatorum Ducum exempla desunt,

De Ducis Electione.

ſunt, quanquàm integerrimi fuiſſent, ut Lauredano Duci accidit, cujus hæredes mulctam pendere 1500. aureorum fuere coacti, quod faſtigium illud, minùs quàm par erat pro dignitate Reipublicæ ſuſtinuerit; Ac licèt Lex aliquid ex iniquo habere videatur, eſt tamen *magnum Exemplum*, & propterea *iniquitas ipsâ utilitate publicâ rependitur.* Sed Correctores notant etiam, quæ emendari fas eſt, & an lege aliquâ ſit opus, quâ Reipubl. in futurum conſulatur; referuntque in Comitiis, ut ſuffragia excipiantur. Quibus peractis Concilium rurſum congregatur, ad quod, ut dixi, cuncti trigeſimô exactô Annô admittuntur, clauſiſque januis poſtquàm fuêre omnes numerati, in Urnam globuli tot injiciuntur, quot ſunt Patriciorum numeratorum Capita; 30. tamen ſunt deaurati, cæteri verò argentei; tumque è Conſiliariis minimus pergit ad Divi Marci, & poſtquàm ad Aram maximam ſtetit orans, puerum adducit meliùs viſum, ut ſortes educat, qui poſtmodùm ante Ducem in ſupplicationibus pergit, eâque Curâ èducatur, ut cùm ad legitimam ætatem devenerit, eorum Albo, qui ſunt à Secretis, inſcribatur; Stat igitur coram Conſiliariis, Præfectiſque 40. Virûm, è quibus unus cùm Præfectus, tùm Conſiliarius pro Urna ſedere debent, & ſortitò deſignantur, ut quoque Ordines, & ex eo, qui primus ſorte eductus fuerit Patricius in Capite ſedens aſcendit, ad Urnam properat; puerque Vice ejus depromit globulum; & ſi fuerit argenteus, in Urnam alteram inferiorem demittit, Patriciuſque, pro quô ſortitio ſecuta eſt, diſcedit è Comitiis; ſi autem erit de auratis, cùm omnes ſint notis inſculpti, Conſiliario præbetur, ut notam poſſit inſpicere, ſtatimque Patricij nomen à Magno Cancellario profertur, duoque à Secretis eum deducunt ad Cubiculum extrà Conclave; Cæteri autem ejuſdem Familiæ atque arctiori nexu Conjuncti à ſortitione excluduntur; Vocantur igitur ad Suggeſtum, numeranturque, ut globuli totidem argentei ex Urna tollantur; atque ità Comitiis abeunt, eodemque modô pergitur, donec 30. illos auratos globulos puer eduxerit; Tunc autem dimittitur Concilium, trigintaque electì è Cubiculo redeunt antè 40 Virûm Præfectos, Præſides & Conſiliarios, fitque alia Sortitio, novem namque aurati globuli, & 21. argentei in Urnam conjiciuntur, fitque etiam ſortitio ſubſelliorum, ùt à quo & undè ſit inchoandùm, ſorte quoque dirimatur. Singuli ad Urnam accedunt, & ſigillatim puer globulos educit, donec 9. aurei exiverint; diſcedunt

dunt autem forte exclusi, & 9. Viri reliqui ad Cubiculum revertuntur, ex quo Consiliarios ipsos, Præsidesque 40. Virûm in aliud deducúntur, ubi clausi manere debent, donec ab ijs fuerint electi è 40. Familijs omninò diversis 40. Viri, & Sacramento obligantur. Sortitò autem quis primus, quis postmodùm, & sic deinceps debeat nominare, dignoscitur, proque ijs, qui fuerint nominati, suffragia excipiuntur; quorum 7. oportet obtinere, ut in 40. Virûm numero censeri possint; Itâ igitur Electione peracta, Consiliariis res defertur, qui vel eodem die, si hora non prohibeantur, vel sequenti, majora Comitia debent advocare; Cumq; fuerint congregata, statim Magnus Cancellarius cum duobus aliis à Secretis, à 9. Viris in Cubiculo adhuc manentibus Syngrapham petit, ubi nomina 40. Virûm continentur, quæ postmodùm in Comitiis profert, omnesque prout sunt nominati, Tribunal adeunt, & è Comitiis in aliud Conclave abeunt. Quôd si aliquis fuerit absens, è Consiliariis unus, alterque è Præfectis 40. Virûm tenentur conquirere, atque in Comitia secum ferre, nè cum aliis colloquatur; dimissis postmodùm Comitiis, 40. Viri se sistunt ante Consiliarios, & Præfectos Collegij Capitalis 40. Virûm, assidentque in duobus subselliis, quæ sunt intermedia. Ad Urnam autem injiciuntur globuli argentei 32., aureique bis seni, ijque quorum nomine puer eduxerit argenteos (omnes enim ad Urnam accedunt Ordine, quô per sortes accepêre) discedunt è Comitiis; Alij 12. quibus aurei exivêre, in Cubiculum quoddam per Consiliarios Sociosque deducti, & jurejurando adstricti, occlusis januis, 25. Viros eligere tenentur ex totidem diversis Familiis, quorum quilibet 9. debet obtinere suffragia, cumque fuerint creati, & Consiliariis, Sociisque res indicata, statim Comitia indicuntur, vel die sequenti, si tempus non ferat. In ijs autem Magnus Cancellarius nomina profert, & ad Suggestum accedunt, atque è Comitiis in alterum Conclave dimittuntur, sicut de 40. Viris dictum est. Dimissis Comitiis, redeunt ante Consiliarios, & Præsides 40. Virûm, cumque assederint, sortitò etiam ad Urnam accedunt, ubi 9. aurei globuli, 16. argentei sunt injecti; quibus autem aurei devenerunt, rursum ut alij in Cubiculo conclusi, juratique ex diversis totidem Familiis 40. Viros, nec minùs septenis suffragiis eligunt. Comitia, ut suprà statim advocantur, prolatisque nominibus, Concilium solvitur, remanentque tum qui præsunt, tum Electi, atque ad Consiliarios, Præfectosque 40. Virûm

rûm accedunt, forteque ad Urnam pergunt, in quam aurei globuli 11. argenteique 4. suprà 30. sunt conjecti, ijque, quorum nomine aurei educuntur, eodem modô ut cæteri inclusi, juratique, 40. Viros & unum, 9. saltèm suffragijs eligunt, qui tandem Ducis sunt Electores. Postquàm igitur in Comitiis nomina sunt audita, pergunt in Conclave sibi assignatum, solemnique juramento se obstringunt, nullô aliô quàm Reipubl. studio Ducem electuros, & ut maximè decet, à Sacris fit initium ad implorandum Sancti Spiritûs auxilium; posteà soli se occludunt, & primò 3. Viros *Priores* nuncupatos ex Senioribus, duosque â Secretis è junioribus constituunt; Priores autem sedent antè mensam quandam, ubi sunt bini loculi simul cohærentes, inque unum conjecti sunt globuli 41. eâdem notâ insculpti, cæteri sedent ex arbitrio. Bini autem à Secretis chyrographa circumplicata totidem conficiunt, cumque exprom ptis globulis distribuunt, ordineque singuli vocantur antè *Priores*, ut chyrographos deponant in mensa, postquàm scripsére nomen ejus, quem in Ducem vellent; Ea verò nomina ex chyrographis bini à Secretis excipiunt, adnotantque suffragantium numerum; postmodum in Urnam conjiciunt, ut sortitò educantur, sique uni ex Electoribus sors prma contingat, statim exit, atque in 40. Virûm Aula clauditur, cæteriq; singuli facultatem habent accusandi hominem, & Causas allegandi, cur eô Magistratu indignum judicent, duoque illi à Secretis omnia scriptis consignant; posteaque advocatur, ut quæ dicta sunt, audiat, seque purget; idque reiterari toties potest, quoties accusator non deest, nec ipse se tueri negligat. Tandem suffragia excipiuntur, & Præsidum Triumvirûm Senior ea numerat, propitia nempè atque adversantia in utroque loculo. Quòd si aliquis 25. propitia nactus fuerit, Dux jam erit; Et propterea donec ad hunc numerum non deveniatur, Electores clausi manent, & nominationes, suffragationesque iterant. Aliquando tamen Dux est renunciatus, postquàm Competitores suffragia subiêre, undè qui majora obtinet suffragia, quanquàm sorte posterior, etiam si 25. habita fuerint, Dux renunciatur. Ea autem videtur esse hujus instituti ratio, ut nec ullis artibus detur locus, & Familiarum omnium ratio haberi videatur. Consiliarij verò semper ei adsunt, sineque illis nîl prorsûs agere potis est. Hi Tribunorum locô successisse videntur & propterea è singulis Tribubus, & ex honestioribus Patricijs summâ diligen-

ligentiâ eliguntur. Quanquàm autem in majoribus Comitijs renuncientur, à Senatu tamen ex Tribubus singulis unus legitur, posteaq; in Comitijs à 4. Electorum Ordinibus, ut suprà per Competitores designantur, & unicuique Senatum adeunti cum jure suffragij à quodam à Secretis debet patefieri, postquè videntur in alterum Conclave ubi Senatus cogitur transire & Dux adest cum Consiliariis, Præfectisque 40. Virûm; Tribusque sortiuntur, ut Ordine in Electione procedant; tumque singuli nominant eos, quos libet. Qui autem nominantur, singuli ex Ordine suffragia subeunt, & qui plura, quàm dimidia assequitur, remanet Competitor; tum Senatores cum Duce pergunt ad Comitia, ut suffragia excipiantur pro Competitoribus; quòd si unus tantùm fuerit tùm in Comitiis tùm in Senatu Competitor nominatus, pro eo quoque itur in suffragia, cum secum met competere videatur. Hi autem quolibet mânè soli conveniunt, ut privatos audiant, aut Magistratus, qui de jurisdictione contendunt, usque ad tertiam. Dein cum Duce ac Sapientibus Sacrum audiunt, posteaque in Aula consueta cuncti de rebus publicis agunt, audiuntque Legatos Principum, & cætera peragunt Reipubl. negotia; nîl ergò Dux perficit, nisì saltèm adsint 4. Consiliarij. Quòd si fortè Dux sit impeditus, ipsi tamen nihil intermittunt negotiorum: referuntque ad Comitia, atque ad Senatum, Collegiumque Decemvirûm. Sapientibus tamen, quibus datur ad Senatum referendi facultas, atque ad Decemvirûm Præfectos, ad Comitia referre prohibetur; Consiliarijs autem, etiam uni, cæteris dissentientibus, licèt ubicunque referre, præterquàm ad Concilium Decemvirûm, ad quod nisì tres consentiant, ità ut 4. simul conveniant, referre non licèt. Quolibet autem tempore novem sunt Consiliarij, quorum seni Duci perpetuò assident, tres alij 40. Virûm Collegio Capitali, & dicuntur inferiores. Omnes autem 4. Menses tenentur impendere in eodem Collegio, & octo alios cum Duce, licèt in optione sit eorundem vel primis mensibus, vel posteà aut binis primùm, posteaque reliquis interesse 40 Virûm Collegio, adeoque quicunque superior Consiliarius est, aut inferior fuit, aut esse debuit; cum ijs autem sedènt Præfecti 40. Virûm, quorum munus bimestre est; Quare vicissitudo quædam. Hoc autem ideò servari videtur, quoniam ante Ducem Marcum Cornelium Dux etiam & Consiliarij Judiciis 40. Viralibus aderant. Ille autem ut Reipubl.
A. 1365. negotiis meliùs cum Consiliarijs vacaret, tribus alijs Consiliariis eam

curam

Curam reliquit; ut verò ſimul communicare videantur, tres Præfecti 40 Virûm cum Duce atque Conſiliarijs Rempubl. curant, tresque Conſiliarij Judiciis 40. Virûm interveniunt. Dux autem in quolibet Collegio cum ſuis Conſiliariis, & cum facultate referendi ad ſingula intervenit; quare omnia aguntur præſente ipſo, cùm ſolus nullam habeat poteſtatem; Externa tamen Majeſtas ſpecietenus omnis relicta eſt, penſioque aſſignata Aureorum 500. ſupra tres mille; quater tamen in anno tenetur Convivia celebrare, & die Divo Stephano Sacra præter Conſiliarios, Præfectosque 40. Virûm., Advocatores, atque Decemvirûm Præfectos, Patricios accerſit Seniores; Divo Marco, ætatis mediæ: Diebus autem Aſcenſionis & Sancti Viti, cæteros, ordine quoque & gradu ſervatis, ità ut nemo eorum ſit expers; unicuique verò à Duce ipſo munus aliquod impertitur. Conſuevêre etiam prioribus temporibus ſingulis quinque Anates marinas offerre; nunc autem monetam quandam præbent, in quâ Divi Marci Vexillum, atque effigies Ducis impreſſa ſunt; ex altera nomen inſcriptum, & Adminiſtrationis annus. Sed interdum improviſi Magiſtratibus Duces adſunt, & juſtitiæ commonent; eumque adeunt, qui de Magiſtratibus conqueruntur, qui propterea imperat, ut jus ipſis reddatur. Filij itaque & Fratres Ducum cunctis præcipuis Reipubl. muneribus excluduntur, ità ut nec Conſiliarij, nec Decemviri, Præfectique 40. Virûm, Advocatores, multò minùs Legati Copiarum terreſtrium, aut Præfecti Claſſis eſſe queunt, viſique etiam ſunt Beneficiis, quibus Romana Curia poſt electionem augere voluerat, reſignare; Senatus namque præter Cardinalis dignitatem cæteris Beneficiis ditari non patitur. Tenetur electus dignitatem illam ſubire neceſſariò, nec ei permittitur, Urbis pomærium egredi, niſi Conſiliarij aſſentiantur; Videtur igitur *Rex* in purpura: *Senator* in Curia: in Urbe *captivus*; primùm quidem renunciare poterant ei muneri, ut Joannes & Urſus Participatij, Petrus Orſeolus, alijque; ſed his temporibus vetitum; cùm enim Civitatis ſint Filij, nequeunt eam deſerere, quotiescunque utiles eſſe poſſunt, nec *Rempubl.* poſſunt derelinquere privati, ſed *Reſpubl.* illos; Hinc ſtantes oportet mori; Dux autem ipſe Concilio Decemvirûm ſubjacet, ſicut Lacedæmoniorum Reges Ephoris; Et quanquàm inter eos Reges atque Duces Venetorum multa comunia videantur, illud tamen intercedit, quòd illi ſummam in bellis poteſtatem obtinebant, hi nullam; Oratoribus fœderatorum atque hoſtium illi pro arbitrio re-

sponsa dabant; Leges quandoque abrogabant, & novas condebant: hi nihil horum. Sed si Reipublicæ expediat, alia etiam munera subeunt, & visi sunt Præfecti Classium sæpè designari.

De Collegio Decemvirûm.

Sed de his longiùs agere instituti ratio non patitur, cùm duntaxat Administratio atque regimen adumbretur, ut forma Civitatis probè dignosci queat. Descendo igitur ad Collegium Decemvirûm, quod magna ex parte cum Ephoris Lacedæmoniorum, tum Dictatoriæ potestati convenire videtur; huic autem Bajamontana Conjuratio originem dedit; atque licèt ad tempus institutum, visum tamen postmodùm est, perpetuum reddere; fuit igitur Magistratus extrà Ordinem, & propterea à Corpore disjunctum; ad illud tamen concinnandum, suamque tuendam Valetudinem perquam aptissimum, unde velut fulcrum est, cui Salus Reipubl. innititur; quanquàm verò sub initiis non ea esset suprema authoritas, quam nunc agnoscimus obtinuisse, & nec de Capitalibus Judiciis ageret, cùm duntaxat ad detegendos conjurationis participes potestas fuisset collata, eamque propterea in hujusmodi casibus retineret; procedentibus tamen temporibus tantum attraxit potestatis, quantum Senatus ipse & Civitas universa; in maximis namque Reipubl. negotiis, ubi occultè admodùm citissimeque procedendum est, ne aliquis sit cunctationi locus, aut ubi perniciosior est quies, quàm temeritas, aut ubi nequit Consilium laudari nisì peractum; Concilium ipsum deliberat absque eo, quod in Collegio priùs discussio fiat, & in Senatu postmodùm deliberatio; Sic visa sunt quandoque repentè percussa fœdera, compositæque paces; Sed cùm deliberatio capienda est, præter ipsum Concilium, Ducem & Consiliarios, 15. Viri adesse solent, quos Adjunctos dicunt, Triumviri Advocatores, novemque Procuratores; sed omnes appellatione Concilij Decemvirûm complectuntur. Patricij autem eliguntur in Comitiis ut cæteri, cautumque Lege est, nè liceat Magistratu abire, antequam Successores sint designati; munus autem est annuum, sed singulis mensibus sortitò Præfecti, quos Capita dicunt Decemvirûm, creantur; quorum unûs singulis hebdomadibus præfectus est, & in majoribus Comitiis in conspectu sedet, & ex adverso Ducis; Triumviri autem Concilium ipsum indicunt, & referre valent; non tamen soli, sed aut omnes, aut bini, & octavo quoque die Concilium convocatur. Nunc licèt potissimùm Authoritas circà crimina versetur, cùm reformatio aliqua secuta fuerit An. 1581, & 1628.; attamen ultrà

ultrà Status Crimina, repetundarum quoque, monetæ, proditorias cædes Patriciorum, Sacrilegia, & aliquando hæresum, ac præposteræ Veneris delicta ad se traxisse visum est. Rei autem nec verba ad Concilium facere permittuntur, nec adhibere Patronos; sed ante Præfectos sisti oportet, & quidquid dicunt, qui sunt à Secretis excipiunt, Collegioque referunt, postquàm inter se Triumviri ipsi sunt collocuti, adeoque ipsimet accusatores sunt apud Collegium, è quo unus suscipere eorum partes solet, alioquin nulla esset defensionis spes; & nulla à Decemviris provocatio datur; hinc quanquàm grave videatur Civitati, attamen, quàm sit tranquillitati publicæ & Status conservationi necessarium, qui sapit, nemo non videt; nec iniquitatis sunt arguenda exempla, quæ ab eo Collegio prodiêre, quoniam utilitate publica rependuntur. Quis enim pulcherrimam eam Civitatis formam stare crederet sinè metu? & si Ordinariis Magistratibus ea Crimina relicta essent, idemque judiciorum ordo servaretur, nunquam quies publica in tuto versari posset; quod intelligentibus mores hominum & naturam, motusque Rerum publicarum satìs liquet; quamvìs id etiam laudis jure optimo Veneti sibi vindicare videantur, quod moderatô ingenio atque ad tranquillitatem & pacem compositô, Civilique Sapientiæ aptissimo esse, satìs superque comprobarint; eâdem enim positâ formâ, ijsdemque Magistratibus, & Regiminis ratione apud Florentinos, erecto, atque subtili nimis ingenio homines, exempli causâ, quis nec Decennio pacem colere aptos fuisse non agnoscet? Hinc discordantis Patriæ nullum aliud remedium erat, nisì quòd ab uno regeretur; & profectò non aliter possent innumeræ fermè aliæ Nationes regi, nec enim pax unquam esset, nec Nobiles ac Populus in Ordinem unquam redigerentur, nisì unus imperitaret; hinc defuncto apud Persas Cambyse, suppliciοque de Magis sumpto, qui Regnum dolô usurpârant, cùm esset agitatum de Regiminis forma in Septemvirûm Concilio, quos Satrapas Persæ nuncupabant, quanquam Othanes pro Democratia, & Megabyses pro Aristocratia respondere visi essent, Darij tamen consilium secutum est; objecit namque ante oculos seditiones, factionesque, & Civilia tandem bella, quæ utramque formam sequebantur; adeoque sub unius Imperio mansêre, ut apud Herodotum videre est; & cuique historiarum gnaro, qui fuerint Rerumpublicarum motus, qui finis, abundè perspectum est.

De Sapientibus cum Majoribus, tùm Continentis, & Ordinum.

Sapientes autem, quos *Majores* dicunt, sex Viri, quorum alter singulis hebdomadibus per Orbem præest, suntque veluti Senatus Præ-Consultores, & propterea Præfectus hebdomadis quæcunq; sunt Scriptis consignata, Collegio exhibet, à quo ad Senatum transeunt; simul tamen colloquuntur, resque ad trutinam revocant; quare eorum Sententiæ præcipui sunt ponderis, licèt Senatoribus cæteris contra differendi omnimoda sit potestas. Munus obeunt 6. Mensium spatio, nec in eâ dignitate statim possunt confirmari, licèt exacto alio semestri, iterum eligi queant; requiritur autem, ut 38. ætatis annum impleverint, & à Senatu eliguntur; his autem quotiescunque libet, eundem convocandi potestas est, ut Collegij Consiliariis, majora Comitia. Hi autem, quos *Continentis* vocant, annô primùm 1340., partô nempè agrô Tarvisiaco, creati fuêre, & quinque sunt Viri, quorum alterum appellant, *Savio alla Scrittura*, & incumbit Exercitus expeditioni, delectui, supplemento, aliisque; cumque Sociis omnia consultare tenetur, & ad Collegium referre. Ad eum quoque Provocatio à militibus fertur de Sententiis tùm Civilibus tùm Capitalibus, cumque in Urbe, tùm extrà latis. Alter autem curat militum solutiones, & aliorum, quibus Civitas tenetur, nec propterea quidquam persolvitur absque eo quod ipse scriptô mandârit. Cæteri autem nullo speciali munere funguntur, sed cuncta simul digerunt, & ut Collegio discussa negotia referantur, curant; sex quoque mensibus Curationem absolvunt, & à Senatu ùt dictum est, eliguntur. Cæteri quinque Viri *Sapientes* dicuntur *Ordinibus*, de quibus, cùm de Collegio verba fecimus, pauca tetigisse sufficiat, cùm potiùs exercitationis Junioribus, qui ad eam Curationem admittuntur, opportunitatem præbere munus videatur, quàm quòd magno sit Reipubl. usui; undè Contarenus: *Nostrorum*, inquit, *studijs ad Continentis Imperium conversis, cæpit hic Magistratus, haud in magno pretio haberi*; Tempore verò atque electione cum cæteris conveniunt. Quanquàm autem prima Origo ignoretur facilè est conjicere, ut eos *Continentis*, ità hos, auctâ Rep. & rebus maritimis, creatos esse, omnesque simul Collegium, de quo jam diximus, composuisse.

De Collegiis Quadra-

Collegia verò 40. Viralia tria sunt, Civile nempe vetus, ad quod provocatio defertur ab inferioribus Urbis Magistratibus: Novum, quod appellationes cognoscit Magistratuum subditarum Urbium; & Capitale, quod merum explicat Imperium; agnoscit nempè

omnia

ginta Viralibus.

omnia Crimina præter ea, quæ Concilium Decemvirûm usurpavit; De novo autem ad Vetus, & de illo ad Capitale fit transitus; provocationes verò non feruntur, nisì Tres Viri, quos *Auditores antiquos* appellant, pro vetere Collegio comprobaverint, ut pro novo, Triumviri etiam, quos appellant *recentes*; quibus, statis temporibus, Ditionem quoque peragrare facultas est, ut quomodò à Magistratibus jus dicatur, advertant, deque Sententiis latis agnoscant, si partes provocârint, ut pauperibus consulatur, quibus adeundi regnatricem Urbem paupertas ipsa esset impedimento.

De Auditoribus antiquis, & novis.

Sunt prætereà *Triumviri Advocatores*, quibus præcipuè incumbit Legum observatio, undè videntur Tribunis Romanorum in aliquibus respondere; sunt proptereà Legum Conservatores, quoniam intercedere tenentur, cùm contrà Leges aliquid admitti videatur; Quarè in Collegio Capitali 40. Virûm Accusatoris Vice funguntur, undè eorum, quos Fisci Advocatos alibi nuncupare mos est, munus explent; & propterea Andreas Maurocenus *Tres Viros Capitales* nuncupavit, quoniam reos præcipuè persequuntur; dicuntur autem *Advocatores communes*, quasi omnium Advocati & Intercessores; hinc etiam seù in Majoribus Comitiis, seu in Rogatorum Concilio, ex ipsis saltèm unus adesse tenetur, aliter deliberari, sancirique nihil poterit.

De Triumviris Advocatoribus.

Cætera hujus Magistratus latè persequitur Contarenus; quare advertisse sufficiat eos aliquando præcipuas antiquasque Reipubl. Sanctiones in majoribus Comitiis proferre teneri, & Senatus Consulta, jussaque Majorum Comitiorum, cunctasque deliberationes publicas custodire, ut & Tabulas, in quibus Patriciæ Familiæ descriptæ sunt; eorumque etiam munus est nomina conscribere illorum, qui nascuntur & Parentum; adeoque dum ad majora Comitia admitti petunt, ijsque ut diximus, & ætatem & Parentes enunciant, statim cum suis Tabulis conferunt; sunt autem in munere 16. mensium spatio. Prætereà sunt bini Censores: Tres Syndici, quibus authoritas est in Magistratus inferiores apud Divi Marci & Rivum altum, eorumque propterea acta & sententias declarant irrita, jurisdictionemque exercent in Notarios, Procuratores & Scribas. Ipsi autem *Advocatoribus* respondere tenentur.

De Censoribus, & Syndicis.

Sex etiam sunt Viri, quos *Capitales nocturnos* vocant contra fures, incendiarios, aliosque scelestos homines, perlustrantque noctu cum Cohortibus, tres nempè Ducarium & finitima loca Divi Marci: tres alij Rivum altum

De Sexviris Nocturnis, Ædilibus,

&

alijsq; inferioribus Magistratibus. & Confinia. Sed de singulis agere Magistratibus inferioribus superfluum atque inane foret, & cuilibet Venetias adeunti sese offerunt; alios enim vocant Communis Provisores, Ædiles nempè; TresViri alij, quos dicunt antiquis rationibus: Tres quoque rationibus novis etiam, qui omnes Quæstoribus quodammodò respondent Romanorum, quorum munus erat, Principes, Legatosque hospitio excipere. Præterea Collegium est 10. *Sapientum*, suntque veluti *Censores bonorum*, & propterea dum Civitati pecunia opus est, Patriciis juxtà eorum facultates, quid persolvere singuli eô tempore soleant, præscribunt, quique solvere negligunt, inter *Ærarios* recensent, adimuntque jus suffragandi. Sunt etiam 4. *Viri*, quos dicunt *Giudici della Messettaria*; eâsque Tabulas custodiunt, quibus Contractus emptionum cùm Stabilium tum Navium etiam describuntur, & Notarij propterea ijsdem stipulationes significare tenentur. *Tresq; Viri*, quos *Judices* dicunt *Al forestiero*, jusque dicunt, ùt Prætor Peregrinus Romæ. Alij etiam *TresViri*, qui bona Vacantia inquirunt, eorumque pro Civitate possessionem capiunt: Suntque tres adhuc Viri redditnum publicorum moderatores, *Questores* nempe Ordinarij; Alterque *Triumvirorum* Magistratus *pro sumptibus corrigendis*: *Sali procurando* 4. ut dictum est; Sunt etiam *Ædiles Cereris Triumviri*, sub quibus tres alij sunt, quos dicunt *Proveditori alle Biade*, & bini frumento.

De Procuratoribus Divi Marci. Sed Procuratorum, quos vocant Divi Marci, eximia dignitas est, & cum Vita ipsa terminatur, primisque temporibus unus erat, qui sacram Ædem curabat, dein alter additus post Sebastiani Ziani Ducis obitum; cùm enim ei Templo plurimos legâsset fundos, fructusque mandâsset Pauperibus per Procuratorem erogari, alterum instituii visum fuit, ut id munus curaret; procedentibus inde temporibus, cùm legata indies multiplicari viderentur, tertius creatus est Duce Reinerio Zeno; hinc alter Templi res omnes procurabat, & sacras opes custodiebat; alter quæ ab ijs legara erant, qui citrà magnum Euripum degebant; Tertius ea, quæ ab incolis ultrà. Sed eodem quoque Duce duo additi sunt, pro rebus Templi curandis, & Joanne Superantio, ad eandem causam duo alij, & Francisco Foscaro, tres; undè novem fuêre, tresque rebus Templi & sacris opibus præpositi, alij tres legata in Regionibus & Tribubus citrà Euripum, & reliqui ultrà; sed Anno 1509., cùm Respubl. ingens detrimen-

mentem passa esset propter Cameracense fœdus, accepta clade ad Abduam, ut pecuniam compararet, honorem tribuere deliberavit ijs, qui certam pecuniarum quantitatem ad tempus Civitati concederent; adeoque ad 24. excrevit numerus, quòd secutis temporibus servatum est, aliique in alios ex his tribus Procuratoribus distributi fuêre. Ultrà autem Legatorum distributionem, hæredes quoque ad ultimis defunctorum voluntatibus parendum cogunt; Pupillos protegunt, atq; Orbos & Viduas, cæterosque pauperes, quibus legata distribuunt; cunctique Magistratus eisdem locò cedunt, nisì dum consident quisque pro suo munere, habentque Ædes ad habitandum, quas vocant *le Procuratie veccie, è nuove*, cum annuâ pensione aureorum 60. suntque universi Senatores; sed in Collegio Decemvirûm novem duntaxat numerantur, quos ex singulis Procurationibus ternos eligit. Magistratus verò cæteros assequi non datur, præter *maximorum Sapientum*, aut *Adjunctorum Decemvirali Collegio*, licèt ut Præfecti Classis aut Legati in Castris esse queant, Lex ad Senatum feratur. Majoribus Comitiis non intersunt, nisì de Principis Electione sit agendum, & primis temporibus, dum ea oportebat celebrari, ab Atrio Ducis, nisì dimissa essent, discedere nequibant, ut publicam tranquillitatem procurarent, et si quid mali in Comitiis accideret, averterent. Sed de his quoque cætera videri possunt apud Contarenum, aliosque rerum Venetarum Scriptores; Nobis enim propositum fuit, Magistratus ideò breviter delineare, ut Civitatis ordo faciliùs dignosci posset; hinc consultò Judiciorum Ordinem prætermisimus.

Nunc igitur formam ipsam, & quidem per ætates contemplemur; Quam autem sub initiis, sive primùm Consules, moxque Tribuni, sivè hi duntaxat eam regerent, animo poteris concipere præter Democraticam? Cùm jura Majestatis Concio explicaret universa, & ex monumentis satìs liqueat de rebus Commune tangentibus *Tribunos* nunc in una, nunc in altera convenisse Insula singulos ad deliberandum? At si cum Bodino dixeris, tot numerô fuisse Respublicas, quot Insulæ erant habitatæ, dic Sodes quæsò, quomodónam Bodinus ipse ostendat, jura Majestatis singulis Insulis adhæsisse, ità ut totidem Respublicas ad mutuam defensionem sociatas exhibuerit? Cùm autem *Tribuni* illi crearentur, ut solummodò jus dicerent

De forma Civitatis.

rent in Insulis , *facta verò Commune tangentia* simul consultarent, & si magni momenti essent , Insularum Concilium convocarent , & propterea altera semper erat Comitiis celebrandis designata, quænam est cujusque Insulæ suprema Potestas ? Si igitur eodem Imperio singulæ, ijsdemque legibus continebantur , sique postmodum cæteræ in Rivum altum cessere, ut propterea prima Urbis incunabula ab illa repetantur tanquam Caput rerum (quanquàm non liceat Comitiorum rationem exhibere, cùm obscura sint omnia, quomodò nempè fuerint convocata, quique ea regere debuerint, id est, an unus è majoribus Tribunis, aut aliô quopiam ordine) Reipubl. Unitas ex ipsomet Bodini doctrina omninô sequetur ; in sua namque methodo, quanquàm plures sint Civitates, si eodem Imperiô contineantur, unam effici Rempubl. docuit ; Quanquàm autem alij Æstuaria illa sub initiis nunc Græcorum Imperatorum nomine administrata, nunc Longobardorum , Gothorumque Regum suadere conati fuerint, & nunc maritimam Venetiarum Regionem cum Æstuariis confuderint ; nunc verò ipsa Æstuaria cum toto Continente, aut cum maritima Regione ; hæc nobis haud necesse visum est discutere, cùm abundè libertatem sub initiis tot Authores vindicaverint; ad firmandam tamen eam formam, quam sub initijs agnoscimus, id advertisse sufficiat, in stagna illa receptos suis Legibus vixisse , locorumque naturâ tutos, suaque tantùm cogitantes, & ab aliorum injuriis abstinentes, relictos in eâ pace, quam quærebant, fuisse; sive quòd eorum in ipso principio ratio habita non fuerit propter imbecillitatem, tenuemque statum; sivè quod postmodùm Potentiorum, & Augustorum præcipuè Majestatem devotè coluerint, ità ut eis nedum dominari noluerint, sed maximis beneficiis fuerint prosecuti ; imò inter Nicephorum Orientis Imperatorem, atque Carolum Magnum tunc primùm Occidentis Augustum sancita pace , Civitatis libertatem utrique firmarunt ; Ut enim Imperium ac Dominationem passos fuisse affirmetur, non ea Cassiodori loca , & Epistola 24. postremi libri , aliaque in medium adducta sufficere queunt ; cùm, ut diximus, necesse sit ostendere, Leges Insulanos ab aliis accepisse, eisque aliorum nomine jus dictum fuisse, atque ex aliorum nutu moderatos, ut sub initiis nullam fuisse Civitatis formam concludatur; nec enim libertatem destruunt aut amicitia , Societasque, aut fœdus ; sed nec ipsa Majestatis Potentiorum observatio ; & nec etiam

satis

fatis eft, ufurpari Dominationem â Potentioribus finitimis fpecietenus; fed utrùm vis ipfa Dominationis fuerit explicata: utrùm Leges datæ: Magiftratus conftituti: & jure Imperij cætera Majeftatis jura exercita fuerint, dignofcendùm; quod nunquam in iis Æftuariis contigiffe Authores rerum Venetarum demonftrarunt; imò vetuftiffima Civitatis monumenta diverfum omninò evincunt; & nîl prohibet, totam illam maritimam Regionem fubditam fuiffe, cùm de libertate viventium in Æftuariis, feu Stagnis illis agatur, quæ loca fermè derelicta videbantur, & proptereà jure poterant etiam occupari. Quid enim vetat, eos Ordine fuô Sociatos, fuisque Legibus, receptisque moribus & Societatis Ordinem paulatim firmantes, & privata moderantes, relictosque in ea vivendi forma, quam fibi conftituerant, Civitatem condidiffe? cùm aliud non fit, quàm *plurium Vicinitatum Communitas, orta & conftituta vivendi caufa, permanensque bene vivendi causâ*; cumque parendi & imperandi ratio fuerit inftituta, quis Ordinem profectò non agnofcet Civitatis? Si igitur is erat, ut *Tribuni* omnes five majores duntaxat, fivè cum minoribus, cæterisque Tribunitiis Uiris *nomine Populi*, à quo poteftas accepta erat, & Magiftratus, de Rebus publicis confultaturi in unum convenirent profectò locum; fique in rebus maximis Infularum Concilium convocabant, & locus his Comitiis erat defignatus (nunc enim Heracleæ, nunc alibi conveniffe liquet, donec tandem in Rivum altum translata fedes fuerit Majeftatis) quis eum Ordinem Democraticum non fuiffe contendet?

Cùm autem *Duces* creari cœpere, aut *Magiftri militum*, qui Tribunis præerant, nec Democratica forma defijt, ut Bodino alijsque vifum eft contradicendi ftudio; nec enim Infularum Populus eâ poteftate fe abdicavit, nec illi abfolutè fuoque nomine explicârunt; ex quo vel cùm abuti vifi funt, vel cum detrimentum Refpubl. paffa eft eorum causâ, malè à populo mulctati; & alij in exilium acti: alij etiam neci dati; quod caufam dedit Legibus Comitiorum fanciendis; ut & Duces certo quodam Ordine eligi, & nec rerum eventa eorum culpæ adfcribi poffent. Fateor quidem alteratam eam Reipubl. formam fub Ducibus fuiffe, cùm poteftatem ad fe trahere niterentur, ità ut etiam Socios adfcifcerent, & proptereà Dominatum exferere cuperent; nunquàm tamen Populus jus fuum deferuit, & frequentiffimè explicavit adeò, ut eam formam interijffe, fecutamque

F

que Monarchicam afferere, abfurdum omninò videatur; aliud enim eft inclinare ad ftatum alterum, manente eadem formâ, quæ propterea remittitur; aliud eam prorsùs deftrui; manebat namque Lex ipfa & finis, quibus in Ducem confenferat Populus, ut nempe æquô moderamine Populum regeret, jusque & poteftatem haberet in publicis caufis *Concionem* advocandi, *Tribunosq;*, & *Judices* conftituendi; quemnam igitur Sodes Regium ftatum aut unius Dominationem affirmare licebit? cùm ex hiftoria ipfa Venetarum rerum, præcipua cum Concilio, & ad Concionis arbitrium Duces egiffe evincamur? Cumque ex his exempla perplurima Nicolaus Craffus in notis ad Jannotium collegiffet, confultò prætermittimus.

Eam autem, quam ufurpare nitebantur Authoritatem, multifariam Veneti circumfcripsêre, Magiftratibus nonnullis inftitutis, & præcipuè ab eo tempore, quô 6. Confiliarios eligi fancitum fuit, qui Duci affiderent; procedentibusque temporibus tot alij Magiftratus fuêre conftituti, ut ab Anno 1267. omnium fermè, qui nunc exftant, in Ducario jure mentio facta videatur; præterque eos, Leges fuêre collectæ ex Plebifcitis, quæ difperfa erant, ut electis Ducibus proponerentur; jureque jurando obftringuntur, ab ijs nè transverfum quidem unguem difceffuros. Hinc tot Leges additæ de forma ipfa Creationis; hinc primò è *Concione*, Primorum Civitatis decreto, ad evitanda fcandala, ftatutum, ut per *Scrutinium* (verba funt ex ipfo Ducario jure excerpta) *eligerentur* 24. *ex majoribus Civitaits, qui remaneant* 12.; *His verò detur Sacramentum do eligendo Duce optimo, pofitô amore & odio, qui per* 8. *fuffragia profpera eligatur*; & *hac deliberatio fuit laudata in publica Concione.* Poftea verò à 12, ad 40. Viros Creatio redacta eft, primusque *Aureus Maftropetrus* ab ijsdem electus; cùm autem Jacobus Teupolus, & Marinus Dandulus Duces fuerint pari fuffragiorum numero defignati, deque fententia nullatenus potuiffent Electores dimoveri, opus fuit, *jubente Populo*, fortem experiri, cujus beneficio Teupolus dignitatem obtinuit; quare ad ea impofterùm vitanda fancitum, ut alter adderetur; & *ficuti Dux à majori parte* 40. *Electorum eligebàtur, ità nunc per majorem partem* 41. *eligi debeat*, & *Electus juramentum præftet*; Ad tollendas autem fufpiciones in Electorum creatione, ea tandem procedentibus temporibus fubtiliffima ratio excogitata eft, fancitaque lege perpetua, quam fuprà explicavimus.

Quare

Quarè à Petro Gradenico ad hæc usque tempora, si primas illas Conjurationes Bajamontanas, quas suprà innuimus, excipias; sique variationem aliquam vix advertendam in eligendis Magistratibus, nullam Formæ mutationem, & nec alterationem subijsse Civitas visa est. Quodnam autem melius optimè constituti Ordinis argumentum? An ulla Civitas fuit, quæ tot sæculorum lapsu suam formam retinere potuerit? An quolibet potiùs ferme sæculo ingens rerum Conversio, motus, factiones, Civilia bella cæteras non attrivêre Civitates?

Videamus igitur, quamnam post interclusa Comitia formam acceperit, quæ in meliùs indè processit, suamque perfectionem est assecuta. Si itaque ipsa initia spectaveris, mixtionem ex Democratia, atque Oligarchia, solummodò agnosces; Cùm enim non aliter distingui Cives potuissent, nisì per ea Comitia, quæ proximo tempore secuta erant, Civium quodammodò universorum ratio habita fuit, unde Democratica forma nec potuit interire. Quod si aliquos etiam Cives eâ lege exclusos animadvertas, jam se exserit Obligarchiæ facies, cùm nulla fuerit ratio, quin ad eos duntaxat rerum Summa translata fuerit, qui proximis Comitiis suffragia tulerant, aliis perpetuo, quamquàm Civibus, jure suffragiorum ademptô, licèt utilitate publica, ijsque de Causis, quas suprà retulisse reminiscimur, Legem illam necessariam atque opportunam fuisse judicamus. Cùm autem postmodum nonnullæ Civium Familiæ in Tabulas relatæ fuerint, & Ordo, quem Civitas accepit, magìs magisque sancitis Legibus optimis perficeretur, Oligarchica ipsa species omninò sublata est, & propter eam rationem, quæ habetur Civium ab origine, & propter Electionem ipsam Magistratuum, qua optimi designantur; nam & sors & suffragia, ut æmulatio, factionesque vitentur, utque meliores Magistratus assequantur, locum habent. Si speciem igitur rerum attendamus, mixta videtur Respubl.; cùm & Monarchicam in Duce, Democraticam in Comitijs, in eâque mediæ Classis Civium ratione; & Aristocraticam tandem cùm in suffragiorũ Legibus, tum in Senatu præseferat, adeoque juxtà rerum faciem Contareno, Nicolao Crasso, cæterisque assentimur; si verò vim & Potestatem, ut par est, non simulacra, nullam Monarchiæ mixtionem fateri cogimur; & vix Democratiæ formam, adeò remissa est, agnoscere datur. Aristocratia igitur, quæ haberi potest, in Venetorum Civitate vocem & faciem emisit

ſuam, cùm jam advertiſſe non ſumus obliti, Ariſtocratiam omni ex parte optimam, quæ Virtutem boni Viri, ſimulque boni Civis exigit, in Orbe nec dari poſſe. Sufficit igitur Civitatem regere Cives optimos, eosque ex Patriciorum Ordine, quos nempe Virtus & rerum geſtarum gloria magìs innoteſcere fecit, qui cùm præ cæteris optimi habeantur, ſintque propterea Cives primæ Claſſis, Ariſtocratiam reſultare faciunt. Cùm autem ſecunda Claſſis in minoribus etiam Reipubl. muneribus conſideretur, nec ſpes abſit, ſeu Virtute, ſeu aliâ de Cauſa, jura quoque ſuffragiorum obtinendi, Oligarchiæ vis ac ſpecies ſimul evanuit, & Democratica forma quodammodo vitam ducit, præcipuè cùm nemo *jure optimo Civis*, Patricius nempè atque in publicas tabulas ab illis temporibus, vel poſteà non ſinè cauſa relatus, à ſuffragandi jure excludatur; liceat igitur à præfatis Authoribus recedere, qui ſimulacra duntaxat rerum attendentes, & Monarchiam in Duce conſtituerunt, cui præter jus ipſum Civis nîl nisì duntaxat ſpecies adeſt Majeſtatis, & Democratiam in Comitiis, cùm una duntaxat Civium Claſſis admittatur, & propterea remiſſa adeò eſt, ut vix ſpiritum aliquem conſervet; Id ſolummodò fateri cogit Veritas ipſa, quod nempe ſi Venetorum Civitatem cum Græcorum Rebuspubl., aut Romanorum etiam conferre, velimus; nedum ab omnibus Magiſtratus duntaxat neceſſarios, melioresque Leges excerpſiſſe, ſed in ſuffragandi ratione, adminiſtratione ipsâ, Legibusque plurimis, cunctas, quotquot fuerunt, poſt ſe reliquiſſe, adeò agnoſcamus, ut nulla ſuperſit dubitandi cauſa. Nec enim ejus initia, ut plerumque cæterarum fuêre, quibus ſi Hebræorum duntaxat Civitatem excipias, aliqui fabulis, ſuoque arbitrio latis Legibus initia dedêre, rudemque Populum velut pecudes duxêre. Nec procedentibus temporibus fixas refixasque Leges, quibus haud quidem explicata ratio, ſed potiùs, ut earum auxilio ambitio, atque cupiditas vim ſuam exſererent, invenies. Nec igitur turbatos Ordines, rerum Converſionem, ſeditionesque, aut Demagogorum Dominatus, atque Tyrannides intueri datur, ſed ex ratione ipſa, atque ad vivendum juxtà naturam, eandem nempe rationem, colendamque propterea pacem, ortam Civitatem, & cùm adhuc Infans eſſet, voces emiſiſſe libertatis, cumque ipsâ ætate nedùm robur & Vires, ſed magìs magisque Sapientiam comparâſſe. Corpus igitur ſuis ab initiis mirè contextum naturaliter ortum habuit, & Natura ipſa

ipsa Duce adeò crevit, ut nedum major partium firmitas, vigorque, sed majora Virtutum specimina edidisset. Jure igitur post interclusa Comitia Civitatis formam cunctis aliis, quotquot fuêre, Rebusp. præferri oportere judicamus; An enim Venetiis unquam Agrariæ Leges cuncta turbare, susque deque volvere Civitatis Ordinem visæ sunt? An Voleronum & Canulejorum, Gracchorumque rogationes? An fœnora, nexusque Corporum? Sed nec Decemviri, nec Triumviri, aut 400. sive 30. potestatem unquam arripuêre; nec Oratores improbi atque Demagogi Leges corruperunt; nec cùm emptores unquam defecissent, Urbs Venalis quandoque fuit. Sed pro institutis, receptisque moribus dic Sodes quæsô, an unquam videris damnatos Venetiis Viros optimos? & Ostracismum propter factiones? an verbera Puerorum: Puellarum choros: Gladiatorum spectacula? an unquam externos ritus? Quis igitur Bodinum ferre poterit omnia hujus Reipubl. in pejus vertere conatum, & sibimetipsi semper adversantem?

Quanquàm autem bellicâ laude nequeat cum Romana præsertim, comparari; id tamen nec vitio verti potest, cùm Civitas ad pacem condita, nilque aliud propositum fuerit, nisì tranquillè atque in tuto vitam agere. Primis autem temporibus propulsâsse injurias, sartamq; tectam libertatem conservasse sat fuit; postmodùm Mari potens jam longè lateque propagare Imperij fines videbatur, nisì undique hostis ingruisset, & Januensium Æmulatio diuturna atque ancipitia bella peperit, nec finem habuêre, nisì fracti animis, Viribusque ultimo bello, quô pene desperatum erat de rebus Venetis, attriti, perpetuò Mari cedere coacti fuissent; Et dùm Ottomannicæ Domus potentia, quæ Torrentis ad instar cursu rapido totam fermè Asiam, nec modicam Europæ atque Africæ partem inundaverat, spem ademit augendæ Ditionis; versa studia ad ea, quæ parta erant, retinenda. At proh dolor! quanquàm Venetorum Virtus suprà etiam hominum fidem, iis temporibus emicuisset, Cretam tamen atque Cyprum amisêre; nuperoque bellô Peloponnesum, quod difficillimè partum erat, brevi occupatum vidimus; sed Corcyra Insula, totius Italiæ propugnaculum, egregiè defensa, munitissimaque novo opere, & lectissimo præsidiario milite reddita est.

Igitur cùm propter rerum Nauticarum studium, tum propter Civium indolem, quæ ad negotiationes & pacem ferebatur, nec propterea, nisì lacessiti bellis se implicabant, haud propagâsse Imperium visi sunt; Cùm autem eò cogitationes intenderunt, jam nulla

erat

erat occasio, & cæteri adeò Capita extollebant, ut Civitas ipsa rerum summam in Discrimen adducere tentando videretur; Hinc versi ad Continentem animi tot bellorum Casibus se objecêre, & altum Vulnus illud passi sunt ex Cameracensi fœdere, ut jam Reipubl. Vita periclitari visa esset. Quarè nec Paulo Paruta Patricio Veneto Doctissimo atque acerrimi judicij Viro facilè assentior, qui temporum opportunitatem obtinendæ Italiæ Venetos non agnovisse scripsit, cùm quæ secuta essent mala, non advertisset; nec enim facile negotium erat liberæ Civitati alias vi atque armis sub Imperium accipere, & ijsdem artibus retinere; nec ingentes Copias alere, instructasque perpetuô habere, Ratio Statûs & suæ formæ arcana patiebantur. Nec aliquem latet, Romanam Civitatem post longa temporum spatia, innumerasque artes Italiam subjugâsse, propterea que Societate primùm, ac juris communione, cæterisque mirabilibus arcanis usa, adeò ulterius processit, ut Populorum Italiæ, velut Sociorum, Armis externas Gentes debellârit, easque posteà, ut Sociis ipsis dominaretur, adhibuerit. At Veneti, cùm nullum Romanorum Exemplum secuti essent, nec eam potentiæ vim haberent, ut armis cæteros Italiæ Populos aggredi, debellare, atq; in fidem retinere potuissent, ruinam potiùs sibi arcessivisse pro augenda Potentia, facilè est conjicere; accidisset enim, quòd propter Cameracense fœdus experti sunt; Una enim hostium Victoria totam ferè partam Regionem abstulit, cùm ipsis conducto milite uti mos fuerit, & Cives, subditosq; belligeros efficere, ut ex ijs paratæ sint Copiæ, faciliq; negotio Exercitus conscribi atq; suppleri queat, ex causis, quas investigare nec debemus, nunquam receptum fuerit. Quare nec Patricios aut Cives Duces constituunt Exercituum, sed Legatos, ut dictum est.

Sufficiat igitur pulcherrimum, præstantissimumq; Civitatis Ordinem qualitercunque adumbrâsse, eodemq; Græcorum, quotquot fuêre Civitates, & Romanam etiam longè supergressam ostendisse; & si Ratio faciem debet apud homines exserere, non bella, sed pacis studium, moderatiq; Animi, non Orbis & quietis publicæ turbatores veram mereri laudem dignoscetur; hinc Aristoteles: Civitatem, inquit, beatam esse, *quæ sit optima, & rectè agat*; atq; ut singulorum Vita separatim, ità & publica beata erit, quæ rationem adeò explicat, ut actionum ex Virtute magis particeps reddatur, quarum profectò expertes sunt ij, qui per vim Imperia & Principatus invadunt alienos, ac propterea invitis perpetuò dominari cupiunt.

FINIS EXERCITATIONIS TERTIÆ.

Q. L. S.

Authorem ſalvere jubet.

OPtimos mortalium altiſſima cupere , inquit ille ; Tu autem ſcire potiùs in animum induxiſti ; hinc Exercitationes tuæ vigilare me profectò cogunt antè Lucem ; cum & ipſa ſcribendi, atque ratiocinandi methodus, fluensque ſimul Oratio, intentam exigant adeò mentis aciem, ut non aliter ſenſus erui, ſimulque oblectari animus queat ; & de ijs cum Helvidio noſtro pomeridianis horis Colloquium eſt inſtitutum; hinc utile dulci mixtum cernitur, ipsâquemet Capita, in quibus inſcitè admodùm, atque malignè nec ordinem reperiri ajebant, ex Orationis viſceribus orta ſunt adeò, ut nec ſermonis vis interrumpi , nec Lector præfatiunculis , alijsque rerùm inanibus diſtineri videatur. Cæteris autem quæ objiciebantur, in ipſamet Nuncupatoria Epiſtola ſatis Te reſpondiſſe video , & alia quæ Pedagogicam pulpam redolebant, jure optimo ridebas ; jamque diù hiſce ineptijs conclamatum eſſe gaudent Viri Docti, qui Rempublicam literariam ſuos habere Impoſtores norunt ; imò ab ijs penè fuiſſe peſſumdatam deſpondere cogebat animos.

Illud quidem ſilentio prætermittere nec poſſum, Helvidium nempè, qui unus pro cunctis Tibi ſemper fuit, quique tenere , quod eſt profectò difficillimum, ex Sapientia modum novit, & Gloriæ quoque cupiditatem , quam noviſſimè Sapientes etiam exuunt, extinguere potuit, Conſilium tuum vel ex eo maximè probaſſe, quod ſummopere vigilare pro ijs voluiſſe videaris , quos tenere aliquando Rem-

Rempublicam capeſſendi ſtudium oportebit; Nequè alium, & præcipuum porrò, finem in Exercitatione de ijs quæ nunc florent Civitatibus, eum latere ajebat. Te igitur urget, ut pergas, eademque Methodo Germaniam, Italiam, cæteraque Europæ Regna, & Imperia nobis exhibere velis; Sic namq; quid Tranquillitati univerſæ debeatur, quoque collíment eorum Conſilia, qui peſſimò illo veneno, *ſua* nempè *Vtilitate*, ſummum illud PUBLICÆ PACIS Bonum inficere; atque imo prorſus tollere conantur, agnoſcent Univerſi; & ſimul Scriptorum quorundam impudentia, rerumque ipſarum ignoratio palam fient.

Accipe igitur, ne ampliùs Te immorari videar, Exercitationem de Venetorum Civitate, nec non Epiſtolam ad Lectorem, Indicemque ſimul, & Operis Conſpectum; Omnia ut præcepiſti celeriter hic in Lucem edita, ut ſinè mora Volumen vulgari potuiſſet. Errores quidem irrepſere non pauci; Sed Tu ex te ipſo Cauſas expertus, mihi faciliùs ignoſces. Cætera ex Typographo intelliges.

VALE.

EXERCITATIO IV.

DE HEBRÆORUM CIVITATE.

De veræ Ecclesiæ initiis.

SUmmus ille rerum Opifex DEUS, postquàm Orbe condito hominem ad imaginem suam creavit, Lumen Vultûs sui adeò super eum signatum voluit, ut nec per lapsum effulgere desierit; hinc sub ipsis initiis orta quoque Religio est, quam notio, cultusque veri Numinis unicè constituunt; ab eo autem, sejunctis improbis, Caini nempe Posteris, in Setho, ejusque Nepotibus permansit; è quibus Enochum insignem pietate Virum, vel viventem Corpore integro post tot elapsa temporum spatia servari accepimus. Nec tamen Universa Sethi posteritas absque labe fuit, fædata namque Connubiis cæterarum gentium adeò Contagionem contraxit, ut in omne scelus erumperet, incolumi verâ semper Ecclesiâ, licèt intrà unam Noachi familiam coarctatâ. Quare eâ duntaxat mirum in modum superstite, cæteri Ultore DEO scelerum pœnas luêre, obruti aquarum molibus, in quas Terræ Orbis offusus erat, ut ipsa quoque Tellus expiari, lustrarique videretur. Ex filiis autem Noachi, Sem duntaxat, ejusque stirps, nec tamen universa, Religione ipsa inclaruit, à qua Abraham duxit originem, adeò Deo dilectus, ut Ecclesiam conservare, & propagare meruerit, *in eoque benedicerentur omnes Cognationes Terræ*;

licèt enim ex Abrami ſobole unus Iſaacus, & ex eo natus Jacob electi fuerint, qui ineffabili ratione ſuâ in familia, Eccleſiæ nomen atque dignitatem retinerent, atque ad Hebræorum gentem tranſmitterent ex illis ortam, cui peculiariter ſui cultum Deo patefacere placuit; Meſſias tamen ſecundùm Carnem ex Jacobi Poſteritate ortus, diſcrimen omne ſuſtulit, Gentibusque univerſis ſalutem tulit.

Nec tamen minùs admirando Divini Numinis Arcano factum eſt, ut eadem Jacobi deſcendentia & Sacerdotale Regnum, & Imperium meruiſſet; cùm enim Jacob ipſe Terram Chananæam Abrahæ promiſſam, quam velut peregrinus incoluerat, deſerere, atque Ægyptum petere, ubi ſedem fixerat Joſeph filius, cum univerſa Familia debuiſſet, fame namque Regio illa premebatur, adeò ingens & numeroſa ſoboles ex eadem familia procreata eſt, ut Iſraëlitarum Gentem condere potuerit, quæ diviſa in partes XII. à ſuis Authoribus unaquæque nomen accepit, Tribusque Ruben, Simeon, Levi, Judas, Iſſachar, Zabulon, Dan, Nephtalim, Gad, Aſer, Beniamin, Manaſſes & Effraim nuncupatæ. Gens autem univerſa dum Ægypti Aulæ nimis excreviſſe, ac propterea novis rebus moliendis apta videretur, miris affligebatur modis, ut impotens effecta paulatim everti poſſet. Tempus ergo venerat, quô Deus promiſſa præstaret; hinc Moyſen excitavit Levi Pronepotem Paſtorem Ovium, qui Ductor Populi foret, eumque educeret de Terra Ægypti, ut promiſsâ Chananæâ potiretur; Moyſes autem, Ægypti Rege manu Dei tacto, variisque plagis affecto, quoniam Iſraëlitarum exitum prohibere nitebatur, multitudinem eduxit ſexcentum millium hominum, trajectoque mirum in modum Mari rubrô, perſequentes Ægyptiorum Cohortes nedùm eluſit, ſed ope Dei exſtinctas cum Populo proſpexit. Cùm autem poſt varios, caſus juvante Deo, ſemperque Populi calamitatibus ineffabiliter providente, legem à Deo ipſo Moyſes accepiſſet in monte Oreb ſolitudinis Sinai duabus inciſam lapideis Tabulis, eam ſolemni ritu promulgavit, Populusque acceptam tulit; immolatis namque victimis dimidiam ſanguinis partem juſſit in Crateras mitti, legensque volumen fœderis, poſtquàm reſpondiſſet Populus: *Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes*, ſanguinem in eum reſperſit: *Hic*, inquiens, *eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.*

De Moyſe.

Lex autem univerſa tum Religionem tum Civilem diſciplinam com-

complexa eſt, licèt ipſa quoque Civilis diſciplina Religionis partem faceret, Gentem enim illam, ùt diximus, elegit ſibi Deus, cui cultum ſui præſcriberet, cujuſque Politiam mirificè ordinaret, ut in ea nedum Providentiæ ſuæ, ſed miſericordiæ ſimul & juſtitiæ viſibilia daret exempla, utque totus ille cultus, cunctaque myſteria venturam temporum plenitudinem adumbrarent, quâ Deus ipſe verſaretur in Terris, humanamque naturam aſſumeret, ut univerſi generis humani reparator efficeretur; nec enim aliter capax erat mortalium genus contagione illa, quam è primorum Parentum culpa contraxerat, ſeſe expiandi, cùm ſatisfacere *è condigno*, ùt Theologi loquuntur, propter infinitam offenſam impar eſſet.

Ordinem ergo videamus, quo Populus ipſe Civiliter regebatur, poſteà verò de reliquis ad uberiorem Civitatis cognitionem facientibus breviſſimè diſſeremus. Propoſitum namque nobis eſt ſolam ejuſdem Reipublicæ formam, converſionemque intueri, cùm cætera è Sacris præſertim Libris pleniſſimè hauriri queant.

Cùm igitur Populus omnis diviſus eſſet in Tribus XII., unicuique Tribui Præfectus conſtitutus erat, qui Princeps dicebatur, quos Tribuum Principes ſequebantur familiarum ſeu cognationum Principes quoque; unaquæque namque Tribus in eaſdem diviſa erat. Ex univerſo autem Populo Moyſes conſilio Jethro ſoceri ſui Viros delegit ſapientes, qui Populum ducerent, judiciaque exercerent: *Audi namque*, inquit Jethro, *verba mea, atque conſilia, & erit Deus tecum. Eſto tu Populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum; oſtendaſque Populo Ceremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant. Provide autem de omni plebe Viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitues ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent Populum omni tempore, quidquid autem majus fuerit, referent ad Te, &c. Ipſi minora tantummodo judicent*, & Moyſes ipſe Deuteron. 1^mo^ repetiit, *dixi vobis*, inquiens, *illo tempore. Non poſſum ſuſtinere negotia veſtra, & pondus, & jurgia. Date ex vobis ipſis Viros ſapientes, & gnaros, & prudentes in Tribus.*

Sed ab initio ipſamet ex Ægypto profectio Moyſi à Deo imperata cum Seniorum Conſilio ſecuta eſt, ùt habetur Exodi XII. *Vocavit autem Moyſes omnes Seniores filiorum Iſrael, & dixit ad eos. Ite tollentes animal per familias veſtras, & immolate Phaſe, Faſciculumque*

 hyſſopi

hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, & adspergite ex eo superliminare, & utrumque postem, nullus vestrum egrediatur ostium domûs suæ usque manè, transibit enim Dominus percutiens Ægyptios, cumque viderit sanguinem in superliminari, & in utroque poste, transcendet ostium domûs, & non sinet percussorem ingredi domus vestras, & lædere.

Ex his ergo Senatus ab ipsamet origine Hebraicæ Civitatis est constitutus, quem Deus ipse ad Septuaginta redegit Viros. Moysi inquiens, Num. XV. *Congrega mihi LXX. de Senioribus Israël, quos Tu nôsti, quòd Seniores Populi sint, & Scribas & Duces ad ostium Tabernaculi fæderis, faciesque ibi stare tecum onus Populi, & non tu solus graveris.*

De ordine totius Populi.

En igitur in castris ipsis Civitatis ordinem Authore ac Principe Deo, unde Theocratiam nuncupârunt scriptores Hebræorum Rempublicam; Moyses namque jussu Dei, ejusque Minister, Populi ductor erat, Senioresque adhibebat in Consiliis, Magistratusque suffragio Populi constitutos ad eum judicandum designaverat; Populo jam in Tribus, ùt diximus, distributô, Tribusque ipsis in Cognationes cum suis Principibus, qui sub se inferiores Magistratus habebant ad exercenda secundùm leges judicia in unaquaque Tribu. Moyses autem cum Senatu & Pontifice Maximo graviora negotia pertractabat, ad eumque provocatio extrema, totiusque Populi res maximæ deferebantur. Eratque nedum Politicus, sed Militaris ordo. Totus namque exercitus, præter summum Ducem Mosem, suos habuit *Chiliarchas, Ecatontarchas, Pentecontarchas, & Decatarchas, Tribunos* nempe, seu 1000. hominibus Præfectos, *Centuriones, Quinquagenarios & Decanos*, licèt iidem præsertim fuerint, qui Principes familiarum erant, ùt 1. Num. habetur „*Phylarchi* nempe secundùm familias suas sunt *Chiliarchi* Israël „Principes nempe Chiliadum, seu Tribuni; licèt procedentibus temporibus, ùt infrà videbimus, non semper ex cognationum Principibus Tribuni delecti fuerint, sed ex familiis ipsis. Joseph autem lib. 3. cap. 3. Consilio Jethro, seu Raguelis, ùt diximus, copias in dena millia, rursumque in cohortes millenarias, quingenarias, centenarias, & quinquagenarias, itemque in manipulos triginta, & viginti, & 10. Comilitonum distributas refert; *Tum deinde* (sunt ejus verba) *ità distinctis Præfectos impones singulis appellatione à numero subditorum indita. Judices autem Viros virtute, ac justitiâ præstantes populi suffragio creabis, qui de controversiis eorum decernant, & si fortè quid graviùs inciderit, ejus cognitionem ad te relegent,*

gent, atque hoc pacto neque Hebraeorum quisque suo jure fraudabitur, & tu sinè interpellatione Deum colens favorem ejus propensionis Exercitui conciliabis.

De forma Civitatis Hebraeorum.

Vera igitur Politia, quam Moses post adeptam Chananæam præscripserat, hæc fermè videbatur, ut nempe Civitas Hebræorum faciem emitteret suam, destinatâ Urbe, quæ Caput rerum foret, quæque Sedes esset Magni Senatûs, & Principis; ubi propterea Conventus agi deberent populi universi, qui è cæteris Urbibus, Oppidisque tenebatur confluere; atque ideo ibi Templum esset, in quo Sacra fierent, quorum causâ ter quotannis Populus ipse Urbem adire, Sacrificiaque juxta leges, ritusque præscriptos peragere, & epulas ad devinciendos animos, amicitiasque firmandas celebrare tenebatur. In ea igitur Civitate *Concio* à Principe, Magnoque Senatu debebat advocari, cùm de bello, aut gravissimo alio negotio deliberatio capienda erat, ibique Sacrorum causâ, ùt dictum est, Populum convenire oportebat. Nec propterea nulla eidem erat authoritas, licèt Optimates, quorum Caput Princeps erat, regimen haberent universæ Civitatis, subque iis nedum cujusque Tribus, sed Urbium, Oppidorumque singuli Præfecti, Senatoresque cæteri, ac Magistratus esse deberent; Electio namque Seniorum, quos magnum conflare oportebat in Urbe regnatrice Concilium ex cunctis Tribubus captis suffragiis à Principe fiebat, Princepsque à Deo ipso destinabatur, & Populus belli, maximarumque rerum causâ debebat advocari, & solemnibus Sacris adesse tenebatur.

Erat igitur, si formam introspexeris, Theocratia sub Optimatum regimine, sed democraticè temperata, adeoque Respublica, cujus imaginem sic adumbrâsse sufficiat, ut ea, quæ differere in animum induximus, ad hunc scopum collimâsse comprobemus, licèt fermè ad effectum nunquam perduci potuisset; hinc ordinem historicum, rationemque temporum sequentes, statim cernere datur, Mosem Rempublicam perfectissimam ad nutum Dei condere voluisse, Populumque Deo acceptissimum nedum Politiæ legibus, sed Religione, cultuque summi Numinis juxta ritus, quos eidem præscripserat, informâsse; quare ut Populus non ex humana authoritate, aut Mosis inventis Leges dari suspicaretur, in Sacris libris tot signa placuisse Deo edere docemur. Nam præter ea, quæ in exitu Ægypti evenerant, aquarum conversio in itinere apud *Mara* facta est, Exod. XV. *Ibi murmuravit Populus contra Moysen, dicens: quid bibemus?*

mus? at ille clamavit ad Dominum, qui oſtendit ei lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt, &c. & in Deſerto inter Elim, & Sin miſit Deus coturnices, rosque illud ad veſcendum, quod appellârunt *Manhu*, quodque quadraginta annorum ſpatio, donec ingreſſi ſunt fines terræ Chanaan, comederunt, & in Raphidim dedit aquam de petra, debellatisque ibi ductu Joſue Amalecitis, hoſtium victoriam agnoverunt à Deo tributam intercedente Moſe; ille namque cum Aaron, & Hur conſcendit verticem collis, levavitque manus ſuas, quas iidem ſuſtentabant, nè laxarentur uſque ad occaſum Solis. Hinc in monimentum Altare ibi exſtruxit, vocavitque nomen ejus *Dominus exultatio mea*, dicens: *quia manus Solii Domini, & bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationem.*

Cùm igitur caſtra metatus eſſet juxta montem Dei, Sinai nempe, famâ rerum permotus, venit ad eum, ùt diximus, Socer Jethro, aliàs Raguel dictus, cui Moyſes antequam à Deo Leges acciperet, nedum optimam Caſtrorum diſciplinam, ritèque inſtitutum imperandi, & parendi ordinem, ſed judiciorum formam, & Magiſtratuum creationem debere Populo pro Concione indicavit.

De Lege à Deo accepta.

Profectus autem cum exercitu de Raphidim, in eodem deſerto Sinai caſtra metatus eſt, Senioribusque Populi advocatis, Dei juſſa expoſuit, *hæc*, inquiens, *Domui Jacob, & filiis Iſraël nunciari præcepit Deus: vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas Aquilarum, & aſſumpſerim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta.* Cùmque populus univerſus Dei mandatis audientem fore ſpopondiſſet, juſſus eſt Moſes Populum per biduum, ſanctum, mundumque reddere, utque die tertio paratus eſſet videre ſigna Dei, cùm Legem laturus eſſet, quo tempore profectus è caſtris ad radices montis ſubſedit, nec Exercitui licebat terminos tranſilire, quos ipſe conſtituerat; „ tunc autem mons Sinai „ fumabat, eò quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſ„ cendebat fumus ex eo, quaſi de fornace, eratque omnis mons ter„ ribilis, & ſonitus buccinæ paulatim creſcebat in majus, & prolixiùs „ tendebatur. Moyſes loquebatur, & Deus reſpondebat ei; Cùmque iterum deſcendiſſet è monte, tulit ſecum Aaron, cæteros autem Sacerdotes manere juſſit, ſicut Deus præceperat, *Vade*, inquiens,

deſcen-

descende, ascendesque tu, & Aaron tecum; Sacerdotes autem & populus nè transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, nè fortè interficiat illos.

Legem itaque ineffabilem hunc in modum Deus ipse tulit, quâ tum mente, tum externo ritu cultum sui mandavit; dilectionem quoque Proximi, cunctaque officia hominis naturæ convenientia, ac propterea vel ipso naturæ lumine nota complexus est decem Præceptis, quæ summi Numinis velut Edicta perpetua tanquam rationis humanæ dictata cunctos etiam mortales vel ante promulgationem tenuêre; Hebræos autem & ipso positivo Divino jure. Nec enim licèt vetustissimus fuerit Moyses, cæterique ad instituendas duntaxat Civitates longè post eum scripta jura promulgârint, exlex tamen erat mortalium genus, licèt ab ipso naturæ lumine deflexisset; erant enim Idololatriæ, superstitionumque ritus; judiciorum, nuptiarumque solemnia, juraque illa, queis obstrictæ gentes tutiùs regnari poterant, quæ ipsius luminis propter Societatis commune bonum explicatio quædam erant. Nec etiam si ad segreges familias mentem revoces, sinè legibus fuisse animo poteris concipere, quas Patresfamilias ipsos naturæ lumen sequentes verbo saltèm tenus indicare oportebat, ut in familia ipsa imperandi, & parendi quidam ordo statueretur; Quam profectò naturæ legem Deum Adæ patefecisse, postea que Noë Thalmudistæ fatentur, ignorantesque propterea Populos in bello interficere, atque ex hominum communione tollere, nec iis parcere unquam potuisse, Israëlitas jussos fuisse tradunt. Sex autem Præcepta primum Parentem accepisse iidem asserunt, nempe *summum Numen colendum, celebrandumque; jura mortalibus danda, haud humanum sanguinem fundendum; Idola nunquam colenda, rapinæ non exercendæ, nec multiplicato hominum genere, incestis se nuptiis fœdandum.* Noë autem additum septimum; *nè membrum vivi animalis comederet*, Abramoque tandem posita lex *de Circumcisione* fuit: Homines autem vel ab Henochi temporibus superstitio pervaserat, plantasque, ac sidera colebant, eòque dementiæ processêre, ut nullâ summi Numinis religione servatâ sideribus ipsis Templa, Simulacraque consecrârint, ipseque Abramus in Ure Chaldeorum profanis illis ritibus longo tempore addictus fuit, cùmque jam quadraginta annos explêsset, benigno Numinis afflatu veritatem edoctus, Chaldæam, patriosque lares deserere jussus est, ut ignotam Chananææ regionem adiret, ubi sedibus positis

Deo

Deo ſtruxit aram, & hoſtias mactavit, ùt Joſeph loquitur, qui ejusdem meminiſſe Beroſum, alioſque fatetur, cujus hæc ſunt verba, ùt ille refert lib. 1. cap. 8. *Poſt diluvium autem decimâ ætate apud Chaldeos erat quidam juſtitiæ cultor vir magnus, & ſideralis ſcientiæ peritus. Hecatæus verò* (ſequitur Joſeph) *non meminit tantùm obiter, ſed libro in hoc conſcripto res ejus poſteritati tradidit.* Nicolaus autem Damaſcenus in 4. hyſtoriar. ſic ſcribit: *Abrahamus regnavit apud Damaſcum advena; ut qui cum exercitu venerat è regione ſuprà Babilonem ſita, quæ Chaldæorum dicitur, nec ità multò poſt hinc quoque migrans cum ſuo populo, ſedem tranſtulit in terram tunc Chananæam, nunc verò Judæam nominatam, ejusque poſteritas ibi crevit in ingentem numerum, quorum res alibi ſum narraturus. Abrahami verò nomen etiam nunc eſt apud Damaſcenos celebre, & Vicus oſtenditur, quem vocant Abrahami Domicilium.* Moſes autem, ut è diverticulo redeamus in viam, cùm decem illa Præcepta, Judiciorumque Leges promulgâſſet, populusque ſolemniter, ùt dictum eſt, acceptas tuliſſet, Dei monitu denuò aſcendit in montem, juſſis Senioribus exſpectare, donec reverteretur: *Habetis*, inquiens, *Aaron, & Hur vobiſcum, ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos; eoque aſcenſo, operuit nubes montem; & habitavit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus; ſeptimo autem die vocavit eum Dominus de medio caliginis; erat autem ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens ſuper verticem montis in conſpectu filiorum Iſraël. Ingreſſusque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem, & fuit ibi 40. diebus, & 40. noctibus.* Quo tempore à Deo ritus omnes, quibus coli voluit, quique umbra erant futuræ temporum plenitudinis, accepit, juſſitque Sanctuarium ſibi fieri, *Arcam* nempe *fœderis, & Tabernaculum*, ut habitaret in medio populi; Sacris autem primùm præfici Aaron voluit, filiosque ſuos, qui ſub ſe Sacerdotes eſſênt; *Applica*, inquiens Exod. 28. *quoque ad te Aaron fratrem tuum, cum filiis ſuis de medio filiorum Iſraël, ut Sacerdotio fungantur mihi, Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar. Faciesque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem. Et loqueris cunctis ſapientibus corde, quos replevi ſpiritu prudentiæ, ut faciant veſtes Aaron, in quibus ſacrificatus miniſtret mihi*, de quibus infrà.

Completis autem ſermonibus univerſis, in eodem monte dedit ei Deus duas Tabulas teſtimonii lapideas, quibus mandata illa continebantur.

De Ido- Intereà Populus duræ cervicis Deos ab Aarone petebat, qui eum

eum præcederent; nec prohibuit aurea etiam ornamenta de uxorum, filiorum, filiarumque suarum auribus tollere, ut Deus ex auro effingeretur, è quibus propterea conflatilis vitulus opere fusorio formatus est, cui holocausta, & sacrificas hostias obtulit, epulasque inde celebravit & ludos. Quod cùm conspexisset Moyses è monte descendens, projectis, fractisque ex ira Tabulis, Idolum combussit, contrivitque adeò, ut sparso in aquam pulvere, daret ex eo potum filiis Israël; sed immane scelus non sinè ultione præteriit, expediebat namque atroci exemplo inposterùm Populo universo consulere; stans igitur in porta Castrorum, *si quis est Domini*, inquit, *jungatur mihi*, congregatâque Tribu Levi universâ, & redire de porta usque ad portam per medium Castrorum, & occidere fratrem, & amicum, & proximum præcepit; Aaron namque propter impietatis sordem nudaverat populum, eratque nudus inter hostes constitutus, permissâque ad satietatem ultione, viginti tria millia, quod satis pœnarum, cæsa fuêre. *Iolatria Populi, & Moysis vindicta.*

Denuò igitur jussu Dei debuit in montem ascendere, excisis priùs duabus lapideis Tabulis primarum ad instar, *fuitque cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes, panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in Tabulis verba fœderis decem.* *Denovò Tabulis.*

Quo ex consortio evasit facies ejus cornuta, vocatisque Aarone summo Sacerdote, Senatuque universo, postquam cum eisdem fuerat colloquutus, populum vocavit, habitâque Concione, mandata cuncta exposuit.

Cùm autem duo filii Aaron Nadab, & Abiu contra Præcepta thurificâssent prophano igne, cælesti flammâ necati sunt, eorumque cadavera è castris tollere jussi *Misael*, & *Elisaphan* filii *Osiel*, Patrui *Aaron*, qui cum cæteris filiis *Eleazaro*, & *Ithamar*, *nec caput nudavit, nec vestimenta scidit*, sicut præceperat Moyses. *De Nadab, & Abiu interitu.*

Rursùs ergo Legibus ex ore Dei latis, promulgatisque solemniter, Moysi, & Aaron jussit Deus, ut Tribus censerent universas: *Tollite*, inquiens, *summam universæ Congregationis filiorum Israël per cognationes, & domos suas, & nomina singulorum quicquid sexûs est masculini à vigesimo anno, & suprà omnium virorum fortium ex Israël, & numerabitis eos per turmas suas Tu, & Aaron; eruntque vobiscum Principes Tribuum, ac domorum in cognationibus suis; fuitque numerus filiorum Israël per domos cognationum suarum, & turmas divisi Exercitûs sexcenta tria millia quingenti quinquaginta, præter Levitas, qui non fuêre nume-* *De numeratione Tribuum.*

rati inter filios Israël, sic enim præceperat Dominus Moysi.

De Exploratoribus in promissam Regionem missis.

Distributis ità ordinibus, muneribusque assignatis, profectus est Moses de Aseroth, Castraque metatus in Deserto Pharan, quo ex loco 12. misit viros, singulos ex quaque Tribu delectos, qui *Terram considerarent, qualis esset, & Populum, utrùm fortis, an infirmus, pauci numero, an plures? ipsa Terra bona, an mala? Urbes quales, muratæ, an absque muris? Humus pinguis, an sterilis? nemorosa, an absque arboribus?* inter hos autem Caleb, & Josue fuêre; cùmque regionem omnem exploràssent, vidisse retulerunt monstra quædam filiorum Enac de genere Giganteo, *quibus*, inquiebant, *comparati, quasi Locustæ videbamur*; quare cùm Exercitus eos subigere desperâsset, ingens adeò seditio exorta est, ut & alium sibi Ducem constituere, atque in Ægyptum reverti in animum induxerint, & nec humanâ ope componi potuerit; lapides namque jamjam in Josue, & Caleb, qui & ipsi lustraverant Terram, & congruentia pro Concione proferebant, videbantur objecturi, nisì *Domini gloria super tectum fœderis universo populo apparuisset.* Quare præter Josue, & Caleb, nemo è multitudine illa superstes fuit, ut promissâ Regione frueretur.

De prælio cum Hamalecitis, & Chananæis.

Nec tamen (adeò duri, atque asperi ingenii Gens erat) Moysi paruit, cùm exire è Castris, atque in montis verticem ascendere vetuisset; unde ab Hamalecitis, & Chananæis usque Horma persecuti, & nec pauci interfecti fuêre; sed majores animorum motus *Core, Dathan*, & *Abyron* Authoribus excitari visi sunt, & profectò ordinis dissolutio secuta esset, si Deus ipse novo miraculo nutantem exercitum terrere, atque ad obedientiam componere noluisset.

De seditione, atque interitu Core, Dathan, & Abyron.

Exstimulati enim ambitione, atque invidiâ, universorum Procerum, qui ad Concionem nominatim vocabantur, animos corruperant, traxerantque ad partes; atque ut populi causam suscipere viderentur, superbâ voce Moysen, atque Aaron increpare adorti sunt: *Cur*, inquientes, *elevamini super Populum Domini? An non omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus?*

Moyses autem tempori obediendum ratus, nec pro imperio statim agendum, eos alloquitur, demonstratque immane scelus ab iis oriri, qui Populum formare tenebantur; *Num parùm vobis est*, inquiens, *quòd separavit vos DEUS Israël ab omni Populo, & junxit sibi, ut serviretis ei in Cultu Tabernàculi, & staretis coràm frequentia Populi, & ministraretis ei? Idcircò ad se fecit accedere Te, & omnes fratres tuos Filios*

lios Levi, ut vobis etiam Sacerdotes vindicetis, & omnis Globus tuus stet ante Dominum? Cumque ſpem foviſſet, quòd reverterentur ad bonam mentem, juſſit *Datan* & *Abyron* ad ſe venire; at illi cum pervicaces perſtitiſſent, Moyſi exprobrabant; *Nunquid parùm eſt tibi, quòd eduxiſti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, ut occideres in deſerto, niſi & dominatus fueris Noſtri?* Oportuit ergo ad factionem illam comprimendam DEI Opem implorare, cujus monitu dixit ad Core: *Tu & omnis Congregatio tua ſtate ſeorſim coràm Domino, & Aaron die craſtino ſeparatim*; juſſitque ſingulos tollere thuribula, & offerre Domino, præcepitque Populo jubente Deo ſegregari à Tabernaculis *Core*, *Datan*, & *Abyron*; cumque ad eos acceſſiſſet, Senatu comitante: *in hoc*, inquit ad turbam, *ſciatis, quòd Dominus miſerit me, ut facerem univerſa, quæ cernitis, & non ex proprio ea Corde protulerim*, ut nempe ſi peribunt, ùt cæteri mortalium ſolent mori, putarent, ſe miſſum à Deo non fuiſſe; Si verò, *Terra aperiens os ſuum deglutiat eos, & omnia, quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viventes in infernum, ſciatis, quòd blasphemaverint Dominum*; Vix autem loqui deſierat, & diſrupta Terra eos cum Tabernaculis, & univerſa ſubſtantia abſorbuiſſe viſa eſt, fugiente Populo univerſo, cùm timeret, nè fortè eos Terra quoque deglutiret; ſed & alio miraculo cæteri offerentes Domino, periêre, cùm ignis quoque Cœleſtis bis centum quinquaginta Viros abſumpſiſſet.

Tunc autem Moyſes mandato Dei Eleazaro juſſit, ut tolleret thuribula, quæ jacebant in medio, quoniam illorum morte jam erant conſecrata, fueruntque in Altari poſita, ut haberent Filii Iſraël Monumentum, nè, qui non eſſet de Sacerdotali ſemine Aaron, auderet offerre Domino.

Sed major erumpere videbatur in Populo univerſo motus contra *Moyſem*, & *Aaron*, cùm illis exprobrarent interfeciſſe Populum Domini; jamque præter voces majora audere videbantur, unde conſultum putàrunt ad Tabernaculum Fœderis confugere, & repentè Deus opem tulit, cùm illos operiret nubes, & Deus ipſe locutus eſſet ad *Moyſem*, ut recederet à multitudine, quæ propter duritiem Cordis delenda prorsùs erat, ignemque miſit, quo debebat abſumi, cùm *Moyſes* Aaroni juſſit, ut citò pergeret ad Populum, offerretque incenſum Domino, atque ad avertendam Numinis iram preces effunderet; ſtans igitur inter mortuos ac viventes, pro Populo deprecatus eſt, & pla- *De Pervicacia Populi.*

ga cessavit. Fuerunt autem, qui percussi sunt 14700. hominum, absque his, qui perierant in seditione *Core.*

Quô igitur ergà *Moysen* & *Aaron* præcipui illi Seditionis Authores erant animô affecti, vides, cùm & nulla beneficiorum memoria eos tangeret, & invidia, quòd ille Ductor Populi esset, quodque frater *Aaron* summo Sacerdotio cum universa Posteritate suâ frueretur, acerrimè extimularet; Gens igitur adeò pervicax erat universa, ut nisi præsenti, perpetuaque Dei ope haud fuisset adjutus, nec in Ordinem redigere potuisset, nec evasisset incolumis. Neque præterita Clades, & Miraculi vis sufficere visa est, voluitque *Moyses* Deo ipso imperante coràm universo Populo Judicium Dei patefacere, quo summum *Aaroni* Sacerdotium confirmaretur, [& redderetur augustius. *Accipe* (Deus Moysi loquebatur) *ab eis Virgas singulas per Cognationes suas, à cunctis Principibus Tribuum Virgas* 12. *& uniuscujusque nomen superscribes Virgæ suæ. Nomen autem Aaron erit in Tribu Levi & una Virga cunctas seorsim familias continebit, ponesque eas in Tabernaculo Fœderis coram Testimonio, ubi loquar ad te, quem ex his elegero, germinabit Virga ejus, & cohibebo à me querimonias filiorum Israël, quibus contra vos murmurant*; tunc ergo, cùm esset locutus *Moyses* ad filios Israël, accepit à Præfectis singularum Tribuum *Virgas* 12. absque *Virga* Aaron, quas cùm posuisset *Moyses* coràm Domino in Tabernaculo Testimonii, sequenti die regressus invenit germinâsse *Virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in Amygdalas deformati sunt.*

De confirmato Aaronis Sacerdotio.

Cùm igitur accepissent singuli Virgas suas, jussit Deus Moysi *Virgam Aaron* referre in Tabernaculum Testimonii, ut ibi servaretur in signum Rebellium filiorum Israël, finisque esset querimoniarum contra Moysen, nec ultionem Dei ampliùs provocarent. His igitur evidentibus signis confirmatum fuit *Aaronis* summum Sacerdotium penès ejus posteros mansurum, Tribusque *Levi* à Deo lecta, ùt fusiùs infrà.

De aqua è petra excitata

Cùm autem castra movisset Moyses, venissetque in Cades, iterum aquæ penuriâ seditio excitabatur: & contra Moysen atque Aaron sermones, clamoresque audiebantur: *quare nos*, inquientes, *fecistis ascendere de Ægypto, & adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper & aquam non habet ad bibendum?* Orantibus ergo Moyse atque Aaron ad Tabernacula Fœderis, Deus iterum locutus est ad Moysen: *tolle*, inquiens,

quiens, *Virgam, & congrega Populum tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas; cumque eduxeris aquam è petra, bibet omnis multitudo, & jumenta ejus ;* Congregato igitur Populo universo : *audite* (inquit Moyses) *Rebelles, & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Statimque virgâ bis percussit, *& egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut Populus biberet, & jumenta.*

Cùm autem per ditionem Regis Edom transire deberet Exercitus, Legatos misit Moyses, ut Rex ille iter permitteret. Et profectò nullus illustrior locus ad probandum, Jure Gentium transitum peti posse, nec sinè causa prohibendum esse; Legati enim mandata exposuêre, quòd Exercitus rectà tenderet, quòd nec agros, pecora, nec segetes, aut frugiferas arbores noxâ aliquâ afficeret, imò nec de aquis puteorum biberet, nisì soluto pretio, & quantum peterent; Rex autem nullimodè permittere voluit, & armatum occurrere minatus est, unde divertit iter, venitque in montem Hor, ubi mortuus est Aaron, & filius Eleazarus summus Sacerdos inauguratus. Ibi autem cum Cananæo Rege prælium commissum est, & licèt primò Rex victor exstitisset, denuò tamen, postquàm Dei opem imploravit Exercitus, atrox pugna commissa est, fusique hostes atque ad internecionem deleti; profectus autem de monte Hor, ut circumiret Terram Edom, iterum seditio instare videbatur, & Moysem increpabant, quòd eduxisset eos de terra Ægypti, quòdque in solitudine deberent mori, cùm deficeret panis & aqua, negligerentque cibum illum, quem appellàrunt *Manhu.* Quare ultionem Dei denuò experti sunt, misit namque in Populum ignitos serpentes, à quibus plagis affecti, interitum quoque patiebantur; Unde ante Moysem supplices steterunt, rogabantque, ut Oratione suâ vindictam Numinis averteret; quare Dei monitu fecit Moyses *serpentem æneum*, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur, quod quidem signum fuit futuræ exaltationis Filii hominis in Redemptionem Generis humani.

De Victoria à Chananæis relata.

De Serpente æneo.

Cùm autem pergeret Exercitus, castra posuit in Oboth, atque inde in Gabarim, posteaque in Zared, ac denique in Arnon, qui terminus erat Moabiticæ Regionis, incipiebantque fines Amorrhæorum, ubi puteo invento Exercitus exhilaratus est. Jamque nova laborum facies occurrebat, cùm atrocia instarent prælia, missis enim ad Amorrhæorum Regem Legatis, transitum petivêre, viâ regiâ incedere, proque iis, quæ opus essent, justum pretium persol-

De Amorrhæis devictis.

vere affirmantes. Ille autem nedum iter prohibuit, ſed armatus cum Exercitu occurrit, commiſſaque pugnâ victus, debellatusque eſt; regioque ſua ab Iſraële occupata; ſubegitque *Jazer*, poſteaque vicit etiam Regem *Baſan*, Ditionemque illam in poteſtatem ſuam redegit. Poſt quæ profecti, Caſtraque metati ſunt in campeſtribus Moab, ubi trans Jordanem Jericho Urbs cernebatur. Quare timore correptus Rex *Balan* Ariolum arceſſivit *Balaam*, ut malediceret Populo illi, ſuiſque imprecationibus curſum Victoriarũm ſiſteret, qui in itinere obviam habuit Angelum Domini prohibentem iter, licèt enim eum non proſpexiſſet, Aſina, cui inſidebat, flexit ad parietem, contrivitque pedem ejus, unde ter percuſſa, vocem tandem emiſit, & Balaam agnovit Angelum ſtantem ſtricto enſe, qui licèt vi juſſiſſet iter pergere, monuit tamen, nè contra, quàm præciperet, loqueretur; exſtructis autem 7. aris in excelſis Baal, antequàm quidquam fuerit loquutus, pauliſper declinavit, Regemque ut exſpectaret, admonuit: *Sta*, inquiens, *pauliſper juxta holocauſtum tuum, donec vadam, ſi fortè occurrat mihi Dominus, & quidcunque imperaverit, loquar tibi:* & acceptô Dei mandatô reverſus, benedixit Exercitui juxta verbum, quod Deus poſuerat in ore ejus, terque benedixit Populo, deque orbis Redemptore prophetatus: *videbo*, inquit, *eum, ſed non modò: Intuebor illum, ſed non propè. Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget Virga de Iſraël, &c.*

De Balaam.

Cùm autem moraretur Populus in Sethim, immani flagitio ſe inquinavit, nedum enim fornicatus cum filiabus Moab, ſed muliebribus illecebris corruptus, de Sacrificiis Gentis illius comedit, adoravitque efficta Numina, eorumque Sacris initiatus eſt. Quare ultionem provocârunt Summi Numinis, qui propterea ad Moyſem: *tolle*, inquit, *cunctos Principes Populi, & ſuſpende eos in patibulis contra ſolem, ut avertatur furor meus ab Iſraël*; hinc Moyſes edixit, unumquemque proximos ſuos Sacris Beelphegor initiatos occidere. Quare fit diſceſſio in partes, ingeruntur tela, trucidantur Contubernales etiam, undique clamor, undique arma, & ad ſatietatem Ultio permiſſa, interfectis hominum 24000.

De Populi flagitio, & pœna.

Zelo autem *Phinees* eodem fermè tempore pacatum Numen; ille namque cùm Zambri Iſraëlitam vidiſſet ad Madianitiden fœminam intrare, ſecutus repentè perfodit ambos in genitalibus, adeoque ad Moyſem Deus inquit: *Phinees filius Eleazar Filii Aaron Sacerdotis avertit iram meam à filiis Iſraël, quia zelo commotus eſt contra eos,*

De zelo Phinees.

ne

nè ipse delerem filios Israël in zelo meo, idcircò loquere ad eum, ecce ego ei do pacem Fœderis mei, & erit tam ipsi quàm semini ejus Sacerdotium sempiternum.

Expiatô igitur eâ clade infando Populi scelere, Moyses cum Eleazaro Dei monitu Exercitum lustravit, censáque sunt 601730. præter Levitas, quorum censa sunt capita 23000. Cupiens autem ut Deus præceperat, Madianitas ad internecionem usque delere, jussit, ex unaquaque Tribu 1000. viros eligi, ad bellum progressuros, qui cùm prælium commisissent, hostes debellârunt universos, & 5. Gentis Principes interfecerunt, mulieres autem eorum & parvulos, pecora, cunctamque suppellectilem depopulati sunt, urbesque, vicos, & oppida incenderunt, cumque reverterentur in Castra, obviam eis processêre *Moyses* & *Eleazar* cum Principibus Synagogæ, atque iratus Moyses exprobravit, quòd fœminas reservâssent: *nonne*, inquiens, *istæ sunt, quæ deceperunt filios Israël ad suggestionem Balaam, & prævaricari vos fecerunt in Domino, unde & percussus est Populus; ergò cunctos interficite, quidquid est generis masculini etiam in parvulis, & mulieres, quæ noverunt Viros in coitu jugulate; puellas autem & omnes fœminas Virgines reservate vobis.* Jussit autem manere extra Castra 7. diebus, eosque, à quibus homo interfectus, vel Cadaver tactum esset, lustrari mandavit, dieque 3. & 7. expiari. Eleazar quoque Sacerdos victores milites allocutus, Legem protulit, quam Dominus mandaverat Moysi, ut nempe quodcunque metallorum genus, & quidquid flamma non absumit, igne purgaretur, cætera autem aquâ expiationis lustrarentur, utque lavarent vestimenta die 7., & ità purificati Castra ingrederentur. Prædam autem Moyses Dei jussu ex æquo partiri præcepit, inter eos nempe, qui prælium commiserant, & reliquam multitudinem; partem autem Domini de universa præda constituit pro 500. caput unum, tam ex hominibus, quàm ex animantibus cæteris, quæ abegerant, exque ea quæ obtigerat iis, qui dimicaverant Eleazaro Sacerdoti quinquagesimam, ex reliqua verò Levitis assignavit. Donaria etiam à Ductoribus Tribunis, Centurionibusque, quoniam nec unus de militibus ceciderat, Moysi & Eleazaro tradita, & in Tabernaculm Testimonii illata, pondo nempe 16750. Siclos, periscelidum, armillarum, annulorum, &c.

De lustratione Exercitûs.

De Madianitis debellatis.

Erant igitur trans Jordanem subactæ Regiones Regum *Amorrhæorum*, & *Basan*, easque assignavit Moyses filiis Ruben, & Gad, mediæque Tribui Manasse; cùm enim eas illi petivissent, quoniam earun-

De agri trans Jorda-

nem parti aſſignatione. earundem ſolum herbidum pecoribus, quibus abundabant, paſcendis, commodius videbatur, objurgati primò fuêre, quòd vellent Tribus cæteras in præliis, quæ cum populis aliis cis Jordanem ſecutura erant, deſerere turpiter; cùmque reſpondiſſent, impedimenta duntaxat in Urbibus relicturos, ſed eos nedum ſequi Exercitum, imò armatos præcedere obteſtati eſſent, eà lege portio illis aſſignata fuit, aſſentientibus cæterarum Tribuum Principibus.

De Concione à Moyſe habita. Jam ergo longæ peregrinationis finis inſtare videbatur, & *Moyſes* ſenio confectus promiſſam intrare Terram nequibat, quoniam Deus vetuerat, unde Exercitu ad concionem vocato, totam Regionem, quam ſubigere debebant, quoſque eandem Tribubus per ſortes dividere cupiebat, deſignavit; *Eleazarum* nempe Sacerdotem maximum, & *Joſue*, ſinguloſque Tribuum Principes, de Tribu nempe Juda *Caleb* filium Jephone, de Simeon *Samuelem* filium Ammiud, de Tribu Beniamin *Elidad* filium Chaſelon, de Tribu Dan *Bocci* filium Jogli, de Manaſſe *Hanniel* filium Ephod, de Ephraim verò *Camuel*, filius Septhan, qui Princeps erat deſignatus, de Zabulo *Eliaſaphan* filius Pharnach, de Iſſagar *Phaltiel* filius Ozan, de Aſer *Abiud* filius Salome, de Nephtali *Phedael* filius Ammiud.

De Exercitûs itinere, atque Stationibus. Iter autem totius Exercitûs quadraginta Annorum ſpatio abſolutum eſt, eoque tempore in Deſertis vagati, nec propterea abs re erit, loca, in quibus Caſtra metati ſunt, indicare, ut geſtarum rerum imago faciliùs concipi queat; Moyſes enim ex Ægypto, ùt diximus, Populum eduxit circa Annum Orbis 2453., & Menſe primo, nempe Martio, quem vocabant *Nyſan*, 15. die; profectuſque è *Rameſſe* per Arabiæ Deſerta, quam *Petream* vocant, iter aggreſſus; nè ſi per Regiones alias profectionem inſtituiſſet, bellis ſtatim implicaretur, (erat namque per Phyliſtæorum Regionem traſeundum) primò Caſtra poſuit in *Socoth* in Regione Gozen per Deſertum Etham, è quo venit in Etham, profectuſque manſit in *Phihahiroth*, quæ reſpicit *Beelſephon*, indeque progreſſus, Caſtra poſuit ante *Magdalum*, perque medium mare iter proſequutus, poſt 3. dies itineris per Deſertum venit in *Mara*, ubi montes, qui rubri apparent Navigantibus, *Mare* illud *rubrum* nuncupandi occaſionem dedêre, unde venit in *Elim*, quam aliis etiam nominibus nuncupârunt *Helana*, *Leana*, & *Ayla*, paucisque milliaribus diſtat ab *Azyrbe* Ægypti Urbe, poſteaque ad rubri Maris littora Caſtra poſuit, & locus nunc dicitur *Caſtra*, ſeu *Caſtrum*. Unde venit in Deſertum *Sin* propè montem

tem Oreb, ſub quo Urbs jacet *Helyacar*; indeque profectus, ſubſedit in *Daphca*; quo egreſſus primò in *Alus*, dein in *Raphidim* Caſtra metari juſſit; atque inde in Deſerto *Sinai* propè Urbem *Maratha*, quæ nunc *Civitas Sanctæ Catharinæ* nuncupatur; unde venit in *Tabera*, quem locum *Sepulchra Concupiſcentiæ* appellârunt; inde Caſtra metati ſunt in *Haſeeroth*, unde profecti Tentoria fixêre in *Rethma*; poſteaque in *Rhemmonphares*, quæ Urbs *Rhimmon* nuncupatur; inde in *Lebna*, Reſſa, Ceelatha, quæ dicitur *Neelathe*, inde in *Zepher*, dicta etiam nunc *Zapher* in Deſerto *Sur*, unde venerunt in *Arada*, *Maceloth*, *Thahat*, nunc dicta *Thacad*, *Thare*, *Metcha*, nunc quoque ità dicta Civitas in Regione *Edom*, ſeu *Idumaa* poſita; unde venerunt in *Heſmona*; & hinc in *Moſeroth*, & è *Moſeroth Benejaacan*; atque hinc in *Gadgad* in Deſerto Gades, quæ nunc dicitur *Onligadde*, atque in *Jerebatha*, poſteaque in *Hebron*; atque inde in *Aſiongaber*, dicta nunc *Haura*, Urbs in monte Oreb; unde venerunt in *Cades*, & hinc in montem Hor in finibus Edom, ſeu Idumææ propè Urbes nunc dictas *Oëſine*, *Moſpha*, *Myni*, *Fed*, &c., ibique mortuus eſt *Aaron*; unde profecti vrnerunt in *Salmona*, eſtque Urbs in Regione *Amalecitarum*, inde in *Phunon*, poſteà in *Oboth*, atque hinc in *Jeabarim* propè Urbem, quam nunc vocant *Rabacte* è Regione Moabitarum; Caſtra metati poſteà in *Tibondath*, & hinc in *Helmondoblathaim*; unde Tentoria fixêre ad montem *Abarim*, atque hinc ad Campeſtria *Moab*, occupâruntque agrum de *Bethſimoth* uſque ad *Abelſathim* in planitie ſupra Jordanem contra Jericho, quæ ultima profectio fuit. Quare antequàm ad cætera tranſeamus, repetere liceat, in Caſtris ipſis Civitatem quoad ordinem fuiſſe, cùm nil aliud deeſſe videretur, nisi ager, ut rebus ad vitam neceſſariis perpetuò inſtructa eſſet, nec enim in Mœniis, aut Ædificiis Civitas poſita eſt, unde optimè Themiſtocles monuit Athenienſes, ut adventante Xerxe, relictâ Urbe, Naves conſcenderent, ut Oraculo parerent, quo ſalutem muris ligneis tueri moniti fuerant.

Lex autem, cùm *Ordinem* poſt occupatas Urbes, univerſamque illam Regionem, cujus Moyſes præcipuè ipſe ſitum, & limites antè obitum expreſſit, tum *Religionem* complexa eſt, ùt in principio dictum, ità ut in ea loca conveniſſe Populum, ſedesque fixiſſe, atque ordinem accepiſſe videretur, ut præſcriptam Religionem, explicatumque Naturæ lumen ex integro ſervaret. Regionem igitur *Palæſtinam* nuncupârunt Syriæ partem maximam, quâ nulla in Aſia magis

De finibus promiſſæ regionis.

magìs ferax, jacetque velut in Orbis centro, undique vallibus cincta, habet ab Oriente Montes Arabiæ, quam desertam vocant, conterminos; à Septentrione verò Armeniæ, atque Mesopotamiæ Montibus jungitur, atque ex Occidente Mare, quod Syriacum seu Mediterraneum vocant, Insulamque Cypri, & denique à Meridie Desertum, quod Pharanum nuncupârunt, Ægypto conterminum; longitudine 420., & latitudine 300. milliarium spatium ambit, totaque Regio in 6. Provincias est distributa, *Judæam* nempe, *Samariam*, & *Galilæam*, quæ omnes *Palestinæ* nuncupatione complectebantur; cæteræ *Phœnicia* sunt, *Syria* inferior, quam nunc *Sobann* vocant, & priùs *Ematia* tellus dicta est, ùt etiam *Chyria*, & denique à *Coma*, quam alere præter Populorum Orientis morem consueverant, *Comagena*, & *Syria* quoque *superior* nuncupata.

Terra igitur à Deo promissa *Judeam*, *Galilæam*, atque *Samariam* continebat, & Judeæ Hierosolyma Caput, quæ Regio ab Oriente Jordano flumine, atque Itureâ terminatur; ab Occidente verò Mare, quod Mediterraneum vocant, spectat, atque Samariæ partem; à Septentrione Samariam, & à Meridie Synai Desertum, Urbesque complectitur 13. præter Hierosolymam, quæ suprà montem Sion conspicitur, eamque abluit Torrens Cedron, & *Semum* ædificâsse ferunt, habuitque in illa Sedem *Melchisedech* Rex simul & Sacerdos, à Jebusæis *Jebusalem* dicta; Elamitæ verò nuncupârunt *Eliam*, posteà quoque *Solima* dicta est, nunc verò appellant *Luzam*, aut *Gothsbagyr*; David autem ampliavit, Collesque *Sion*, *Agram*, & *Bezetam* Ædificiis complexus est: Mons ibi supereminet *Moria*, cui præfati Colles jungebantur, & in cujus Valle, quam Visionis dixêre, Urbs ipsa jacet, in quo Abel sacrificâsse, atque ab Abrahamo Isaacum oblatum fuisse traditum est. Vallis quoque *Josaphat* subtùs Montem Olivarum, &c. Aliarumque præcipuæ *Jericho*, *Anatoth*, *Ebro*, *Bethelem*, *Azothum*, &c. *Samaria* verò priùs *Sichem* nuncupata, *Sambriaque* à *Somer* Regionis Principe dicta, atque ab *Amsy* Rege, *Samaria*; fines habet ab Oriente *Arabiam petream*, ab Occidente Mediterraneum Mare, à Seprentrione *Galilæam*, *Judæamque* à Meridie; Urbes complectitur 15., quarum præcipuæ *Samaria* Caput rerum, quam dixêre *Sebastem*, in monte, qui *Someron* nuncupatur, ubi Templum erat Baal, infraque jacet Judæ proditoris Patria; reliquæ sunt *Ephraim*, *Sichem*, *Arimathea*, seu *Ramata*, ubi *Samuel* degebat, nunc

dicta

dicta *Joppe*, *Berſabaam*, quam Abraham coluit, *Orma*, *Ramoth*, *Madian*, &c.

Galilæa denique in inferiorem, & ſuperiorem *Traconitidem*, & *Abilinam* diviſa terminatur *Arabiâ petreâ* ad Orientem, mediterraneo Mari ad Occidentem, *Phœniciâ*, & *Syriâ* ad Septentrionem, *Samariâque* ad Meridiem, Urbesque præcipuæ ſunt *Nazareth*, *Bethulia*, *Genezaret*, *ſeu Tyberiades*, *Bethſaida*, *Galgala*, *Capharnau*, *Cæſarea Philippi*, *Abila*, *Gades*, *Tolemaida*, &c., quam nunc *Accon*, ſeu *Anapho* vocant, &c.

De obitu Moyſis.

Quam Regionem eâ tempeſtate incolebant *Amorrhæi*, *Chananæi*, *Gergeſæi*, *Hethæi*, *Hevei*, *Jebuſæi*, & *Pherezæi* præter *Philiſtæos*, ſeu *Paleſtinos*; univerſam verò Jordanes in 2. partes videtur curſu ſuo diſtribuere, uſque ad *Aſphaltidem* Lacum, à quo abſorbetur, ubi magnæ illæ Urbes erant, quæ cæleſti igne conflagrârunt propter ſcelera, & nunc veſtigia manent, ipſaque tellus cuncta, quæ ſpontè naſcuntur, in cinerem vertere videtur.

De Lege univerſa.

Moyſes ergò, cùm futura proſpiceret, extremumque adeſſe diem noſceret, cunctis Dei Præceptis pro concione repetitis, ſancitoque iterum ſolemni fœdere, quô Populus Legem ipſam ſervare juravit, præſcriptisque ceremoniis ac ritibus judiciorum, Joſue ſibi ſuffecit, qui Populum duceret, Regionemque ſubjugaret, ùt Deus præceperat; & poſtquàm etiam ſingularia, maximaque Dei beneficia enumeravit, benedictis Tribubus aſcendit in montem *Abarim*, contemplaturus univerſam Regionem; quam cùm obſervâſſet, ibi tandem cùm 120. annorum eſſet, *mortuus eſt, nec cognovit homo ſepulchrum ejus*, luxitque eum Populus 30. diebus.

Præter autem Edicta illa perpetua omnibus nota, quibus profanas *Deorum* imagines mortalibus materiis in ſpecies hominum effictas aſpernari, *unumque ſummum & æternum ac immutabile Numen* colere, proximumque diligere, interque ſe mutuam fovere concordiam præcipiebatur, Dei colendi ritum, ùt ipſe juſſerat, præſcripſit; adeoque quodnam *Pontificis* munus, quodque *Sacerdotum & Levitarum* docuit, ùt quæ *Sacrificia*, quæ *victimæ* immolandæ, quique *dies feſti* eſſent, pœnasque ſtatuit pro delictis, cæteraque jura, quibus *Reſpublica* tueri, conſervarique poterat; Atque de iis, antequàm cætera percurramus, eſt nobis diſſerendum. Et ut à *Religione*, cujus pars ipſamet erat *Politia*, exordium faciamus, *Pontifex* primò ſe offert, *Summus* nempe *Sacerdos* & *Religionis Caput*, primusque *Aaron* de Tribu

Levi ſolemni ritu fuit conſecratus, debuit namque Dei monitu *offerri, aquâ lavari, ſacris veſtibus indui, Capitique oleum ſanctum ſuperfundi*, peractoque Sacrificio, cùm altare, tum veſtes ſanguine Victimæ aſpergi oportebat.

De Pontifice maximo

Primò igitur oblatus *Aaron* à Moyſe ante fores Tabernaculi fuit, advocatô Populo; cumque laviſſet eum, *ſubuculâ* induit *lineâ, baltheoque* accinxit, induitque *tunicâ hyacinthinâ*, quam ſuprà impoſuit *humerale* ſeu *Ephod*, quod cingulo aptavit rationali ſeu *Coſchen*; quoniam rationis ſedem & Cordis cingeret, exque auro & purpura, Choccoque, atque gemmis confectum erat, in eoque inditi lapides *Urim* & *Thummim*, quibus *Doctrina* & *Veritas* exprimebatur. Caput autem texit *Cydari* ſeu infulà, ſuperque eam conſecratam auream laminam contra frontem poſuit, oleoque linivit *Tabernaculum* cum omni ſupellectile; cumque Sacrificans aſperſiſſet altare 7. vicibus, unxit illud, & omnia Vaſa ejus, labrumque cum baſi ſuo ſanctificavit oleo, quod fundens ſuper Caput *Aaron*, unxit eum, conſecravitque eo ritu, ut *Vitulus* offerretur pro peccato, ſuperque Caput ejus *Pontifex* manum imponeret, poſteà verò immolabatur hauſto ſanguine, quô Pontifex digitum, eôque cornua altaris per gyrum aſpergebat, reliquo circùm altare fusô; *adeps* autem, *reticulum jecoris, duoque renes cum arminulis* adolebantur ſuper altare, cætera verò extra Caſtra cremabantur. Offerebantur etiam *Arietes* duo in holocauſtum, alter cum manuum etiam impoſitione, fuſoque ſanguine per circuitum altaris, atque in fruſta conciſus, lotisque partibus ſimul incendebatur ſuper Altare: alter verò poſitis etiam ſuper Caput manibus à Moyſe immolatus eſt, exceptoque ſanguine, de eo extremum auriculæ dexteræ *Pontificis*, manûs etiam dexteræ ſimiliter & pedis tinxit, fuſoque reliquô ſuper altare per circuitum, *adipem, caudam* & *pinguedinem*, quâ inteſtina operiebantur, *reticulumque jecoris, duosque renes* cum adipibus ſeparavit, acceptoque azymo pane, collyridaque oleo conſperſa poſuit ſuper adipes, omniaque ſimul tradidit *Aaron*, qui cùm ea levâſſet coràm Domino, rurſus reddidit *Moyſi*, fueruntque adoleta ſuper altare holocauſti; Erat enim Sacrificium in *Odorem ſuavitatis*; tunc elevato *pectuſculo*, aſſumptoque unguento & ſanguine, quem Phiala exceperat, atque in Altari repoſuerat, aſperſit ſuper *Aaron*, veſteſque ſuas, ut ſanctificaretur, præcepitque, ut carnes coqueret ante fores Tabernaculi, & ibi veſceretur; panes quoque Conſecrationis ederet, juſſerat namque Deus, Aaron & filios comedere

illos,

illos; quidquid autem supererat, debebat ignis absumere; Non licebat autem per 7. dies, usque quô completa esset consecratio, ex ostio Tabernaculi exire. Tria quidem illa membra ideò sanguine tingebantur, ut Pontificem indicaretur nedum sermone, sed opere, totâque vitâ purum esse debere; auditus enim sermones denotabat, manus opera, pes vitæ cursum; eodemque ritu Sacerdotes initiabantur; Moyses namque *Aaron* Pontificatu maximo, filios Sacerdotio iisdem Cæremoniis inauguravit, post quas, alias mactavit Victimas tum pro Sacerdotibus ipsis, tum pro Senatu ac Populo universo, & *Aaron* introduxit in Tabernaculum, quæ omnia 8. die peracta sunt, absumptis 7. reliquis ad fratrem, ejusque filios initiandos.

Prohibebatur autem *Pontificem* initiari, qui aliquô laboraret vitiô corporis, essetque mancus, debilis, cœcus, claudus, habens maculam, albuginem, aut alia hujuscemodi; hinc Philo, *sacrificare*, inquit *nulli Sacerdoti, nisi integro permittitur, cui nè minima quidem insit labecula*, & ex Josepho Sigonius notat, ideò Aristobolum *Hyrcano* fratri, cui *Pontificatum* abrogaverat, nasum præcidisse, ut nulla deinceps dignitatem suscipiendi facultas superesset.

Prohibitum autem Lege *Pontifici* fuit, nudare Caput, vestimenta scindere, atque ad mortuos ingredi, etiamsi Pater, Materve esset, nec de *sanctis* egredi, nè pollutum redderet *Sanctuarium Domini*, cùm oleo sanctæ Unctionis sacer esset. Virginem debebat in uxorem ducere, deque suo Populo, nè cum plebe cætera stirpem generis communicare videretur, viduam enim & repudiatam & sordidam, aut meretricem accipere omninò prohibebatur, eamque nè aspicere quidem permissum erat, etiam si relictô questu rediisset ad bonam frugem, cùm polluta semel corpore fuerit.

Dignitas autem sicut primùm Dei beneficio *Aaroni* data, ità posteritati ejus perpetuò adhærere debebat, ùt habetur Exod. 28. & seq. aliisque in locis; quare eô mortuô filius *Eleazar* Pontificatum adeptus est, postque eum filius Patrem recipiebat, nec usque ad reditum ex Babylonia exivit ab ea familia; posteà verò Reges invertere ordinem visi sunt, cùm eorum operâ alii etiam adepti essent, licèt de Tribu Levi, præsertim verò Syriæ Reges, & Judæorum Proselytæ, ac Romani Syriæ, Judeæque Præpositi. Inversa etiam temporum ratio, cùm è perpetuo ad tempus deferri videretur. Judæis autem reversis in sedes suas, *Pontifices*, qui primùm *sacra* solummo-

dò curabant, Principatum etiam occupârunt, & *Hasmonaa familia* adeò *Pontificatum cum Principatu* miſcuit, ut Principatum ipſum in Regnum vertiſſe viſa eſſet, ùt infrà.

Pontifex autem Sacra omnia quocunque tempore peragendi habebat facultatem, eiique ſolummodò templi adyta, quæ *ſancta ſanctorum* nuncupârunt, penetrare fas erat; idque peragebat expiationum feſto ſemel in anno, dicatâque ſacris piacularibus horâ; ac licèt ſcripſiſſet Joſeph, eumque ſecutus Carolus Sigonius, duobus etiam amiculis *Ephod* nempè & *Coſchen* indutum, cùm etiam *templi adyta* adiret, fuiſſe Pontificem; ex Levitic. tamen Capit. 16. patet evidentiſſimè, veſtibus duntaxat albis uſum eſſe in *templi adytis*, quæ, *tunica* erant, *Bracha*, *Cingulum* & *Infula*, quæ quidem communia cum cæteris Sacerdotibus erant, quas tamen *Pontifex* in adyto duntaxat gerere debebat, cùm aliàs peculiaribus illis, quas diximus, veſtibus indutus debuiſſet incedere, cum quibus etiam exterius *Sanctuarium* adibat, interiùs verò, *Sancta* nempe *Sanctorum*, nunquam penetrare licebat, nisì albis veſtibus, quas *Laban* Hebræi dixêre, ac propterea 10. etiam die menſis Tiſri, quô tempore omnes jejuniô Deum colere tenebantur, pro Sacris extra adytum peragendis peculiares ſuas veſtes induere tenebatur.

Infula verò faſciæ quædam erant in orbem circumactæ, quemadmodum Arabum *Thiara*, cùm *pilei* Sacerdotum eſſent ad inſtar *Galea*. Illô autem expiationum die, antequàm Sanctuarium ingrederetur indutus albis veſtibus, ùt dictum eſt, *Vitulum* offerebat pro peccato, unumque *Arietem* in holocauſtum; *cumque* Levitic. 16. *obtulerit vitulum, & oraverit pro ſe ac domo ſua, 2. hircos ſtare faciet coràm Domino in oſtio Tabernaculi Teſtimonii, mittensque ſuper utrumque ſortem, unam Domino, & alteram Capro emiſſario, cujus exierit ſors, Domino offeret illum pro peccato.* Dein ingreſſus adyta, odoramenta inferebat cum ignitis carbonibus, ut ibi multo ſuffitu fumus circumquaque obſuſus, & viſum obſcuraret, nec ſineret proſpicere longiùs; ea enim adytorum templi Religio erat, ut nemo præter *Pontificem* adiret, eôque duntaxat die, imò *is ipſe Pontifex*, inquit Philo de legation. ad Cajum, *ſi duobus anni diebus aut eodem die ter quaterque introierit, capite luet absque venia.*

Quare D. Auguſtinum, eumque ſecutum Sigonium deceptos advertit Cunæus, cùm ſcriberent, Pontificem quotidie *Sancta Sanctorum* ingreſſum, ad adolendum thura. Anniverſariâ autem expiatione

tione cum ſanguine purificationis ingreſſum eſſe; addiditque Sigonius, eum quotidie quidem *Sanctuarium* eſſe ingreſſum, ſed Sacerdotum comitatu ſtipatum; ſemel autem in anno ſolum ſinè Sacerdotibus in die expiationum. *Sanctuarium* enim intrà velum erat, & Arca cum operculo propitiatorio, atque ibi ingrediebatur *Pontifex* duntaxat ſemel in anno, rogabatque pro ſe, domoque ſua, & univerſo Cœtu Iſraël, ea peragens, quæ præceperat Deus, nullaque ibi erat Incenſi Ara, ad quam Pontifex thura adoleret, cùm locus ille, in quo altare erat, velô ab ipſis adytis diſcretus cerneretur, unde *adytum* intra velum: Incenſi & ſuffituum *ara*, antè, ùt Exod. 30. habetur: *Fac aram Incenſi è lignis Sethim, atque eam aurô obduc, pariterque latera ejus, & cornua. Pone autem eam ante velum, quod ante operculum propitiatorium eſt, ut adoleat ſuper illud Aaron ſuffitum Aromatum unoquôque manè.*

Oraculum etiam edebat *Pontifex,* arcam reſpiciens, cùm à tergo eſſet, qui reſponſum exſpectaret; cumque de rei eventu ſciſcitaretur, ille Divino ſpiritu afflatus, poſtquàm *Rationale* inſpexiſſet, quid futurum eſſet, edebat; feruntque ex litteris mirum in modum illic protuberantibus accepiſſe reſponſum. Sed nec privatis, nec plebi *Pontificem* ad conſulendum adire permiſſum erat, cùm duntaxat Summi Judices, Reges, Populique univerſi Legati de rebus magni momenti *Pontificem* eâ ratione conſulerent. Ceſſavit autem poſt Templi inſtaurationem reſponſa reddere, nec propterea conſulebatur ampliùs, referuntque Thalmudiſtæ, illinc propter transgreſſiones Legum *vim Numinis* abſceſſiſſe; ſed nec in ſecundo Templo lapides iidem fuêre, quoniam cum unguento, quod confecerat Moyſes, in loco abdito poſuit Joſias, ùt *Arcam* quoque fœderis, & Aaronis *baculum*, cùm Aſſyrios ſolo Templum æquaturos ſciret; nec poſtquàm Babylone reverſi, Templum denuò exſtruxêre, ampliùs invenerunt; adeoque alios lapides effecêre, atque in Amiculum *Choſchen* indidêre, ut ornatus ſervaretur à Moyſe præſcriptus; unde ſplendeſcere deſierunt, cùm anteà fulgerent adeò, ut *Numen* eorum auxilio adeſſe pateret omnibus, ùt Joſeph inquit; adeòque præſentem vim *Numinis* ex illo tempore Sacris quàm plurimis defuiſſe, & vim ignis in poſteriore Templo etiam exſtinctam eſſe, tradidêre Thalmudici.

Sacra autem Pontificis extra Adytum indumenta adeò glorioſum putârunt cuſtodire Judæi, ut, cùm Romani eum ademiſſent hono-

honorem, adeò ægrè tulerunt, ut nunquam quieverint, donec beneficii locò idipſum impetrarent, ſervabantque in Turri ab Haſmonæis condita, quam Herodes *Antoniam* appellavit. *Pontifici* autem veſtem ſcindere nefas erat, licèt Thalmudici circùm duntaxat pedes licuiſſe tradiderint, cùm Sacerdotibus cæteris à ſummo uſque ad imum, ut animi dolorem oſtenderent, lacerandi facultas eſſet.

Habebat autem in Templo Ædem, quæ Conclave Pontificis dicebatur, in eaque manebat interdiù, licèt in ipſa Urbe alia ei domus eſſet, extra enim Hieroſolymam degere fas non erat.

De Sacerdotibus.

Sacerdotes autem fuêre perplurimi ſub uno Pontifice, deque ejus familia aſſumebantur; primi namque fuêre Aaronis filii *Nadab*, *Abiu*, *Eleazar*, & *Ithamar*, atque ab iisdem Sacerdotum cæterorum, ùt & Pontificum progenies prodiit, eodemque ritu, ùt diximus, conſecrabantur, veſtes lineas habebant communes cum Pontificibus, quando nempe expiationum die Pontifices adytum templi penetrare advertimus; ac licèt aliquando induiſſe Ephod certum ſit, illud tamen, ùt D. Hieronymus advertit, lineum erat, & ſimplex, non ùt Pontificis alterum, diverſis coloribus ex Auro, Purpura, Byſſo, Hiacyntho, Gemmisque contextum; ac ùt Pontificis munus erat, Sacra omnia curare, de quibus infrà, ità Sacerdotum, Sacrificium peragere quotidianum, diebusque feſtis Sacrificium Populi offerre: pelles etiam holocauſtorum detrahebant, incenſumque offerebant ſingulis diebus; Vaſa etiam Tabernaculi inſpicere, & Olea conſervare tenebantur, ùt habetur Num. 4. & 6. prim. Paralypomenon. Unde D. Paulus 8. ad Hebræos: *Chriſtus Pontifex*, inquit, *non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum reliqui Sacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi.*

Davidis ætate cùm excreviſſet *Eleazari* Poſteritas, eſſentque Familiæ 16. Rex ipſe Claſſes conſtituit Sacerdotum 24., eisque nomen è Familiæ Principibus dedit, quæque prima eſſet, ſorte diremit, quæque ſecunda, & ſic deinceps, ùt 24. primi Paralypomenon habetur, cùm noluiſſet Sacerdotes omnes Sacra facere quotidie, adeòque Claſſi cuilibet ſuam aſſignavit Ephemeriam, quâ Sacris operaretur, atque ut Claſſium ordinem ſorte duxit, ità Sacerdotes ſingularum Claſſium, ut, quo quisque officio in ſua fungeretur hebdomade, eos non lateret; Et porrò Sacerdotum numerus mirum, quantùm procedentibus temporibus abundàrit! unde Joſephus 2do contra Appionem: *Licèt*, inquit, *ſint* 24. *Claſſes Sacerdotum, quarum ſingula*

singula plùs quàm 5000. *hominum habeant, per certos tamen dies particularis fit observatio, quibus transactis, alii succedentes ad Sacrificia veniunt, & convocati in Templum meridie, à præcedentibus Claves Templi, & ad numerum vasa omnia accipiunt, nullâ re, quæ ad esum, aut potum attinet, in Templum illatâ.* Erantque omnes ex Tribu Levi, imò is, qui Sacerdotium habiturus erat, nedum ex ejus Gentis nasci muliere, sed genus per antiquam lineam, & multis testibus approbare tenebatur, unde Josephus 1. contra Appionem non solùm in ipsa Judæa, sed ubicunque Gentium morem illum servari fassus est: *Mittunt enim*, inquit, *Hierosolymam conscribentes à Patre nomen Nuptæ, & antiquorum progenitorum, qui hujus rei testimonia præbuêre; Si autem bella eveniant, tunc qui de Sacerdotibus supersunt, probant mulieres, quæ relinquuntur, non enim ad captivas accedunt, & alienigenarum consortia formidantes, ac Pontifices apud nos à* 2000. *annis denominati, filii à Patre conscripti sunt. Si quis verò prævaricetur, interdicitur, nè aut ad Altare accedat, aut aliâ sanctificatione fungatur.*

Sicut autem erant Principes Cognationum, & Familiarum, ità Sacerdotum Classibus, præter *Summi Pontificii* fastigium *Principes* præerant, qui & Pontifices dicebantur; unde nîl est, quod miremur, ùt optimè advertit Sigonius, in Sacris Libris Summum Sacerdotem sæpiùs *Pontificem Maximum* denotare, & *Summos* etiam *Sacerdotes* ad *Classium Principes* referri; Hinc: *Adduxerunt*, ait D. Marcus 14. *Jesum ad summum Sacerdotem Caipham, summi verò Sacerdotes quærebant adversùs Jesum testimonium*; ad Pontificem namque maximum convenerant Præfecti Sacerdotum Classibus, & Concilium illud, quo Christi judicium fuit agitatum, inibant cum ipso Pontifice.

De Levitis.

Levitæ verò omnes à Tribu Levi dicebantur; atque ùt è Familia Aaron Pontificum, & Sacerdotum prodiit genus, ità è reliquis Familiis ab ipso Levi descentibus cæteri Sacrorum Ministri Levitæ nuncupati; ille namque filios reliquerat *Gerson*, *Chaad*, & *Merari*; ex Chaad verò *Ambram*, *Isaar*, *Hebron*, & *Oziel* nati, atque ex Ambram, *Moyses*, & *Aaron*, unde à reliquis Levitæ omnes provenêre. Tenebantur autem in Tabernaculo fœderis ministrare, & custodire, quæ ibi fuerant mandata; operari autem Sacris nequibant; vasa quoque, omniaque utensilia custodiebant, & Arcam fœderis deferebant, ministrabantque Sacerdotibus, ùt habetur Num. 1. & sequ.

David autem Rex Levitarum alios Sacerdotum, & Templi Miniſtros conſtituit, Scribas alios, & Judices, Cantores etiam, & Janitores, ùt primi Paralypomen. 23. & 8. ſecundi ſcriptum eſt; eratque Miniſtrorum numerus 24000., Scribarum, & Judicum 6000, Cantorum 4000., totidemque Janitorum, qui in Claſſes diſtributi 24., ſuos etiam Principes habuêre, ùt 8. primi Eſdræ habetur, quem ordinem cæteri ſecuti Reges ſuas quoque Ephemerias Levitis aſſignàrunt, & *Joſias* iisdem Sacerdotum locò detrahere pelles holocauſtorum mandavit, unde ſecundi Paralypomenon 26. ſcriptum eſt: *Levitæ ſteterunt in turmis juxta Regis imperium, & detraxerunt pelles holocauſtorum.* Et Ezechielis 44. *Levitæ erunt in Sanctuario meo Æditui, & Janitores portarum domûs, & Miniſtri domûs. Ipſi mactabunt holocauſtum, & victimas Populi, & ipſi ſtabunt in conſpectu eorum, ut miniſtrent eis, non appropinquabunt ad me, ut Sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne Sanctuarium meum juxta Sancta Sanctorum.* Cantores autem canebant in *Organis*, *Tuba*, *Cymbalis*, *Pſalterio*, *& Cythara*, Hymnos Domino, *tunicis byſſinis* induti, ut à Sacerdotibus, qui lineas habebant, diſtinguerentur, de quibus, ùt de Janitoribus, eorumque officio, & quomodo ſortibus fuerint æqualiter diſtributi, diſertè in Libris Paralypomenon habetur. Erant quoque alii, qui *Nathynei* dicebantur, olim *Gabaonitæ* nuncupati, & Levitis in miniſteriis ſuis operam præſtare tenebantur, unde *Levitas* Diaconos, hos verò *Subdiaconos* Sigonius nuncupari poſſe ſcripſit, Regemque David authorem novi Nominis, non verò officii fuiſſe advertit; hinc Joſue verſic. 9. & 20. habetur: *Liberavit Joſue Gabaonitas de manu filiorum Iſraël, ut non occiderentur, decrevitque eo die eos eſſe in miniſterio cuncti Populi, & Altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes uſque in præſens tempus in loco, quem elegiſſet Dominus.*

De Ritibus Sacrorum.

Sacrorum verò Rituum apud Hebræos alii Cultum Dei reſpiciebant, alii Sacrificantium utilitatem, ut nempe mala averterent, & cupita aſſequerentur; adeoque diverſimodè ſacrificabant. *Holocauſtum* namque ad ſolum Dei cultum pertinebat, victimaque ex puris animalibus maſcula, juvencus nempe, hœdus, ſive agnus offerri debebat, lotisque manibus capiti impoſitis, Sacerdoti tradebatur, qui poſtquàm excepiſſet, fuſiſſetque ſanguinem per Altaris circuitum ante oſtium Tabernaculi detracto tergore, artubusque in fruſta conciſis, ignem in Altari ſubjiciebat, cæſis membris deſuper ordinatis, ablutis priùs inteſtinis, ac pedibus; tumque adolebat ſuper Altare in

in holocauſtum ſuavitatis; Nefas autem erat profano igne ante Babylonicam tranſmigrationem hoſtias incendere in holocauſtum, qua de cauſâ *Nadab*, *&* *Abiu* filios Aaron egreſſus ignis à Domino devoravit, unde D. Auguſtinus: *Holocauſtum eſt totum incenſum, ſed igne Divino.*

Hoſtia verò Pacificorum, ſive *ſalutaris* aut *ad votum* erat, aut *ad gratias Deo agendas*, quoniam nulla adverſa immiſerat; & propterea laudis dicebatur, nihilque intereràt, an victima eſſet maſcula, ſive fœmina, *adepsque* ſolummodò, quo vitalia operiuntur, & *quidquid pinguedinis* eſt intrinſecùs duos renes, cum *adipe*, quo teguntur Ilia, & *reticulum jecoris* cum *renunculis* incendebantur in odorem ſuavitatis; *pectuſculum* verò, & *armum* Sacerdos accipiebat, ut comederet in loco mundiſſimo, cum filiis, atque filiabus, unde Levit. cap. 10. *Pectuſculum, quod oblatum eſt*, & *armum, qui ſeparatus eſt, edetis in loco mundiſſimo tu, & filii, & filiæ tuæ tecum; tibi enim, & liberis tuis repoſita ſunt de hoſtiis ſalutaribus filiorum Iſraël, eò quòd armum, & pectus, & adipes, qui cremantur in Altari, elevaverunt coràm Domino, & pertinent ad te, & ad filios tuos Lege perpetuâ.*

Cætera, ei, qui obtulerat, cedebant, ut duobus diebus epularetur; nec enim aliquid ſupereſſe in tertium fas erat; cùm enim, ùt Philo advertit, pro ſalute corporis, & animæ oblatio fieret, ſuus cuique dies epularis tribuebatur, cùmque nil eſſet tertium, cui propriè quæratur ſalus, vetitum erat proferri Epulum in tertium diem. In laudis autem Sacrificio non biduo poterant epulari, ſed primâ die oportebat quidquid privatorum eſſet abſumi, ut qui experti eſſent propenſum favorem cæleſtis Numinis, de illo Sacrificio ſinè cunctatione aliis impertirentur.

Ritus autem ſacrificandi *pro peccato, delictoque*, capit. 6. & 7. Levitis traduntur; offerebatur quoque *fertum* ex *ſimila oleo*, & *thure* confectum, coctumque in clibano, ſartagine, aut craticula, ſeu *frumentum igne toſtum*, & pars incendebatur; pars verò Sacerdotum erat; & ritus Sacrificiorum hujuſcemodi 2. & 6. Levitic. traduntur, ùt quoque Num. 15.

Erant ritus etiam, quibus *Sacrificium mundationis* peragebatur pro *puerperis*, *leproſis*, *ſeminifluis*, *&* *menſtruoſis*; *Expiationis* quoque ad *Sanctuarium*, *&* *Populum labe pollutum*; omneſque traditi ſunt Levitic. 12. 13. 15. & ſequ. De eo verò expiationis, ſeu propitiationis habetur Cap. 16., & nos aliqua ſuprà tetigimus.

Pontifex autem manè adolebat Incenſum ad Altare *Thymiamatis*, unde Exod. 11. *Candelabrum ſtabit cum lucernis ſuis, & Altare aureum, in quo adoletur Incenſum coràm Arca Teſtimonii. Poſuit & Altare aureum ſub tecto Teſtimonii contra Velum, & adolevit ſuper eo Incenſum Aromatum*, & 2. ſecundi Regum : *Elegi Aaron ex omnibus Tribubus Iſraël in Sacerdotem, ut aſcenderet ad Altare meum, & adoleret mihi Incenſum* ; ſed & Incenſum offerebant quotidie Sacerdotes, ùt 4. Num. habetur; eorum enim officium erat, olea conſervare, vaſa Tabernaculi inſpicere, quotidie Incenſum offerre, & Sacrificium facere, ùt dictum eſt; Diebus verò Feſtis *Pontifex* unà cum Sacerdotibus ea peragebat, ad eumque pertinebat quotidie in Tabernaculo concinnare lucernas, ſingulisque hebdomadibus panes propoſitionis conficere, ac ſibi habere.

Sed & ex Lege, aut voti causà, ſeu ſpontè *dòna ſacra* offerebantur, unde Num 29. *Hæc offeretis Domino in Solemnitatibus veſtris, præter vota, & oblationes ſpontaneas*; *Et ex voto* erant, dum bonum aliquod à Deo precabatur, ejusque impetrandi causà aliquid Deo offerebatur, unde Judic. 11. *Votum vovit Domino, dicens, ſi tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egreſſus de finibus domûs meæ, eum holocauſtum offeram Domino* ; Et in Templum, ùt cuncta cætera dona, deferebantur; qui autem *animam ſuam* Deo voverat, pretio etiam poterat redimere, ùt habetur Levitic. Cap. extremo.

De his autem, quæ ex Lege offerebantur, mox Leges ipſas explicando dicemus.

Imaginem ergo Reipublicæ velut ob oculos ponamus, ut quomodo Lex etiam ad eum ſe conformaverit ordinem, agnoſcere facillimum reddatur.

De Moyſis Politia.

Moyſes igitur Rempublicam vel è Caſtris fundaturus, omnia reſpexit, quæ nondum *Divino Numine* afflatus circa ipſum Dei cultum verſabantur, ſed quæ ipſam *Reipublicæ* diù duraturam *Politiam*, ejusque incrementa ſpectabant; Hinc nedum ut penès *Optimates* ſumma Poteſtas eſſet, providit, ſed ut Reipublicæ Caput *Optimus* Civium eſſet; debebat namque conſulto Numine *à Sacerdote maximo* oſtentari, & ſi aliquando Regis deſiderium eos tangeret, modum in eligendo præſcripſit, quodque jus Regis eſſet, definivit; communem Urbem, quæque *Caput* eſſet rerum, ſtatuit, ibique ſtatis temporibus convenire Populum, Sacra facere, atque epulari juſſit, ut ità amici-

tiæ

tiæ nexu vincirentur, colerentque inter ipfos pacem, atque ad bella fufcipienda, arcendasque Sociorum injurias paratiffimi effent; ità Civitas una, eademque Lex, & Religio, frequensque Conventus, & Epulæ firmabant animos, ut æqualis inter eos labores, periculaque fubeundi ardor effet. Ut autem in certos ordines univerfi Populi fieret diftributio, eum in Tribus 12. primò diftributum divifit in Cognationes, atque Familias, Præfectis cùm Tribui unicuique, tum Cognationibus, & Familiis fingulis conftitutis. Quem ordinem fi intueâre, ad exemplar penè ipfius, Legislatores cæteros Refpublicas ordinâffe, dixeris. In eis namque Græcorum & Tribus, & Philas, Phratriasque Cognationibus, atque Familiis correfpondentes invenies, ut apud Hetrufcos, Latinosque veteres; quorum exempla fecutus poftmodum Romulus, Tribubus quoque, Curiis, Decuriisque Populum univerfum complexus eft; Moyfes autem fubliniori lumine Populi ordinem conftituere aggreffus, illam *Statûs rationem* in eam Rempublicam invexit, ut arcta effent inter *ejufdem Tribûs* homines vincula, arctiora inter eos, qui *ex eadem Cognatione*, arctiffimaque adeò inter *ejusdem Familiæ* Viros, ut nil fuprà excogitari queat; omnes namque Communio Sacrorum, & Legis, Epulæ quoque, Conventusque in præcipua Reipublicæ Sede copulabant; & nedum diffenfionum femina arcebantur, fed imò æqualitatem Agrariæ Leges inferebant, & nuptiarum Legibus cavebatur, ut bona perpetuò in eadem Familia effent, utque novis matrimoniorum nexibus inter fe vincirentur.

Ad augendum quoque Populum aptiffimas Leges tulit, & nè è fuis Regionibus abeundi occafio effet, Urbes refugii ftatuit: Cives quàm optimos cum facris Legibus, tum agricolatione præcipuè efficere ftuduit, atque effictorum Numinum odio, ampliandæque Religionis, quàm à Deo acceperat, ftudio, inflammavit ad bella. Et quidem objectum erat, ut nec intrà Paleftinæ fines victor Populus fifteretur, cujus incolas ad internecionem ufque deleri oportebat, fed & Regiones alias fubjugare, finesque Imperii augere; ità enim fcriptum eft Deuteronomii cap. 20.: *Sic facies cunctis Civitatibus, quæ à te procul valde funt, & non funt de iis Urbibus, quas in poffeffionem accepturus es.* Jus enim fœciale præfcripferat, quo cum iis agere oportebat. Jura autem Majeftatis penès Senatum illum 70. Virorum fimul cum Principe effe voluit, qui perpetuò in loco, quem elegerat Deus, *Caput* nempe *rerum*, manere tenebatur; un-

de circumire Senatum ipſumTribus reliquas, conventusq; Populi luſtrare, atque ut Magiſtratus ritè eligerentur, curare oportebat; & quidquid cæteri Magiſtratus, Judicesque in tota Regione, atque in loco ipſo deliberare nequibant, eorum Jurisdictionis eſſe debebat, ad eosque propterea ferri extremam provocationem opus erat; unde procedentibus temporibus, quibus Senatum illum poteſtatem exercuiſſe ſuam agnoſcitur, præter Principem, alterum, quem Judicii Patrem vocârunt, Principis nempe Vicariũ, fuiſſe Thalmudiſtæ docent; Populo tamen & pars regundæ Reipublicæ data, Regem enim in Comitiis conſtituere debebat, ſi eum voluiſſet, deque pace, & bello deliberabat, cæteraque, in quibus ſumma Reipublicæ verſabatur, conſultabat; hinc accedere ad Urbem rerum Caput, Tribuum, Cognationum, & Familiarum Principes tenebantur. Unde mirari non deſino, cur Sigonius pulcherrimam adeò Reipublicæ unitatem, atque indiviſibilitatem introſpicere omiſiſſe videatur, & tres Reſpublicas conſtituiſſe Moyſem effinxerit, univerſam nempe totius Regionis: in unaquaque Tribu aliam; tertiamque in ſingulis Civitatibus, licèt ſuprema illa magni Concilii Jura in Urbe, quæ principem tenebat locum, agnoverit; adeò enim erant connexa omnia ſimul, ut in unum corpus ritè concinnatum coaleſcere debuiſſent, parteſque nullo nexu, aut inæquali fœdere aptatæ videbantur, cùm ex ſe nullum corpus eſſent, ſed uno ſpiritu, legeque unâ regi oportebat, nec aliquid erat peculiare uni, altérive Tribui, quo jure cæteræ non fruerentur. Ad vitandum verò Sacerdotiorum ambitum unam ſtatuit Familiam, quæ *Pontificatu maximo, Sacerdotioque* ſimul emineret, unamque Tribum Sacrorum miniſterio addixit, cùm cæteri de Tribubus reliquis Agricolæ eſſent, & Milites.

Hinc Reipublicæ rationem parùm percepiſſe viſi ſunt, qui Judæorum Leges, eos iisdem Regionibus velut incluſiſſe, ſcripsêre, cùm proferendis Imperii finibus nedum impedimento erant, ſed Populos alios ad Judæorum odia concitabant, eô innixi fundamentô, quòd Populus teneretur univerſus Hieroſolymam adire quotannis, donariaque in templum ferre, & peragere Sacrificia; proptereaque gentes cæteræ eam neceſſitatem concoquere nequirent, & illorum Sacra gentis indoli accommodata ægrè ſuſcipi à reliquis poterant, quique Sacris illorum initiabantur, non eôdem, quò indigenæ dignitatis loco aut gradu cenſeri ſe videbant; quæ nobis ex ipſo Sacri Codicis contextu adeò levia viſa ſunt, ut nec attendi mereantur;

patet

patet namque, ùt diximus, præter Regionem, quæ velut hæreditas illi Populo à Deo promissa erat, quamque jure belli, & cum totius Gentis internecione parare tenebantur, debuisse etiam in Regiones alias Dei Legem propagare, licèt cum reliquis Gentibus jura belli servare tenerentur; quòd si 7. illa Noachi præcepta suscipere detrectâssent, cùm Religio nulla, Numinisque observantia esset, nec superstites relinquendi erant tanquam barbarie atque immanitate efferati; Quid ergò vetabat, si bella gessissent, & nec partis Regionibus desides egissent, subactas Gentes sub Imperium accipere, Legesque dare, quêis obstrictæ manerent? Aut quid poterat arcere Victorem Populum, nè in devictas Regiones superexundantem multitudinem transmitteret, incolis aliò migrare jussis? An quia Templum Hierosolymæ erat, illudque ter quotannis debebant adire universi? Sed & Judæorum pars maxima per Ægyptum, Græciamque, omnemque Asiam, & Africam sedes suas posuerat, Legesque servabat, & mores patrios, Legatos mittens Hierosolymam, ut donaria, pecuniamque in templum importarent. Undè Tacitus, immensæ opulentiæ templum fuisse, illucque spretis etiam Religionibus Patriis, stipes & Tributa undique congesta, tradidit; Atque hinc *Synagogas* institutas fuisse, palam est; cùm enim Templum adire nequirent, eô conveniebant orandi, docendique causâ, unde Actor. 15. *Moyses à temporibus antiquis habet in singulis Civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabathum legitur*, & 9. *Paulus petiit à Pontifice Epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus Sectæ* (Christianæ scilicet) *Viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem*; easque Gentiles etiam aliquando exstruxêre, ùt illa 7. Lucæ. in Capharnaum à Centurione Romano, undè Judæi: *dignus est*, inquiebant, *ut fanes illi servum, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ædificavit ipse nobis.*

Sed & Institutis cæteris, quibus oportuisset devictas gentes sub Imperio retinere, uti, facultatis erat; ac propterea quod Imperii fines non protulerint, imò tandem amiserint, ignaviæ eorum tribuendum; non autem Legi, quam Moyses jubente Deo promulgaverat.

Hinc licèt haud in eodem honore habiti fuerint exteri, cùm Legem amplectebantur, eosq; Proselytas nuncuparent; Leges tamē ferri poterant, quibus *jure Civitatis* in omnibus, cùm meruissent, donarentur; Lex enim ipsa, *Exod.* 12. discrimen inter Indigenas, alienigenasque sustulerat,

lerat, cùm circumcisi essent alienigenæ, unde Judith. 14. *Achyor videns Virtutem, quam fecit Deus Israël, relictô gentilitatis ritu credidit Deo, & circumcidit carnem præputii sui, & appositus est ad Populum Israël, & omnis successio generis usque in hodiernum diem.* Et quidem Idumæi à Joanne Hyrcano Rege subacti Legem acceperunt.

De præcipuis Legis universæ Sanctionibus.

Lex autem ultrà 10. illa præcepta, quæ nedum ipsi Populo, sed cunctis gentibus velut Edicta perpetua fuêre, præterque sacros ritus ac Ceremonias jus ipsum constituebat, quô cùm Tribus inter se, urbesque singulæ; tum Civitas universa regebatur. Et quidem prima, præcipuaque jussio *Circumcisio* fuit, quam Deus Abrahamo jusserat; primùm namque licèt semper exstitisset Ecclesia, signa tamen externa, & notæ aberant, ac propterea duntaxat à Numine noscebantur sui, à quo profectò transmissa etiam ad gentes alias; Ægyptios namque, Colchos, Ethiopesque circumcidi consuevisse, imò Judæos ab Ægyptiis didicisse Herodotus author est, nesciens Ægyptios Hebræorum morem, qui illinc à Josephi ætate sedem fixerant, imitatos, indeque mos à finitimis acceptus, ùt Jerem. 9. sciptum est: *Ecce propè adsunt dies, cùm animadvertam in omnes, qui circumcisi sunt cum præputio, in Ægyptios & in Judæos, in Edomitas, Moabitasque*; Videturque Legis causa, nedum ut Populus aliquâ diversitate nosceretur, sed ut Messiæ Sacrificium eo sanguine adumbraretur. Hinc Josue post Jordanis transitum Israëlitas denuò circumcidi jussit, eos nempe, qui nati infrà illud temporis spatium, quô per deserta vagabantur, nondum erant circumcisi, unde ùt Cunæus optimè advertit, licèt denuò secuta Circumcisio memoretur, repetitum tamen morem denotat, olim in Ægyto usurpatum ac diù intermissum; quâpropter D. Hieronymum arguit, qui Cultellum quoddam Evangelicum significari scripserat, quô Circumcisio fiebat interior, animorum nempe mundatio.

Sabbatha autem colere ex Edicto Numinis tenebantur, septimum nempe diem, quod cùm superstitiosè nimis servâssent, exitium illis sæpè attulit, ùt infrà, & causam Edicti Moyses ipse exposuerat, cùm Deum ab opere die 7. quievisse scripsisset, unde diem illum Cultui suo sacrum voluit; quod, cùm scriptores ignorarent, putida mendacia tradidêre in Judæorum contemptum. Tacitus enim 7. die otium placuisse scripsit, quia *is finem laborum tulerit, dein blandiente inertiâ 7. quoque annum ignaviæ datum. Alii honorem eum Saturno haberi: seu Principia religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulsos & Con-*

& Conditores gentis accepimus: ſeu quòd è ſeptem ſideribus, queîs mortales reguntur, altiſſimo orbe & præcipua potentia Stella Saturni feratur, ac pleraque Cœleſtium vim ſuam & Curſum 7. per numeros conficiant; adeò rerum Judaicarum ignoratione tenebatur; Sabbathum autem erat dies primus ante 8., colebantque à veſpera ad veſperam, ceſſantes ab opere orationibus & jejuniis, nec tamen cæteris diebus matutinum ac veſpertinum holocauſtum deſerebant, Dei namque juſſio erat, ùt habetur Exod. 29. & Num. 28. ùt & Levitic. 23. quibus in locis Sacrificii ritus traditur, unde Joſephus: *ex publico,* inquit, *ſumptu Lex agnum anniculum docet occidi inchoante die & terminante*; die verò Sabbathi tantùm ſacris operabantur, paneſque propoſitionis reficiebant, nullumque opus eò die permiſſum erat, cùm & ignem ſuccendere in omnibus habitaculis vetitum; Eô autem die duo agni anniculi immaculati offerebantur, binæque decimæ ſimilæ oleo conſperſæ; unde Philo in libro de Sacrificiis: *publica*, inquit, *Sacrificia alia fiunt quotidie, alia 7. quoque die, alia in Noviluniis, alia in jejuniis, alia tribus diebus feſtis præcipuis. Quotidie juſſu Legis agni duo mactantur manè ac veſperè cum gratiarum actione, alter pro diurnis, alter pro nocturnis beneficiis, quæ aſſiduè Deus largitur humano generi. 7. die hic numerus duplicatur in æternitatis honorem, quòd 7. dies Mundi natalis ſit. Quotidie etiam bis incenſa ſunt thura in ara, quæ intrà Velum eſt, oriente Sole, Occidenteque ante matutinum & poſt veſpertinum Sacrificium.* Panes quoque propoſitionis refici ex Lege debebant, unde Num. 24. *Accipies*, ſcriptum eſt, *ſimilam, & coques ex ea 12. panes; per ſingula Sabbatha mutabuntur coràm Domino, ſuſcepti à filiis Iſraël fœdere ſempiterno.* Ponebantur autem ſimul cum ſale & thure in ſacra menſa.

De ratione těporum apud Hebræos

Ultrà autem Sabbathum, juſſerat Deus, quos feſtos haberent dies, Paſcha nempe cum Azymis, Primitias cum Pentecoſte, Feſtum Tubarum, Expiationum, Tabernaculorum cum Collectis, annum 7. & annum Jubilæi 50. Quod antequàm explicemus, de ratione Hebraicorum temporum aliqua præfari oportet. Annum numerabant Hebræi per menſes 12. dieſque 354., vocabantque Lunarem; ſed naturalis alter apud eos: alter vero civilis ſive ſacer; & primum ab orbe condito ſub Autumnale Æquinoctium inſtituerant, quo tempore orbis à Deo conditus credebatur. Sacrum verò antequàm ex Ægypto egrederentur, Æquinoctium Vernum; unde primum, quo fructus colligi poterant, menſe nempe Septembri ſeu Tiſri; ſecundum, quo meſſis haud eſſet inchoata, Martio ſcilicet

Menſe, ſeu Niſan; proque reliquis 11¼. diebus, quo Sol Zodiaco circumvolvitur, intercalatione utebantur, ut ratio menſium & Paſchatis ſervaretur, unde 2. & 4. quoque anno poſt menſem 12., quem nuncupabant *Adar*, Februarium nempe, eos interpoſuêre, vocaruntque 13. menſem, *Veadar*, alterum nempe Februarium, qui ſecundo erat 22., quarto vero anno dierum 23.; atque ità *Lunarem annum* 354. *ad Solarem* dierum 365. & 4. horarum redigebant; Menſes autem ante Babylonicum Exilium ſicut inſtituerunt à nova Luna, ità ex numero primum, ſecundum, tertiumque, & ſic deinceps appellabant; poſt reditum verò nuncupârunt ſuis nominibus, nempe *Niſan*, *Zius*, ſivè *Jar*, *Sivan*, *Tamuz*, *Ab*, *Elul*, *Etanim*, ſivè *Tiſri*, *Bul*, ſivè *Mareshuan*, *Casleu*, *Thebet*, *Sebat*, *Adar*, Martius nempe Aprilis, Majus, Junius, &c. quorum alii erant 30. dierum pleni nuncupati, alii 29. & cavi dicebantur. Menſes autem ſingulos in hebdomadas diviſerant, ipſasque, Sabbatha etiam appellârunt; unde illud: *jejuno bis in Sabbatho. Et primam unam, & alteram Sabbathi*, pro prima & ſecunda die; una autem ſeu prima eſt dies Dominica; unde D. Hieronymus adversùs Vigilantium: *per unam Sabbathi, hoc eſt in die Dominico, omnes conferre, quæ Hieroſolymam in ſolatia dirigantur, Apoſtolus Paulus præcepit.* Dies profectò vocabant *Lunas*, eisque 12. horas aſſignaverant, & noctes totidem licèt inæquales; quorum alii *profeſti* erant, in quibus nempe opus exercere fas erat, ſed matutino & veſpertino tempore holocauſtum conficere oportebat; *feſti* verò, quibus etiam ab opere ceſſandum erat, atque ſingula menſium initia, quos Græci *Neomenias*, Latini Kalendas vocârunt, *profeſta* erant, proprioque holocauſto inſignita, cujus ritus Num. 28. traditur, unde Joſephus: *in initio menſis, & quotidiana ſacrificia, & duos Vitulos cum magnis agniculis* 7. *& arietem mactant, hædum verò pro declinatione peccatorum, ſi fortè per caſum oblivionis eveniant.*

De Feſtis Hebræorũ.

Paſcha igitur, id eſt, Tranſitus Domini 14. die menſis Martii ad Veſperam incipiebat, ſingulæque domus occidebant *agnum*, cumque *Azymis* aſſatum comedebant; ſequentem verò diem 15. & *Paſcha*, & *primam Azymorum* nuncupabant, vigeſimâ verò primâ, quæ 7ma erat *Azymorum*, *Collecta* vocabatur; quoniam tum fructus Terræ in ea Regione metebant, colligebantque; diem vero *feſtum* à Veſpere incipiebant celebrare, & ſequenti die deſinebat.

Lex autem erat, nè *Paſcha* ſeu *Phaſe* alibi, quàm in Urbe, quam elegerat Dominus, celebraretur, unde in Silo primùm, dein verò Hieruſalem celebrabatur.

Feſtum

Festum autem *Primitiarum* & *Pentecostes*, quas etiam appellârunt *hebdomades*, 16. die Martii, quæ 2da erat *Azymorum*, celebrabant; tunc enim falces in Segetes primò mittebantur, lectusque frugum Manipulus Domino erat offerendus ad sanctificandam messem, unde Josephus: *2dâ Azymorum die, quæ est 16. mensis Martii, frugum, quas messuerunt (non enim antè attingunt) partem sumunt. Ac rati primùm Deo honorem habendum, à quo earum copiam acceperunt, hoc modo illi earum primitias offerunt. Ubi manipulum spicarum siccârunt, & tuderunt, hordeaque ipsa ad molendum nudârunt; assarium altari Deo admovent, & pugillum unum ex eo injicientes, reliquum ad usum Sacerdotis relinquunt. Atque inde publicè messis faciendæ potestas datur. Sacrificant autem in Primitiis frugum agnum in holocaustum Deo. Hebdomade verò septima post hoc Sacrificium transacta (hæ hebdomades dies sunt 49.) 50. die offerunt ad Deum panes ex farina hordeacea, duo assaria cum fermento facta; Sacrificium verò agnos duos. Et Deo quidem offeruntur solùm, Sacerdotibus verò ad cœnam præbentur, nec licet ex eis quidquam in crastinum relinquere. Et immolant in holocaustum vitulos tres, arietes duos, agnos 14. & hircos pro peccato duos.*

Quinquagesimâ ergo die, 6tâ nempe mensis *Sivan* seu *Maji* festum Pentecostes erat, quô panes à novis frugibus Deo consecrabant.

Dies autem *Tubarum* in Commemorationem Legis Moysi in Monte Sinaï à Deo datæ tubis clangentibus celebrabatur, seu ejus diei, quo liberatus est Isaac, eratque prima dies *Tisri* seu *Septembris*, ùt Levitic. 23. habetur.

Expiationum verò, de qua dictum est, decima dies erat *Tisri* ejusdem mensis.

Tabernaculorum autem per 8. dies peragebatur, incipiebatque Septembris 15. in monumentum temporis, quo Populus in desertis sub Tabernaculis agebat, græcè *Scenopegia*, de quo Levitic. Cap. 23. & Num. 29. Deuteronomii 16. alibique, unde Josephus: *15. die ejusdem mensis tempore ad hyemem vergente, Deus Tabernacula figere jussit singulos per familias, metuentes frigus pro anni custodia; dumque in Patriam pervenirent; in illa urbe, quam propter templum Metropolim haberent, eos 8. diebus festivitatem agere, & holocausta facere, & sacrificare Deo, & pacificas hostias offerre præcepit, utque in manibus portarent ramos myrti & salicis, summitatesque palmarum, & virgulas mali Persici. Primâ itaque dierum fit holocaustum hostiarum ex 13. bobus, &*

agno uno aut pluribus & arietibus duobus, adjecto hirco pro declinatione peccatorum. Sex autem diebus ipse quidem numerus agnorum, & arietum cum hirco sacrificatur, subtrahitur autem singulis diebus unus bos, donec ad septimum veniatur, & ab omni opere die 8. *requiescunt, & Deo vitulum immolant, & arietem & agnas* 7. *& hircum pro declinatione peccatorum.*

Atque his 3. Festis *Paschatis* nempe, *Pentecosten* & *Tabernaculorum*, Viri cuncti quotannis Urbem caput rerum adire tenebantur, ùt sæpiùs est repetitum.

Erant autem festi dies ab ipsis etiam instituti, ùt in Dedicationibus templi Hierosolymitani, quarum prima Salomonis temporibus 7. diebus est celebrata mense septimo; alia verò tempore Zorobabelis templi secundi fuit, dum nempe Judæi in patrias sedes mense *Adar* reversi sunt; Tertia verò dum expiatum fuit altare holocausti, per Judam Machabæum, cùm illud Rex Antiochus profanâsset, ùt Machabæorum 1. scriptum est; postrema tandem, dum ab Herode constructum est, & hæc festa *Encania* dicebantur, de quibus Josephus est adeundus, ùt & Sigonius lib. 3. Erat quoque festus dies ille, quo ignis Cœlestis post Babylonicum Exilium exstinctus sacrificante Neemia suscitatus est, unde Hierosolymitani ad Judæos scripsêre: *facturi* 5. *&* 25. *mensis Casleu purificationem templi; necessarium duximus significare vobis, ut & vos quoque agatis, ut diem Scænopegiæ, & diem ignis, qui datus est, quando Neemias ædificato templo & altari obtulit Sacrificia.*

De Igne sacro.

Sed & anniversario planctu filiam *Jephte* Judicis Israël immolatam à Patre, dum adhuc in Virginitate esset; voti causâ, lugebant, ùt 11. Judic. scriptum est, ùt & dies, quibus *Holofernes* sublatus, & *Aman* crucifixus, festos habuerunt; celebrâruntque etiam Victoriæ diem de Nicanore Demetrii Regis Syriæ; jejunârunt autem pluribus aliis diebus, quos referre superfluum foret, nec enim jubebantur ex lege Dei.

De Jobeleo.

Septimo autem anno sancitum erat Lege, nè terra coleretur néve colligerentur fruges, & annus quinquagesimus *jubilaorum* solemnia reducebat, quibus *agrariâ Lege* cavebatur, ut venditus ager rediret ad priorem Dominum nullo soluto pretio. Lex ergo Dominii translationem omninò prohibuit, & ante illas 7. annorum hebdomades redimendi quôvis tempore largiebatur facultatem, anno verò *jubilai* etiam si centies ager venditus fuisset, ad priorem Domi-

Dominum redibat; imò in donationibus etiam ſervatam fuiſſe *Legem* tradidêre Thalmudici; annus verò à menſe *Tiſri* incipiebat, in quo etiam ſervis libertas data; ſed ante decimam, quâ feſtum expiationis recurrebat, nihil horum; & poſt 9. illos dies læti agebant epulas celebrando; ſervorum autem quisque coronam capiti ſuo imponebat, cumque veniſſet *expiationum* dies, inter *Tubarum* ſonitus Senatores *Sanedryn* ſervorum libertatem pronunciabant, jubebantque prædia ad veteres Dominos redire; quod, quomodo ſervandum eſſet, nè fraus ulla fieret, néve iniquitatis ſpecies aliqua in Lege ineſſe videretur, licèt utilitati publicæ conſuleret, Levitic. Cap. 25. præſcriptum erat: *cùm vendideris aliquid proximo tuo, aut cùm emeris à proximo tuo, nè circumvenite alter alterum. Secundùm numerum annorum, quibus fruges proveniant, vendat ille tibi. Pro multitudine annorum auge pretium emptionis, & pro paucitate annorum minue pretium emptionis. Nam numerum proventuum ille vendit tibi. Nè igitur decipite alter alterum; Quare* ſi ante jubilæum redimebantur fundi, de pretio, quod reddendum erat, tantum retinebatur, quantum è fructibus emptor perceperat. Hinc dubium pro filiabus Salphaat Num. 36. *Si alterius Tribûs homines has uxores acceperint, ſequetur poſſeſſio ſua, & translata, ad aliam Tribum, de noſtra hæreditate minuetur; atque ità fiet, ut cùm jubilæus,* id eſt, *annus* 50. *remiſſionis advenerit, confundatur ſortium diſtributio, & aliorum poſſeſſio ad alios tranſeat,* Lege ſublatum eſt; poteſtas namque data nubendi, quibus vellent ſuæ tamen Tribûs hominibus, nè commiſceatur Poſſeſſio filiorum Iſraël de Tribu in Tribum; advertit autem Sigonius, *Jobeleum* primò nuncupatum, quòd à Levitis per *Tubas Arietinas,* hebraicè *Jobelim,* convocato Populo indiceretur. Sed ſeptimo quoque anno ſervos hebræos libertate donare oportebat, & inter Hebræos remiſſio erat crediti, ùt 15. Deuteronom. habetur: *Septimo anno facies remiſſionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo, ac fratre ſuo, repetere non poterit. A peregrino & advena exiges, civem & propinquum repetendi non habebis poteſtatem. Et omninò indigens & mendicus non erit inter vos. Fænerabis gentibus multis, & ipſe à nullo accipies mutuum. Cave, nè fortè ſubrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat ſeptimus annus remiſſionis, & avertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei, quod poſtulat, mutuum commodare. Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus aut Hebræa, & ſex annis ſervierit tibi, in 7. anno dimittes eum liberum, & quem libertate donaveris,*

ris, nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis Viaticum de gregibus, & de arca, & torculari tuo.

Sed fuêre hæc summâ Religione observata usque ad templi prioris desolationem ab Assyriis factam. Exin vacua suis incolis Regio per annos 70. ùt obnunciaverant Vates; ac licèt posteà rediissent in sedes patrias, denuoque templum exstructum esset, *Lex tamen agraria, solemniaque jubilæorum oblivioni tradita.*

Erat autem, ùt diximus, Legibus illis æqualitati quodammodò consultum, divisô namque per sortes universo agrô, difficile erat servatâ Lege, ùt exiret à familia, cui sorte obvenerat, sed & Cives à fœneratorum rapacitate immunes reddebantur, & servis summâ æquitate consulebatur, unde amplissima illa Seditionum materies, quæ Civitatibus quàm plurimis ruinam arcessivit, totque motus, conversionesque apud Romanos peperit, nullum in Hebræorum Civitate invenerat locum.

Quomodo autem fieri debebat agri divisio, præscripsit Moyses, & cap. 34. Num. habetur.

De Sacerdotū, & Levitarum sorte.

Sacerdotibus autem & *Levitis* nullus ager datus, sed oblationes sors eorum erant, adeoque primitias frugum omnium assequebantur, & de Sacrificiis partem, ùt latè in Sacro Codice explicatur; debebant autem urbes ex Lege 48. cum suburbanis Levitis assignari ad habitandum, pecoraque pascenda, deque ipsis urbibus 6. Asyli locò fuerunt reservatæ, tres nempe trans Jordanem, aliæ verò in terra Canaan, ad easque confugiens homicida, qui absque dolo cædem patraverat, idque coràm Senioribus comprobaverat, incolumis usque ad

De Asylo apud Hebræos.

Pontificis obitum ibi remanebat, idque tam pro Hebræis, quàm advenis atque peregrinis statutum erat; quòd si antè Pontificis mortem fuisset inventus, impunè poterat interfici ab occisi consanguineis; pro cæteris namque dolô patratis facinoribus nullum erat asylum; imò *Talionis* pœnam adeoque *Arithmeticam* proportionem Lex respexit in delictis, ùt in regunda Civitate *Geometricam*, Virtutem nempe, nam de melioribus Principes Tribuum Cognationum & familiarum constituebantur, & Seniores Judicia exercebant ac Magistratus ùt infrà; undè Lex de pœnis Num. 35. *Si quis ferrô percusserit, & mortuus fuerit, qui percussus est, reus erit homicidii, & ipse morietur; Si lapidem jecerit, & ictu occubuerit, similiter morietur. Si lignô percussus interierit, sanguine vindicabitur; propinquus occisi homicidam interficiet; statim ut apprehenderit, eum interficiet. Si per odium quis hominem*

nem impulerit, vel jecerit quidpiam in eum per insidias, aut cùm esset inimicus, manu percusserit, & ille mortuus fuerit, percussor homicidii reus erit. Cognatus occisi, statim cùm invenerit eum, jugulabit. Quod si fortuitò & absque odio, & inimicitiis quidquam horum fecerit, & hoc audiente Populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem & propinquum sanguinis quæstio ventilata, liberabitur innocens de ultoris manu, & reducetur per Sententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec Sacerdos Magnus, qui oleô sanctô unctus est, moriatur.

Homicida sub testibus punietur. Ad unius Testimonium nullus condemnabitur. Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis; statim & ipse morietur.

De Legibus Conjugiorum.

Sed & cæteræ erant Leges, quas omnes recensere inane foret, cùm in Sacro Codice dilucidè tradantur. Illud tantùm advertisse sufficiat, *Conjugiorum Legibus* mirum in modum ea in Republica augendo Populo consultum fuisse, licèt cum alienigenis contrahere nefas fuisset, cùm nec prohiberetur, unam alteramve uxorem accipere, & in *casto esse*, probrosum videretur; Lex autem erat, ut frater defuncti fratris uxorem acciperet, & mulieri non erat alteri nubendi potestas, nisì frater eam noluerit habere conjugem; tunc enim coràm Senioribus Civitatis tenebatur rem exponere, à quibus arcessiri eum oportebat, superque eà re interrogari; quòd si respondisset, nolle eam habere, mulier ex præscripto in Lege ritu tollebat Calceamentum de pede ejus, spuebatque in faciem, dicens: *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui;* hinc exinde quasi probro affectum, *discalceatum*, appellabant. Permittebatur autem uxorem ex causa repudiare, licèt, ob duritiem cordis à Moyse permissum fuisse divortium, ex Evangelio notum sit.

Sed quàm sollicitè de agricolatione Leges tulerit, ex eo dignoscitur, quòd Populum ipsum, quomodo agros colere, terræque dare requiem, quidque in messibus, vindemiisque servare debuerit, docere videatur; rem quoque pecuariam augere admonuit, utque ne disparis generis animantium admissura fieret, nevé sub eodem jugo essent; cæteraque de fœtu pecudum, primitiisque frugum ac decimis mirum, quantum abundè tradidit.

De Locis sacris

Sed & sacra loca recensere haud inane duximus, quoniam nedum quô ritu & tempore, sed quibus etiam in locis coleretur, præscripsit Deus. Fuère igitur à principio *Tabernaculum*, atque in eo *Sanctum Sanctorum*, & *Ara* cum ornamentis suis, dein verò *Templum*

in

in urbe Hierosolyma, licèt aliquando extrà etiam Tabernaculum, Templumque, in *Collibus*, quos *Excelsa* nuncupabant, Sacrificia non respuerit. Separatis autem 10. Tribubus, cùm impius ille *Hieroboamus* Religionem ambitioni suæ ancillari fecisset, *Sacrorumque* conversio secuta esset, templum aliud in Samaria exstructum est, ùt Ægypti quoque à Judæis, qui sedes ibi fixerant. Sed & Synagogæ in ipsa urbe, aliisque in locis fuêre institutæ, ùt infrà. De his igitur pauca differamus.

Tabernaculum autem veluti ædificium portatile ex lignis constructum erat, cujus descriptio 25. Exod. & 26. habetur; quâpropter nè illam repetamus, id tantùm advertisse sufficiat, duplex in eo *velum* fuisse, alterum, quod oppansum *Sancto* erat, intraque *Ara* suffituum posita: alterum verò *Sanctum Sanctorum* à Sancto separabat, & Pontifici semel tantùm in anno, ùt dictum est, patebat; *Sanctum* verò Sacerdotes unà cum Pontifice admittebat, in eôque *Ara suffituum* posita erat, Populus autem arcebatur; ultrà tamen *Aram suffituum* altera erat propè Vestibulum, priùs *ex cespite aut saxis* constructa, posteà verò Numinis edicto *lignea*, atque *ære obducta*, licèt Philo scripserit, lapidibus integris impolitisque semper fuisse; diversum enim sancitum est Exod. Cap. 27. sed ipsa Philonis verba de Sacrificiis describere, non displicebit: *Lex* (inquit) *duas poni Aras jussit, quæ materiâ, locô, atque usu differrent, quippe una ex lapidibus electis, sed impolitis tamen exstructa est* (hanc ex lignis construi, æreque obduci Numen jussisse advertimus) *atque sub dio sita est propè templi Vestibulum, ejusque usus positus in Victimarum Immolatione est: altera verò aurea intrà primum velum in loco inaccesso est, quam videre nemini mortalium licet, nisi Sacerdotibus, cùm in casto sunt; facta autem est in usum suffituum.*

Quare in *Sancto Sanctorum* nulla erat Ara, sed tantùm *Arca* cum operculo propitiatorio, eaque penetralia nemini visebantur præter Pontificem, & quotannis semel, qui ingrediebatur non sinè sanguine, nec omnia cernere dabatur, ùt diximus; *Thuribulum* namque ignitis carbonibus & odoramentis plenum illuc inferebat, ità ut omnia circumcircà fumô tenerentur, quod ex Capit. Exod. 30. satis liquet; jusserat namque Deus Pontificem adyta illa adire, postquàm vituli sanguinem exceperat, eumque inferre; posteà verò cùm illinc exivisset, Aræ suffituum Cornua sanguine illô conspergere tenebatur; unde Aram in adytis non fuisse certum est, hinc Levit. cap. 16.

scriptum

ſcriptum eſt : *Dic Aaroni, nè quovis tempore ingrediatur in Sanctuarium, quod eſt intrà Velum antè operculum propitiatorium, quod eſt ſuper Arcam, ut non moriatur. Nam in nube apparebo ſuper operculum illud. Sed cum his rebus ingrediatur Aaron in Sanctuarium, cum vitulo & Ariete in holocauſtum ; à Cœtu autem Iſraëlitarum accipiat duos hircos in peccatum, & Arietem in holocauſtum; cumque obtulerit Vitulum, & oraverit pro ſe ac domo ſua, duos hircos conſtituet coràm Domino in oſtio Tabernaculi Teſtimonii, & mittat ſuper utrumque hircum ſortes, ſortem unam Domino, alteram Capro emiſſario ;* quemque aris ſors exemerat, in vicinum deſertum ad montem quendam *Hazazel* nuncupatum dimittere, & illinc præcipitem dare mos erat.

Cætera Sacer etiam Codex adeò deſcribit, ut imaginem fermè ante oculos ſubjiciat.

De forma Civitatis.

Emenſi igitur tot rerum, locorumque ſpatia, parumper ſiſtere fas erit, contemplarique velut ex alto naſcentis Reipublicæ informem adhuc faciem, ut ſtatum ejus per ætates faciliùs, meliusque intueri valeamus. Et quidem cùm Hebræorum Civitas ſub Authore, ac Principe Deo conſtituta, Moyſem habuerit Legum Promulgatorem; Ductor ille Populi frequentibus cum ipſo Numine colloquiis, prodigiisque ſuprà hominum fidem authoritatem eam, poteſtatemque explicabat, ut animis etiam imperaret, devotusque Populus vocem ſuam, quoniam ſummi Numinis erat, venerabundus exciperet; adeoque *Religionem*, uti Deus juſſerat, conſtituit, & *Politiam*, quæ ipſiusmet Religionis pars erat. Fruſtrà igitur de Reipublicæ forma quærere videmur Moyſis tempore. Quis enim negaverit unquam, eum, qui à ſummo Numine deſtinatus erat, ejusque vice Populo imperitabat, ſi vim rerum attendamus, tantam authoritatem, poteſtatemque exſeruiſſe, ut nec excogitari queat ? Nec igitur Ariſtocratia erat, quoniam ad unius nutum Deo Authore maxima quæque definiri videbantur; neque fortiùs Democratia, quoniam cuncti ejus dicto audientes erant, nedum ut obedire viderentur, ſed ex animorum ſententia; ut nempe Numini præſtarent obſequium. Et nec quidem Monarchia, nam alienô videbatur nomine imperare, non ſuô. Eum verò, Ariſtocratiam diximus inſtituiſſe, cùm ſummam rerum penès adſcitum à ſummo Numine cum magno Concilio, ſummoque Pontifice exſtare voluiſſet; hinc poteſtas Magiſtratuum cæterorum unicè fluere ab eo Concilio debebat. Abſolutè igitur *Regnum* erat *Dei*, quod *Theocratiam* nuncupârunt; ac

propterea *Aristocraticum Regimen* necessariò consequebatur; Munia namque, Curationesque Civitatis Melioribus ex virtute duntaxat concredi fas erat; Cùm igitur Politia ipsa pars Religionis erat, ùt dictum est, eique propterea perpetuò ancillaretur, potestas, atque authoritas summi Sacerdotis quanta fuerit, ex eo unicè dignoscetur, quòd si Moysen excipias, à Deo electum immediatè, cæteros Populi Ductores à summo Sacerdote dari fas erat: ipse namque Deum consulebat: ad Populi, Ducumque preces oracula edebat, quibus nec Sanctio deerat, cùm pœnam Deus infligeret transgressoribus, adeòque ultionis metu, Numinisque reverentiâ vis major inerat Pontificis Oraculo, quàm Legibus cæteris summarum Potestatum. Provocatio etiam à cæteris Populi Judicibus, Magistratibusque ad eum ex Lege deferebatur; hinc Potestas ipsa, Dignitasque Sacerdotii, vim duntaxat intuentes, summam rerum complecti post Moysem videbatur; unde Moyses quanquam Dei jussa implêsset perfectissimè, illorum etiam temporum moribus quoad Civitatis ordinem se conformâsse palàm est, ùt mox dicetur. Civitatem igitur condidit, quæ non defectu Legum, nec Ordinis, sed Populi imbellia, Pontificumque incuriâ, seu dolo, nedum augeri desiit, sed labefactari, atque dissolvi visa est; quoniam post Josue, quem eâdem Potestate sibi suffecit Moyses, ex quo Numini placuerat, neglexerunt Pontifices Dei voluntatem implere, & idoneos Populi Ductores ordinatè seligere, qui ritè jactatis à Moyse fundamentis veluti progressu quodam superædificantes, & bella gererent, & Civitatis Unitatem, Populique incrementum curare, ac tueri valerent; hinc postquàm subactâ Regione sedes fixêre suas, omnes otium, atque inertia corrupit; tantaque Pontifices cœpit Reipublicæ negligentia, ut quamvis sub directione sua esse intelligere debuissent, nil eorum, quæ ad salutem Populi, augendamque Civitatem unicè pertinebant, curare ampliùs visi sunt; & præter Sacrificia, Oblationesque, quibus saginari se videbant, nil boni nedum egisse, sed nè cogitâsse quidem accepimus; nec enim Principes populi ad mentem Moysis constituti, nec Senatus 70. Virûm cum iisdem in Urbe, quæ perpetuò Caput rerum esse debebat, permansisse inferiùs palàm fiet. Non ergo defuit Moyses Civitati, ùt Puffendorfius tradere nequaquam erubuit, sed quia præter Josue nullus fuit, qui vestigia saltèm à longè secutus esset, & nec Pontifices officium implevêre. Hinc post ipsum Josue Populus sinè Ductore agebat, adeoque pro arbi-

arbitrio Tribuum Principes diſſolutâ fermè Unitate ſibi quiſque conſulebant, ut authoritatem retinerent; quod, ut palàm fiat, utque rerum converſio per cauſas, occaſionesque temporum ex integro dignoſcatur, differendum deinceps nobis eſt, atque ut methodo progrediamur, Epochas quasdam Civitatis conſtituere operæ pretium duximus, & prima quidem à Legis promulgatione uſque ad Joſue obitum, à quo tempore velut Interregnum fuit; ſecunda verò Judices, uſque ad Samuelem exhibet; altera Saulis Regnum uſque ad Tribuum diviſionem, à quo tempore uſque ad Babylonicum exilium Epocha ſequens abſolvetur; à reſtituto dein Populo uſque ad Civitatis interitum poſtrema erit.

De Regione Civitatis.

Hebræorum ergo Civitatem poſt latas Leges adeò regi oportebat, ut Populi Ductor, ſeu Judex, quem excitâſſet Numen, Senatusque ille 70. Virûm ſimul cum Pontifice maximo ſummam rerum complecterentur, Sacerdotesque tanquam Legum, Sacrorumque periti, eorum, quæ ad ſervandas Leges, Religionemque ſartam tectam cuſtodiendam pertinebant, Judices eſſent; quare Pontifex maximus veluti Præfectus erat omnium Judicum, & Magiſtratuum, cunctaque Judicia difficilia ad eum deferebantur, quique ſummo ejus judicio parere noluiſſet, morte damnabatur; unde apud Ezechielem loquens Deus de Sacerdotibus: *In lite*, inquit, *ſtabunt ipſi, ut judicent ſecundùm judicia mea*, & Joſephus: *Sacerdotes*, ſcripſit, *Inſpectores omnium, & Controverſiarum Judices, & damnabilium punitores Lege conſtitutos*; atque in Explicatione Deuteronom: *Pontifex*, inquit, *& Senatores, quæ juſta pronunciant.* Dux autem Populi, qui Judicis nomen accepit, bella gerere, Civitatisque ordinem tueri, Legesque obſervari facere, pœnarumque metu cunctos in officio continere debebat; & quidem vetuſtiſſimis temporibus Gentium conſenſus evicerat, imperium jungendi cum Sacerdotio; Cùm enim primâ ætate homines adhuc domeſtico magìs quàm civili imperio regerentur, Patres ipſi familiarum & regnare quodammodo, & Sacerdotio fungi videbantur; hinc eos ſacrificantes paſſim legere datur, eodemque jure Noë, Abrahamus, Jobus, aliisque Sacris operati fuêre, totaque Jacobi deſcendentia ſervavit morem, quem cæteræ quoque Gentes accepiſſe viſæ ſunt, ùt alibi dixiſſe reminiſcimur, unde Cicero: *Omnino apud Veteres*, inquit, *qui rerum potiebantur, iidem auguria tenebant; ùt enim ſapere, ſic divinare regale ducebant.* Ægypti quidem, licèt Srcerdotum collegium eſſet & Rex; ab eorum nutu

tamen Regem pendere Strabo admonuit, tradiditque Plutarchus; cùm & Regnum darent, & ſæpè vitam adimerent; unde ſummus Ægypti Magiſtratus penès Sacerdotes erat, & quandoque ex eorum Collegio Rex aſſumebatur; quòd ſi alter eſſet conſtitutus, mox Sacris initiabant, dignitasque Sacerdotii hæreditaria erat, cùm Regem eligi oporteret. Hinc Cohen commune Sacerdotibus, & Magiſtratibus nomen.

Sub Moyſe tamen, ùt dictum eſt, ſumma rerum omnium poteſtas à Deo eidem collata fuit; ità ut ageret tanqam Vicarius Dei, & cum Senatu 70. Virorum cuncta exerceret judicia; licèt quandoque Principes Tribuum, Cognationum, & Familiarum in graviſſimis totius Populi negotiis vocâſſet ad Concionem; quæ ſi probè rem advertimus, advocabatur potiùs, ut mandata acciperet, cùm ille pro Concione juſſa Numinis ediceret; nec conſecrato Aarone mutatum eſt quidquam, cùm ipſe Moyſes hoc etiam præ Pontificibus habuiſſet, ut ad Arcam Teſtimonii propè ipſos Cherubinos, & ad Operculum propitiatorium verba, vocesque cum Numine commutaret: Pontifices autem facie ad Arcam obversâ, cùm Oraculum ex Gemmis Urim, & Thumim peterent, ſtare oportebat, & in qualibet templi parte; nè fortè toties eum adyta intraviſſe opinemur; Sacris igitur ſub Moyſe duntaxat operabantur Sacerdotes; Cùm autem ſubactâ Regione plures requiri Magiſtratus animadvertiſſet, Judices & Magiſtros conſtituere Populum edixit in omnibus portis ſuis; quare antequàm ad alia tranſeamus, de Magiſtratibus, qui apud Judæos obtinuêre, diſſerendum nobis imprimìs erit.

De Magiſtratibus Hebræorũ.

Et primò quidem ſub Joſue eadem rerum facies fuit, quoniam omnia ſervavit, quæ præceperat Moyſes; cùmque ſubegiſſet Regionem univerſam, illamque Tribubus ſorte juxta Legem diviſiſſet, locum, Urbem nempe Sichem conſtituit, qui rerum Caput eſſet, utque ibi Arca Fœderis aſſervaretur, & Lex impleretur univerſa; cùmque adeſſe diem ultimum agnoſceret, Concionem vocavit omnium Tribuum, accerſitisque Senioribus, Principibus, Judicibus, & Magiſtris, denuò Fœdus percuſſit cum Domino, dixitque pro Concione: *Eligite hodie, quod placet, cui ſervire potiſſimùm debeatis, utrùm Diis, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia, an Diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis; ego autem & Domus mea ſerviemus Domino.* Reſponditque Populus, & ait: *Abſit à nobis, ut relinquamus Dominum, & ſerviamus Diis alienis.* . . . . . . Dixitque Joſue ad Populum:

Non

Non poteritis servire Domino: Deus enim Sanctus & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris, atque peccatis. Si dimiseritis Dominum, & servieritis Diis alienis, convertet se, & affliget vos, atque subvertet, postquàm vobis præstiterit bona. Dixitque Populus ad Josue: *Nequaquam ità, ùt loqueris, erit, sed Domino serviemus.* Et Josue ad Populum: *Testes*, inquit, *vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei*: responderunt: *Testes.* „ Percussit ergo Josue illo die fœdus, & proposuit Populo Præcepta, atque Judicia in Sichem. Scripsit quoque „ omnia verba hæc in Volumine Legis Domini, & tulit lapidem per„ grandem, posuitq; eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Do„ mini: & dixit ad omnem Populum: *En lapis iste erit vobis in Testimonium, quòd audieritis omnia verba Domini, quæ locutus est vobis, nè fortè posteà negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro.*

Igitur Comitiorum erat imago, in quibus Suffragia non quidem viritim à singulis, sed per Curias, seu Tribus, meliores, qui Populum repræsentabant universum, dare videbantur; & ut Josue post bella, quæ gesserat, Politiam ad sua revocaret initia, ante obitum summâ virtute ea celebrare voluit, ut nempe consensu totius Populi Regnum Dei firmaretur, Lexque perpetuò dominari deberet, quam denuò sigillatim exposuit, nedum Præcepta commemorans universa, sed Judicia, utì erant constituta, confirmans.

Nunc igitur Hebræorum Civitas primò faciem emisit suam, & sicuti si pares Moysi, aut Josue surrexissent, potuisset adeò opibus & potentiâ crescere, ut toti Orienti imminere visa esset, ità quoniam nemo nedum æquavit, sed nec eos imitatus est, & bellorum necessitas urgere desierat, Populusque otio, & luxu diffluebat; corrupti Ordines sunt, Principesque Tribuum velut Demagogi efficiebantur, ut potestate fruerentur absolutâ. Ea enim Civitas unitate, atque concordiâ, Legumque observantiâ, ùt ceteræ, salutem tuebatur; hinc Pontifici quantùm accesserit potestatis, quantùmque propterea incumbere debuisset ad Legum custodiam, vides; nunquam enim Civitas sinè Rectore, quem Pontifex indicare tenebatur, erat deserenda. Sed ille neglexit, & Populus eum non adibat, nisi extremâ necessitate coactus, ùt infrà patebit.

De Concione.

Primus igitur ejus Civitatis Magistratus Concio erat Populi à Deo ipso instituta, cùm perpetuò Moysi præcepisset, ut loqueretur Filiis Israël, & Num. 27. *Josue stabit coràm Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine, & dabit ei præcepta cunctis videntibus, & partem glo-*

 riæ

riæ ſuæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Iſraël. Hinc Num. 10. quomodo etiam eſſet advocanda præſcribit Deus: *fac tibi* (Moyſes nempe) *duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem, quando movenda ſunt Caſtra; cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad oſtium Tabernaculi Fœderis. Si ſemel clangueris, venient ad te Principes & Capita multitudinis Iſraël; ſi autem prolixior, ac conciſior clangor increpuerit, movebunt Caſtra primi, qui ſunt ad orientalem plagam; in ſecundo autem ſonitu, & pari ululatu tubæ, levabunt tentoria qui habitant ad meridiem; Quando autem congregandus eſt Populus, ſimplex tubarum clangor erit, & non conciſè ululabunt; filii Aaron clangent tubis.*

Convocare tamen duntaxat poterat, qui ſummo cum Imperio præerat, eôque deficiente, quoniam pars maxima erant Magiſtratûs Pontifex, Sacerdoteſque, Populumque convocabant orandi causâ, illum oportebat etiam convocare, ut Ducem ſibi conſtitueret, quem invenirent ipſi Deo magìs probari, ut nunquam Civitas ſinè rectore ſtaret, quodcunque nomen acciperet, ſeu Judicis, ſeu Ducis, aut Principis; In quo quidem ſatìs Lege cautum erat; providerat namque ut melior de Populo eâ eligendi ratione aſſumeretur; quod cùm ſeu incuriâ ſeu dolo neglectum eſſet, Regìs tandem deſiderium Populum invaſit, erupitque occaſione filiorum Samuelis Prophetæ, quorum Miniſteriô Pater in judiciis utebatur, & ipſi munus malè agebant; licèt autem ad locum Domini debuiſſet ſemper advocari, in Maſpha tamen, ubi nec Tabernaculum, neque Arca erant, frequenter convenire ſolebat, unde Judic. 20. *diſcedentes è Maſpha venerunt ad Dominum in Silo, & in conſpectu ejus ſedentes flere cœperunt*; Conveniebant autem præcipuè bellorum causâ; unde contra Beniamites etiam Comitia cæterarum Tribuum ſunt agitata, ùt 20. Judic. habetur: *Viri Iſraël, quaſi Vir unus de Dan usque Berſabee, & terra Gabaad congregati ſunt ad Dominum in Maſpha, omneſque anguli Populorum, & cunctæ Tribus Iſraël in Eccleſiam Populi Dei convenerunt* 40000. *peditum pugnatorum*; ad quos Levita dixit: *Adeſtis omnes filii Iſraël, decernite quod facere debeatis*, ſtanſque omnis Populus quaſi unius ſermone reſpondit: *Nec recedemus in Tabernacula noſtra, nec ſuam quisque intrabit domum*, ſed contra Gabaad *in commune faciemus.*

De Principibus

Sed & Concio erat ſingularum Tribuum; Phylarcha enim ſeu Princeps illius, præcipuè dum labefactata Reſpublica eſt, Authoritate

tate suâ Tribum convocabat, Judicia exercebat, deque bello & pace pro Concione differebat. Vocabantur autem Synagogæ Principes, cùm Synogoga esset universi Populi Concio, unde Num. 4. *Recensuerunt Moyses & Aaron, Principes Synagogæ filios Chaad*, eosque præcipuè Reges in Conciliis adhibebant, utque jus redderent singulis Tribubus, efficiebant, cumque Rege fœdera, cæterasque Actiones publicas jurejurando firmabant; Hinc 28. 1. Paralypom: Congregâsse Davidem omnes Principes Israël, Duces Tribuum scriptum est, & 5. 2. *convocavit Salomon Rex omnes Seniores Israël, & omnes Principes Tribuum*; & à Josue sancitum fœdus cum Gabonitis, suôque ac Principum Synagogæ juramentô firmatum Sacer Codex tradidit. De judiciis autem Isaias 3tio: *Sed jam*, inquit, *stabit ad judicium Dominus, & sistet ad judicium Populum suum, ipse Dominus ad judicium veniet cum Senioribus Populi, & cum Principibus ejus*: & 32. *Ecce Rex justus regnabit, & Principes cum Judicio imperabunt.* Hinc suas habuisse sedes, unde Jus suæ quisque Tribui diceret, Christum docuisse Sigonius affirmavit: *cùm, hunc intuens* (sunt ejus verba) *dixit, se tanquam Regem in Cœlesti Throno Majestatis sessurum*, 12. *autem Apostolos tanquam* 12. *Phylarchos super sedes* 12. *ipsas* 12. *Tribus judicaturos*; habueruntque locum in templo ad judicandum; Salomon namque 7. 3. Regum. porticum quoque fecit, in qua Tribunal est, & domuncula, in qua sedebatur ad judicandum, erat in media porticu. Manebant ergò in urbe Reipublicæ sede, & ad latus Regis adstabant, nec sinè ratione, cùm Regibus interfuisset, eos à Tribubus arcere. In Concionibus autem semper primi erant cum Senioribus, unde 5. Deuteron. *Accessistis ad me omnes Principes & Tribuum Seniores*: & 29. *Vos statis hodie cuncti coràm Domino Deo Vestro, & Tribus & majores natu, &c.*

Tribuũ, & Familiarum.

Principes autem Tribuum cum Principibus familiarum ea quæ ad Tribum pertinebant, consultare videbantur; nam familiæ partes Tribuum erant; atque ùt illi Phylarchæ, ità hi Patriarchæ poterunt nuncupari, unde Num. 6. *Obtulerunt Principes Israël, & Capita familiarum, qui erant per singulas Tribus Præfecti earum, qui numerati fuerunt*, & 36. *Accesserunt Principes familiarum Galaad, locutique sunt Moysi coràm Principibus Israël*, ut enim Populi distributio in 12. Tribus, sic unaquæq; Tribus in familias facta est; atque ut Populus ab Israële nomen accepit, singulæque Tribus à filiis ejus, ità Nepotes sui familiis nomen dedisse visi sunt, quas Græci vocârunt Fratrias, ùt dictum

dictum est; Præerant igitur iisdem & ad eas, quæ è Republica erant, referendi jus habebant; Reges præterea in Conciliis, judiciisque eorum operâ utebantur; hinc Principatum retinuisse etiam in Babylonico Exilio constat, unde 7. Nehemiæ scriptum est: *Et congregati sunt Principes familiarum universi Populi; Sacerdotes & Levitæ ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis verba Legis;* In Exercitu autem Tribuni militum frequentissimè quoque in Conciliis, judiciisque adhibiti à Regibus fuerint, ex 5. 2. Paralypom: apparet. Legitur enim, Salomonem Regem omnes Seniores Israël, & omnes Principes Tribuum, & Præfectos familiarum filiorum Israël convocâsse, & Josaphat Regem constituisse Levitas & Sacerdotes, & Patriarchas ex Israël, ut *judicium, & causam Domini judicarent.*

De Principibus Urbiũ. *De magno Synedrio.*

Cùm autem singulæ Tribuum familiæ in Civitates essent dispertitæ, qui propterea præerant Civitatibus, Principes Civitatis dicebantur, cùmque Concilia, tum judicia Civitatum dirigebant: antequàm autem de his verba faciamus, de Senatu priùs seu Magno Concilio, quod Sanedrin appellârunt, aliqua proferre oportebit, ut Synedriorum, quæ in cæteris Civitatibus constituta erant, ipsorumque Civitatum Principum Cognitio magis perspicua reddatur; Et quidem, quidquid scripserint Thalmudistæ, extra dubitandi aleam est, ut quemadmodum non idem semper Reipublicæ ordo, ità nec Magistratûs; nam post Josue quid aliud fuit Respublica Judæorum, nisi quædam Anarchiæ species? cùm nullo Capite contineretur, nec Conventus fierent, nec ad locum, qui Caput esset rerum, sicut Lege cautum erat, ventitarent; & postquàm Judices non defuêre, quoniam necessitate potiùs excitabantur, nec Tribus cunctas in officio continebant, nec summam Potestatem explicabant adeò, ut Reipublicæ unitatem tuerentur, Legemque dominari facerent; nunc enim Tribui, quam è servitute vindicaverant, imperare videbantur, nunc cum ipso bello potestas finiebatur, regularem Senatus ille potestatem explicare nequibat; nec enim in Sacro Codice, si nudam eorum Successionem, ac bella quædam excipias, quidquam leges, quô Regiminis forma, authoritasque Synedrii dilucidetur; dic enim Sodes, quænam fuerit sub Judicibus Comitiorum solemnitas è sacra historia, quænam Senatûs consilia, judiciaque? An non Tribus quælibet ex se ipsa bellum gerere, Ducem sibi constituere, cæteraque pro arbitrio agere videbatur? Sub Regibus autem, cùm diversa omninò rerum facies cerneretur, & judiciorum potestas omnis ad eosdem esset translata,

lata, quis profectò adeò vecors esset, ut crederet tantæ potestatis Consistorium quantæ Thalmudistæ asseruêre, quod Reges ipsos in Officio contineret, eosque judicaret? dum contrà nunc Reges summum etiam Sacerdotem exauctorâsse, nunc bella suô arbitratu gessisse, nunc Magistratus constituisse, aliosque sustulisse, cæteraque summæ Potestatis jura explicuisse visi sunt, absque eo, quòd ulla Consistorii authoritas intercesserit. Ac sicuti certum est Machabæorum ætate, Senatum illum seu Consistorium Gazith, quod Thalmudistæ nuncupârunt Sanedrim, faciem suam emittere cæpisse, ùt inferiùs patebit; ità quò primùm tempore regulari quâdam serie potestatem explicuerit, adeò authores dissentire videntur, ut meritò dixeris: *Quot Capita, tot Sententiæ.*

Atque sicuti nemini dubitare fas erit, Magistratus à Moyse constitutos Viros sapientes de Tribubus singulis, de quibus Deuteron. 1. locutus est: *dixi vobis, non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac jurgia. Date ex vobis Viros sapientes & gnaros, & quorum Conversatio sit probata in Tribubus vestris, ut ponam eos vobis Principes. Tunc respondistis mihi: bona res est, quam vis facere. Tulique de Tribubus vestris Viros sapientes & nobiles, & constitui eos Tribunos, Principes & Centuriones, & Quinquagenarios & Decanos, qui docerent vos singula, præcepique eis dicens: Audite illos, & quod justum est, judicate, sive civis ille sit, sive peregrinus, nulla enim distantia personarum, ità parvum audiatis ùt magnum, nec excipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam.* Pariterque Josaphat Regem egisse; constituit namque Judices in cunctis Civitatibus Terræ munitis per singula loca, & præcipiens Judicibus: *videte*, inquit, *quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite; non est apud Dominum personarum acceptio, nec cupiditas munerum*, 29. 2di Paralypom.; eosque Senatus etiam Civitatis appellatos, atque in Porta judicia exercuisse, Deuteron. pluribus in locis habetur. 21. *Si noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei Lege debetur, pergat mulier ad portam Civitatis, & vocabit Senatum.* Item: *Si quis odiô uxoris objiciat ei, quòd Virgo non sit, Parentes ferent secum signa Virginitatis ejus ad Seniores urbis, qui in Porta sunt, &c.* & Josue 8. *stabit ante Portam Civitatis, & loquetur Senioribus urbis illius*, & 4. Ruth. *Tollens Booz* 10. *Viros de Senioribus Civitatis Bethleem, dixit ad eos: sedete hìc & testes estote.*

te. Reſpondit Populus, qui erat in Porta & Seniores : *Nos teſtes ſumus*; & *coràm eis accepit Poſſeſſionem Elimalec.* Ita univerſi Populi Senatum à Deo è 70. Senioribus conſtitutum, è Sacro Codice advertimus ut Principis lateri aſſideret; quod tamen non fuiſſe obſervatum, & duntaxat Tribuum, & Cognationum Principes ad Conſilia vocatos dignoſcetur. Unde Joſue 23. *Vocavit omnem Iſraëlem, Seniores eorum, Principes eorum, Judices eorum, & Scribas eorum*; ac ſub Judicibus 21. : *Seniores ſtatuerunt, ut Beniamitæ raperent Virgines Syloitarum in uxores.* Et de Salomone : *Congregati ſunt*, inquit Sacer Codex, *omnes Seniores Iſraël ad Regem Salomonem in Hieruſalem.* Seniores igitur exercuiſſe judicia, atque ex iis ſemper lectos judices eſſe, conſtat evidentiſſimè; nec propterea ipſummet 70. Virum Senatum ea ratione ſemper exſtitiſſe, eandemque explicuiſſe Poteſtatem, cùm nec ab initio collata eidem fuerit, patet; Lex enim ipſa Contradictionem involvere videretur, cùm nunquam magni momenti judicia, dubiaque ferri ad Pontificem opus fuiſſet, & nunquam, qui ejus dictô audiens non erat, morte damnari potuiſſet. In Reges autem nulla quidem Poteſtas aut è Sacro Codice, aut Exemplo aliquo ipſi magno Concilio adſeri unquam poterit; quoniam ſi Legem attendamus Moyſis, nîl aliud Regi præſcribebatur, quàm datam Legem ſervare; inquit enim : *Popule, cùm ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris : Conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes; eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus; Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet Populum in Ægyptum, Equitatus numerô ſublevatus, præſertim cùm Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, nec argenti & auri immenſa pondera. Poſtquàm autem ſederit in Solio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium Legis hujus in Volumine, accipiens Exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribûs, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus Vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias ejus, quæ in Lege præcepta ſunt, nec elevetur Cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, ut longô tempore regnet ipſe & filii ejus ſuper Iſraël.*

Si

Si verò quæ locutus fuerit Samuel Dei juſſu Populo petenti Regem; nec Authoritatis quidem umbram magno illi Concilio ſub Regibus adhæſiſſe fateri cogimur; petiit namque Populus (univerſi nempe Majores natu Iſraël) à Samuele Regem; cùm poſtquàm ille ſenuiſſet, filios ſuos Judices reſpueret, quoniam non ambulaverunt in viis ejus, ſed declinaverunt propter *avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium*, dixitque: *Conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent Nationes.* Cumque vox illa Populi Samueli nequaquam accepta eſſet, juſſit Deus, ut vocem Populi in omnibus, quæ loquerentur, audiret: *non enim*, inquit, *te abjecerunt, ſed me, nè regnem ſuper eos. Nunc ergò vocem eorum audi, verumtamen conteſtare eos, & prædic eis Jus Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos*; hinc Samuel Populum admonuit de iis, quæ ſub Rege paſſurus erat: *filios*, inquiens, *veſtros tollet, & ponet in Curribus ſuis, facietque ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi Tribunos & Centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum & curruum ſuorum; filias quoque ueſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas; agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis; ſed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis ſuis; ſervos etiam veſtros & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſervi, & clamabitis in die illa à facie Regis veſtri, quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiiſtis vobis Regem.* Populus autem nequaquam deterritus: *Rex*, inquit, *erit ſuper nos, & erimus quoque ſicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noſter, & pugnabit bella noſtra pro nobis.*

Licèt igitur non ex hoc Poteſtas ea jure faciendi data Regi fuerit, cùm nec eſſet electus, & potiùs Concio quædam erat Samuelis, quâ Populum advertebat ſuper eo Conſilio Regem ſibi conſtituendi; nulla tamen ſeu Populo ſeu Seniorum Concilio facultas judicandi Regem, ſi ea, aliavè admiſiſſet, quæ Samuel ipſe prædixerat. Quâ igitur fronte judicio velut ſtitiſſe Reges ante Sanedrim, pœnitentiam egiſſe, Virgâque coràm percuſſos, Thalmudici, aliique eorum ineptiis addicti affirmare potuerunt? Cùm nullum tamen Exemplum, & nec aliud quidem iis temporibus magni illius Concilii judicium afferant.

Piget equidem alia referre Rabinorum deliramenta; nè tamen

videamur cæcô ductu alienis hærere vestigiis; quamvis scripserint alii, Sinedryum semper exstitisse; alii verò à Machabæis primò institutum, & Gabinium nonnulli authorem faciant; nobis vim rerum intuentibus, & Hebræorum Civitatis diversas Politias, placuit temporum ordinem attendere; adeoque sicut Moysis ætate 70. Virûm Senatum agnoscimus, quoniam Populus in Deserto agebat, & eo Senatu opus esse admonitus fuit, cùm dixisset: *Congrega mihi LXX. de Senioribus Ismael, quos tu nôsti, quòd Seniores Populi sint, & scribas, & duces ad ostium Tabernaculi Fœderis, faciesque ibi portare tecum onus Populi, & non tu solus graveris*: ità post eum sub Josue Seniores à Deo ipso in cunctis Urbibus Judices constitutos, nullumque secum retinuisse Senatum è Sacro Codice elicimus; ille namque & Pontifex omnia peragebant, ùt Num. 27. *Josue stabit coràm Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine, & dabit ei Præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ suæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israël*; & si opus erat, Seniores vocabat, ac Tribuum Principes; unde Josue 23. *Vocavit Josue omnem Israëlem, Seniores, Principes, Judices, & Magistros eorum*, & sequenti: *congregavit Josue omnes Tribus Israël in Sichem, & vocavit Seniores, ac Principes, & Judices, ac Magistros.*

Sub cæteris autem nullum agnoscimus Senatum præter illum singularum Urbium; diximus namque Populum subactâ Regione sinè Rectore egisse, summumque Sacerdotem neglexisse Deum consulere, Populumque advocare, Ductoremque illi dare, quem præcepisset Numen; quare præter ipsum Pontificem, Sacerdotesque cæteros, nullus erat in Sylo, seu alibi Senatus, qui suprà cæteros adeò emineret, ut ad eum extrema ferretur provocatio, iretque per Urbes, Conventus Populi lustraret, Magistratusque conderet; & ipsos Judices necessitas dare visa est; Cùm autem imperabant, non ejus Potestatis Senatum patiebantur, sed cùm Seniores in Urbibus pari judicarent potestate, dum oriebatur difficultas, judicem adibant & Sacerdotes, ùt fusiùs infrà. Regum quidem temporibus, jam diximus, nullam fuisse Sanedrii Potestatem; ac sicut Regibus opus erat in Urbibus cæteris Magistratus constituere, qui juri dicundo præessent, ità in Urbe, ubi manebant, Magistratus erat, qui judicia exerceret, & hi quidem omnes erant è Senioribus, quorum potestas à Rege unicè fluebat, eorumque consiliis simul cum Principibus Tribuum, cæterisque aliarum Urbium Senioribus, sicuti expediens videbatur, usum fuisse non negaverim. Sicuti nec quod

in

in templo, poſtquàm conſtructum eſt, aſſiderent, atque ad eos cætera etiam aliorum Magiſtratuum negotia à Rege fuiſſe demandata, credere nîl prohibet; cùm tantùm deliria putemus illa, quòd Rex Concilio alicui ſubjectus fuerit, quòdque ab eo judicaretur, cùm Rex locò Dei fuiſſet à Populo univerſo conſtitutus, ut eum judicaret, & bella gereret, ipſe autem à nemine judicaretur; atque ità profectò Joſaphat Rex Judicia conſtituit in Civitatibus, ùt 2do Paralyp. habetur: *In Hieruſalem quoque conſtituit Levitas, & Sacerdotes, & Patriarchas ex Iſraël, ut judicium, & cauſam Domini judicarent habitatoribus ejus, præcepitque eis dicens: Si agatis in timore Domini & cordè perfecto, omnem cauſam, quæ venerit ad cor fratrum veſtrorum, qui habitant in Urbibus ſuis inter Cognationem & Cognationem, ubicunque quæſtio eſt de Lege, de ceremoniis, de juſtificationibus oſtendite eis; ut non peccent in Dominum, & nè veniat ira ſuper vos, & ſuper fratres veſtros. Sic ergo agentes non peccabitis. Amarias autem Pontifex veſter in iis, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Sabbadias filius Iſmahel, qui eſt Dux in Tribu Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officia pertinent: Magiſtri Levitæ erunt coràm illis.* Quod eò magìs admirationem excitat, cùm tantùm ſuprà cæteros Regem eminuiſſe Thalmudici tradiderint, ut Pontifex etiam maximus Regem venerari, & locum illi ſuum ad ſedendum cedere teneretur, *atque ipſe ſtaret* (verba ſunt Maymonidis à Cunæo latinè reddita) *ſi quando veniret ad eum Rex.*
„ At è contra Rex non ſtat præſente Pontifice, nisì cùm conſulit ſo-
„ lenni ritu Oraculum Urim. Præterea tanta Regis dignitas eſt, ut
„ vel ipſe Vates, quoties ei adeſt, in terram humiliter ſe ſubmittat,
„ quippe ſcriptum eſt, Nathanem Prophetam veniſſe coràm Rege,
„ & ſpecie honoris prono ore procubuiſſe in humum; de qua re fuſiùs infrà.

Nullum igitur laudatiſſimi Concilii veſtigium ante Babylonicum exilium reperitur, & poſt Templi, Urbiſque reſtaurationem Pontifices ſummam rerum arripuiſſe viſi ſunt, nullo Regis, aut Principis nomine aſſumpto; atque ut poteſtatem aſſequerentur, nil præter dolos, fraudeſque cernere datur; hinc Joſias ſummum Sacerdotium per nefas fratri eripit, & Jannes, ut retineat, in Templo Numinis, atque inter Sacra fratrem obtruncat, ejuſque ſanguine reſpergit Aras; hinc inter Jaddum atque Manaſſem odia, contentioneſque; cùmque in Templo Hieroſolymæ nequiret eſſe Pontifex, aliud ædificare ſtatuit in Garizin. Onias autem Leges ipſas Moyſis

ejurâſſe dominandi cupidine viſus eſt, Religionesque, & Ritus ſuſcepiſſe Græcorum. Quodnam igitur in Urbe regnatrice Concilium cum tanta poteſtate, quantam aſſeruêre Thalmudici ? Nè igitur perpetuò præter inſtituti rationem his hærere videamur, ſicut ante Babylonicum exilium, cùm tot converſiones Reſpublica paſſa fuerit, nunquam Sanedrium exſtitiſſe fatemur, ità fortiùs poſtquàm Judæi ad Sedes ſuas reverſi fuêre, Templumque inſtaurârunt; cùm nullus fuerit regularis ordo uſque ad Matathiam Haſmonæum, qui primus reſtituere rem aggreſſus, & Leges ſuas Judæis reddidit, & Rempublicam Principis nomine ſub imperium accepit; nec tamen Sanedrin faciem emiſit ſuam, cùm Principes ſimul atque Pontifices ſummam rerum ad ſe unicè traxiſſent; cùmque poſt eum Judas Principatum aſſumpſiſſet, & Onias Pontificatum maximum, quoniam Antiochus Eupator, captâ dolo Urbe Hieroſolymâ, ex eo rerum momenta unicè pendere animadverteret, nec ſatis ei fideret, Alcymum locò ſui Pontificem conſtituit; qui cùm Principem Judam ferre nequiret, atque ad Demetrium Seleuci filium tranſiiſſet, adeò criminatus illum ad Regem eſt, ut armatas Copias Duce Bachyde Rex mitteret, illeque comitaretur adversùs Patriam; imò cùm Dux ille reverſus eſſet ad Regem, Pontifex Alcymus Exercitui imperare viſus eſt, Copiasque augere perditiſſimorum hominum numero; jamque actum fuiſſet de Republica, nisì mors propera nefarium hominem ſuſtuliſſet; unde Judas ipſe Pontifex conſtitutus ſummum Sacerdotium ſimul cum Principatu miſcuit; poſtque eum Jonathas, quo primum tempore concilium illud prodire videtur; & fas erat, in tanta rerum perturbatione, quæ acciderat, firmum aliquem ordinem Civitati dare, ut cùm è fluctibus, procellisque, quibus jactata erat, ac penè obruta, emerſiſſet, diù tranquillitate potiretur; cœpit igitur cum Senatu Populum regere, & Populus ipſe in Concionem advocabatur, poteſtatemque eam Senatui æquo animo arripere permiſit, nè ſummi Sacerdotii, ac Principatûs invidia cunctos adeò exſtimularet, ut pati nequirent inſuetum ei Genti regnandi morem; cùm vel ab initio Reipublicæ diſtincta munia viſa eſſent, licèt Sacerdotes, utì Magiſtratus etiam in Republica fuiſſent. Sed nec Senatus Poteſtatem adhuc explicabat, quam poſteà paulatim obtinuit, procedentibusque temporibus exercuit; cùm enim Ariſtobolus poſito Principis nomine Regem ſe ferret, conſultum putavit Populum deprimere, nec eum in Concionem vocare

ampliùs,

ampliùs; unde Senatui Authoritas accessit, quam Lege dein firmâsse conjicimus, ut ejus sedes in Sanctuario esset, utque de divinis, humanisque rebus Senatores 70. cognoscerent nobilissimi, nec ab his provocatio esset, & quidquid cæteri Magistratus, Judicesque judicare nequibant, id omne ad eorum Jurisdictionem pertineret; utque unus Senatui præsideret, qui Princeps in omni loco diceretur, quem Judæi nuncupabant Nasy, Vicarius nempe Regis; alter autem illi proximus, essetque veluti Pater Judicii, cæteri æquali authoritate pollerent. Solemni autem actu potestas illa conferebatur, manuum nempe impositione, seu concepti cujusdam carminis recitatione, quo tamen impositionis manuum mentio fieret, licèt nec essent admotæ; de qua re adeundus Joseph Scaliger.

Cùm autem eo tempore Sacerdotium Principatui conjunctum videretur; nec dubitare fas erit, Pontificem, quotiescunque Senatum adire magni momenti negotia cogebant, præter supremam etiam Principis potestatem, fuisse universi Senatûs Caput; cùm magnam ejus partem Levitæ, ac Sacerdotes constituerent; quidquid Rabini Judæorum effinxerint, qui Pontificem nec jure suo, sed suffragiis tantùm tunc admissum scripsêre, si cordatus, & capiendis] Consiliis non ineptus fuisset. Oportebat autem omnes corpore integro esse, ùt & famâ; Sed nec exteros admitti fas erat, licèt Matre Judæâ natos satis fuisse scripserint.

Et quidem iis temporibus Politia ad sua initia juxta Moysis mentem revocari videbatur; jusserat namque Deus 70. Virûm Senatum cum Judice, & Sacerdotibus loco præesse, quem ipse elegerat, quique noluisset obedire Sacerdotis imperio, ex Decreto Judicis debebat mori; unde Joseph: *Si verò*, inquit, *Judices nesciunt de rebus ad se delatis pronunciare, integram causam in Urbem Sanctam mittent, & convenientes Pontifex & Propheta, & Senatus, quod visum sit, pronuncient*; Et Deuteron. 19. *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabunt ambo ante Dominum coràm Sacerdotibus, & coràm Judicibus, qui erunt illis diebus.* Imò cum Senatu Moyses ipse causam cognovit ejus, qui Sabbatho ligna collegerat; unde Philo: *comprehensum*, inquit, *hominem adduxerunt ad Principem, cui assidebant in Concilio Sacerdotes;* aderat verò universa multitudo ad audiendum die Sabbathi; Moyses autem, quo supplicio dignus esset ignarus, Deum consuluit; qui lapidibus cædendum esse respondit.

Ponti-

Pontifex igitur maximus cum Sacerdotum Collegio quid è Lege erat, indicare tenebatur, atque ut fieret, præcipere; Sanctio autem Judicis erat, pœnam namque ſtatuebat, & morte damnabat; unde cenſere illi videbantur, atque decernere; Judicem autem jubere; & ex Dei præſcripto ità Reſpublica debebat eſſe conſtituta, ut hi perpetuò in Urbe, quæ Caput rerum eſſe debebat, lateri Principis qualicumque ſub nomine aſſiderent; nec enim voces, ſed poteſtatem attendere fas eſt, quod tamen neglectum fuiſſe abundè dictum eſt.

Conſtat etiam Pontificem cum Principibus Sacerdotum, & Scribis, ſimulque Principes Populi, & Reges etiam ultimâ ætate Concilium adiviſſe, quod Ezechiel Propheta Judæos admonuerat, cùm eſſent è Babylonico exìlio in ſedes ſuas reverſi; ità enim habetur Ezechielis cap. 44. *Sacerdotes Populum meum docebunt quid interſit inter ſanctum & profanum, & inter impurum, ac purum indicabunt eis; circa judicium ſanguinis ipſi inſiſtent, ut dijudicent; & juſtificationes meas juſtificabunt, & judicia mea judicabunt, & Leges meas, & Præcepta mea in omnibus diebus feſtis meis cuſtodient.* Et Jerem. 16. *Locuti ſunt Sacerdotes, & Prophetæ ad Principes Juda, dicentes: Judicium mortis eſt Viro huic, quia prophetavit adversùs Civitatem iſtam;* & dixêre Principes ad Sacerdotes: *Non eſt Viro huic judicium mortis, quia in nomine Domini Dei noſtri locutus eſt ad nos.*

Obtinuit ergo eâ tempeſtate Concilium vitæ, necisque poteſtatem, quam tamen brevì admodùm exercuit; poſt Ariſtobulum namque cùm Romanorum Provincia Judæa evaſiſſet, adeò imminuta eſt Concilii poteſtas, ut nec ſinè authoritate Procuratoris Romanorum Concilium poſſet convocari, nec damnatum morte mulctare.

P. Gabinius autem cùm Syriam Proconſulari dignitate obtinuiſſet, Gentis unitatem omnino diſſolvit, & ex uno quinque Concilia fecit; præter enim illud Hieroſolymæ, alterum fuit Gadaris; tertium Amathuntæ, alterum Gericunthæ, & Sephoris Galileæ ultimum.

Sed Herodes, cùm Rex à Romanis eſſet nuncupatus, atque Hircanum interemiſſet, Concilium univerſum, quod agebat Hieroſolymæ, ſuſtulit, Senatoribus interfectis, eorumque locò ſuæ factionis hominibus ſubſtitutis; verùm eo mortuo, expulſoque Archelao filio, atque ab Auguſto Viennam migrare juſſo, cùm Judæam iterum Procuratores Romani moderarentur, & Herodes Antipas Herodis

rodis Regis filius Tetrarcha esset Galileus, cæpit Concilium illud contra Christum insurgere, adeò ut tandem convocati Sacerdotum Principes, & Scribæ cum Populi Senioribus, Judæ, qui eum prodidit, cohortem tradidêre, ut dolo arriperet; cumque morte damnâssent, duxerunt in Prætorium ad Pilatum, ut juberet exequi, quod ipsis decernere visum fuerat; cùm, ùt diximus, nec mero imperio polleret ampliùs; tunc autem per Pharisæorum, & Sadducæorum factiones omnia geri videbantur, & in Apostolos postmodum sæviêre; unde Josephus: *Ananus*, inquit, *Pontifex ab Agrippa Rege factus audaciâ præstitit*, & ut Sadduccæus acerbus in judiciis fuit; putans autem se idoneam occasionem nactum, quia Festus Procurator vitâ cessisset, Albinus verò adhuc in itinere esset, convocat Concilium Judicum, & ad id adducit Jacobum fratrem Jesu, *qui dicebatur Christus*, & quosdam alios, crimine oblato, quòd Legem violâssent. Qui verò moribus erant mitioribus, ægrè hoc tulerunt, & clàm ad Regem miserunt, hortantes, ut Ananum ab ejusmodi incæpto revocaret. Quidam verò eorum etiam Albino obviam processerunt, eumque docuerunt, non licere Anano, injussu ejus Concilium convocare. Quare Albinus mandavit Anano, nè quid tale tentaret, nisi pœnas dare vellet, atque ei propterea Pontificatum ademit.

Mansit autem donec Urbs à Tito eversa est, & cum ea Hebræorum Civitas jam pridem dissoluta omninò evanuit.

Concilium ergo illud nedum de maximis Reipublicæ negotiis deliberabat, sed capitalia judicia exercebat, tum quæ ad illud è judiciis aliarum Urbium deferebantur; tum quorundam peculiarium Criminum, præsertim quæ Religionem spectabant, & Rempublicam; Unde Prophetarum causas unicè in eo disceptari fas erat; quo respexit Christus, cùm *Prophetam nullum perire extra Hierosolymam posse* affirmavit, apud S. Lucam in Evangelio. Hinc Sigonius D. Augustinum arguit, quòd judicialem Hebræorum ordinem parùm compertum habuerit, cùm inquit: *Tres reatus sunt, Judicii, Concilii, & Gehennæ ignis.* Nam in judicio adhuc defensioni datur locus. In Concilio autem, quanquam & judicium esse soleat, tamen, quia interesse aliquid è Sac. Codic. (Evangelio nempe, dum Christus inquit: *Quod omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio: qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit Concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit Gehennæ ignis.*) fateri cogit ipsa distinctio; videtur ad Concilium pertinere Sententiæ prolatio, quando non jam cum ipso reo agi-

 tur,

tur, utrum damnandus ſit, ſed inter ſe, qui judicant, conferunt, quo ſupplicio damnari oporteat, quem conſtat eſſe damnandum; in Concilio namque cùm graviora crimina diſquiri oporteret, ſic atrociores Sententiæ promulgari videbantur, & damnatorum corpora in locum quandoque, quem Gehennam nuncupârunt, deferri mos erat, ut ibi cremarentur.

De cæteris Magiſtratibus Hebræorum.

Judicia igitur exercebat Collegium aliud trium Virorum & viginti, quod congregabatur in Templo ad portam Atrii. Aliud quoque pariter trium & viginti Virorum Collegium ad portam Montis ſancti fuiſſe tradidêre, & ex eo ad illud Atrii aſcenſus honoris erat, ex quo ad Concilium Sanedrin adſcribi mos erat, quæ longiùs diſquirere Inſtituti ratio non patitur. In Urbibus autem cæteris præter Collegium juridicundo, negotiiſque publicis conſtitutum Principes erant, qui eas moderabantur, quos Chiliarchas fuiſſe, Hecatontarchas, Pentecontarchas, & Decatarchas, Præfectos nempe 1000. hominum, ſeu latinè Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos Sigonius advertit, & ex Joſepho, Septenos fuiſſe in cunctis Urbibus, quibus duo Miniſtri aderant ex Tribu Levi, Scribas nempe, qui acta referrent, admonemur; eorumque duplex erat munus, de rebus nempe publicis conſulere, atque ad Judices legitimos cauſas introducere, Judicum Principes, & Grammatoiſagogæi, ſive litium Introductores nuncupati; quapropter, quæ cauſæ recipiendæ, quæque rejiciendæ eſſent, animadvertere tenebantur, quasque cognoſci oporteret, ad Judices introducere. Hi autem cum cæteris Cognationum, & Tribuum Principibus à Regibus advocari ſolebant, ut de rebus publicis conſultarent, cumque iis graviora quædam negotia cognoſcerent; unde 29. Paralypom. *Ezechias Rex advocavit omnes Principes Jeruſalem, & aſcendit in domum Domini.* atque apud Jeremiam 36. *Cùm Michaas detuliſſet ad Principes ſedentes in domo Regis ad Gazophylacium ſe audiſſe Baruch legentem Vaticinium Jeremiæ de excidio proximo Urbis; Principes, Barucho accito, mandârunt, ut Librum legeret, quo audito, obſtupefacti ad Regem Joacim acceſſerunt, remque totam expoſuerunt, Regique cupienti Volumen illud exuri, aliquot de Principibus reſtiterunt, ſed nihil profecerunt.*

De Scribis.

Erant & Scribæ Divinæ Legis periti, qui eam Populo interpretari tenebantur, cùm alii etiam eſſent, qui ſcribendo præſtabant operam Magiſtratibus; hinc Joab Præfectus Davidis Regis deſcripturus numerum Hebræorum ſumpſit *Phylarchos & Scribas*, & *luſtravit*

vit totum Israël, & 12. 4ti Reg: *cumque viderent nimiam pecuniam esse in Gazophylacio, ascendebat Scriba Regis, & Pontifex, effundebantque, & numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in Domo Domini*; hinc David è Levitis 6000. Scribas ac Judices fecit, atque Josaphat Rex Sacerdotes ac Levitas per omnes Civitates Judæ dimisit, qui eam docerent, multoque fortiùs post Babylonicum exilium; tunc enim Esdra primus Sacerdos atque Scriba Legem Populo interpretatus, alios etiam assumpsit, ut simul Sacros libros custodirent, & Canonem scriberent librorum, qui probati essent; hinc in Evangelio tot in locis Christum conveniunt, interrogantque de Potestate. Docebant autem tum in Templo, tum in Synagogis, unde etiam Scribæ Templi nuncupati, ùt ex Antiochi Decreto apud Josephum lib. 12. *Senatus, Sacerdotes, Scribæ Templi, & Sacri Cantores sint immunes à Tributo, quod pro suo Capite debent*, videre est.

De Synagogis.

Synagogas autem ædes fuisse diximus, in quibus Judæi conveniebant die Sabbathi, ut Legis Interpretem audirent; erantque nedum in Judæorum Regione, sed quocunque Judæi essent; imò in ipsa urbe Hierosolyma Synagogas pro externis fuisse dictum est. Romæ quoque Synagogæ Judæorum fuêre; hinc Philo in Legatione ad Cajum; *Tiberius non dissimulavit probari sibi Judæos, qui abominarentur adulationem, alioquin passus non fuisset trans Tyberim bonam urbis partem teneri à Judæis.* „ Romani verò hi erant plerique „ libertini, nam captivi in Italiam abducti à Dominis libertate donati fuerant, haud quaquam aliquid ex patriis institutis mutare coacti; „ sciebant enim eos habere Oratoria, & convenire in ea, & maximè „ septimo quoque die, quando publicè patriam docentur Philosophiam. Sciebat etiam sacras eos ex primitiis coacervare pecunias, ac „ Hierosolymam mittere. Sed tamen neque Roma eos expulit, nec „ Romanam Civitatem eis ademit, neque in Oratoria aliquid molitus „ est, neque convenire eos vetuit ad Legum Interpretationes.

Hi verò adeò captiosè Legem interpretari cœpêre, ut in Sectam quandam abirent, unde S. Epiphanius: *Legis*, inquit, *Expositores fuêre, Grammaticam quandam scientiam exponentes, reliqua quidem velut Judæi facientes, verum superfluam quandam & Sophisticam Interpretationem inducentes, non solùm secundùm Legem viventes, sed etiam abundantiùs, ut qui Urcæorum demersiones ac purificationes servarent, Poculorum item ac patinarum, & aliorum Ministerii Vasorum, ac tandem, videlicet ad sinceritatem ac Sanctitatem dispositi, crebrò manus lavarent*,

crebroque purificationes quasdam per lavacra adhiberent. Habent autem fimbrias quasdam significantes Politiam ipsorum ad ostentationem Elationis, & laudem spectantium, & phylacteria apud se ipsos palliis addebant, hoc est latas notas purpuræ. Expositiones autem quatuor apud ipsos erant, una in Nomen Moysis Prophetæ: 2da in præceptorem ipsorum Agybam appellatum, sive Baracybam: 3tio in Andan sive Annan, qui & Judas: 4ta in filios Assamonæi.

De Prophetis. Sed & Prophetas excitabat Deus, qui Divinô spiritu afflati bona ei Populo prædicebant, malaque obnunciabant, quorum signa Deus ipse docuit, cùm, inquit: *Propheta autem, qui arrogantiâ depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. Quòd si tacitâ cogitatione respondeas, quomodo possum intelligere verbum, quod Deus non est locutus, hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcircò non timebis eum.*

Cùm ergò innotescere cœpissent, conveniebant ad eos, ut futura prænoscerent, unde 1. Reg. *Sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Eamus ad videntem*, id est, ad Prophetam; nuncupabant enim Videntes, Virosque Dei.

Ergò ultrà modum, quô Pontifices consulebant Deum, respondisse visus est per Prophetas; qui, mirum, quantum procedentibus temporibus, ac præcipuè sub Regibus abundârint! unde 18. 2di Paralyp. scriptum est: *Congregavit Achab Rex Israël Prophetarum 400. Viros, & dixit ad eos: in Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus, an quiescere? at illi: ascende*, inquiunt, *& tradet Deus in manus Regis. Advocatus inde Michæas, primùm dixit eadem, deinde adjuratus, ut vera diceret, adjecit: Dominus dedit Spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum, & Dominus locutus est de te mala. Accessit autem Sedecias unus de Prophetis, qui prospera nunciârant, & percussit Michææ maxillam, & ait: per quam viam transivit Spiritus Domini à me ut loqueretur tibi? dixit Michæas: Tu videbis; inde ad Regem: si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me.*

Sed & Deus somnia immittebat, atque ut homo intelligeret, Somnium illud non ab incerta causa ortum esse, efficiebat, ut Divinam in Somniis nunciationem, quà verum portendebatur, non negligeret, unde Num. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per Somnium loquar ad illum; at non talis servus*

meus

mem Moyses, ore enim ad os loquar ei, & palàm, non per ænigmata & figuras, Dominum videt. Hinc Salomon per Somnium fuit admonitus, ut peteret, quod vellet. Sed & Joséph in Sómniis ab Angelo admonitus fuit, cùm diceret: *Joseph fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, &c.*

Vigilantes quoque per Visiones Prophetæ admonebantur, ut vera prædicerent, & aliquando ab Angelo; imò ipsum sæpè locutum accipimus, ùt Moysi, Abrahamo, Jacobo, Josue, &c. quod adeò intelligendum, ut non verba protulerit ad instar hominis, sed intellectum adeò irradiàrit, ùt & res ipsæ velut in speculo cernerentur, & divinitùs à Deo moneri perciperent. Hinc D. Basilius in Comment. Psalm. 28. *Vox*, inquit, *Dei diversa est ab iis vocibus, quæ in Sensum aurium cadunt; id enim accidit, cùm mens hominum, quibus ille vocem suam tradere vult, Visione quâdam informatur perinde atque in Somniis; nam ùt in his animus noster quorundam veluti verborum notis imbuitur, nullâ voce ad sensum aurium accedente, sed ipsâ mente quibusdam rerum insignibus informatâ, sic putanda est Dei Vox, quam Prophetæ audiisse dicuntur*; unde sacer Codex si Deum aliquando ùt hominem effinxit, eique membra, motûs & voces tribuit, id effecit, ut ad captum aliquorum se accommodaret, eosque tali modo veritate informaret; cùm enim nequirent Deum sinè Corpore cogitare, non aliàs potuissent ad officium se referre, nisi audirent, ùt Sigonius inquit, *Deum ire, redire, irasci, ulcisci, ac tela ad vindicandos sceleratos in promptu habere.*

Nec igitur Extasis aut furor animorum erat, cùm iram Numinis peccanti Populo denunciabant, futurosque rerum prædicebant eventus, nec mens extra se rapiebatur, ut Vates ipsi impotes sui evaderent, nec, quæ loquerentur, scirent, qualiter Poëtæ descripsêre Sybillas, & Montanus Maximillam & Priscam furentes, seque incompositis motibus agitantes in Scenam prodire fecit; hinc nefariorum hominum turba, Porphyriò Duce, mirum, quantum de divinis illis Vatibus somniavit! cùm intereà manifestâ rerum fide librorum Divinitas afferatur; inter eos autem, qui Messiam prædixêre, Esaias effulget, ùt & Daniel, quem insulsè Judæi inter Hagiographos habuêre. Sed post exilium Babylonicum non amplius Vates fuisse usque ad Joannem Baptistam docemur è Sacro Codice, quare ùt ultimus Vatum fuit, ita Evangelizantium primus; digitò namque monstravit, quem cæteri venturum agnovêre, quique nedum

crebroque purificationes quasdam per lavacra adhiberent. Habent autem fimbrias quasdam significantes Politiam ipsorum ad ostentationem Elationis, & laudem spectantium, & phylacteria apud se ipsos palliis addebant, hoc est latas notas purpuræ. Expositiones autem quatuor apud ipsos erant, una in Nomen Moysis Prophetæ: 2da in præceptorem ipsorum Agybam appellatum, sive Baracybam: 3tio in Andan sive Annan, qui & Judas: 4ta in filios Assamonæi.

Sed & Prophetas excitabat Deus, qui Divinô spiritu afflati bona ei Populo prædicebant, malaque obnunciabant, quorum signa Deus ipse docuit, cùm, inquit: *Propheta autem, qui arrogantiâ depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. Quòd si tacitâ cogitatione respondeas, quomodo possum intelligere verbum, quod Deus non est locutus, hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcircò non timebis eum.*

De Prophetis.

Cùm ergò innotescere cœpissent, conveniebant ad eos, ut futura prænoscerent, unde 1. Reg. *Sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Eamus ad videntem*, id est, ad Prophetam; nuncupabant enim Videntes, Virosque Dei.

Ergò ultrà modum, quô Pontifices consulebant Deum, respondisse visus est per Prophetas; qui, mirum, quantum procedentibus temporibus, ac præcipuè sub Regibus abundârint! unde 18. 2di Paralyp. scriptum est: *Congregavit Achab Rex Israël Prophetarum* 400. *Viros, & dixit ad eos: in Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus, an quiescere? at illi: ascende*, inquiunt, *& tradet Deus in manus Regis. Advocatus inde Michæas, primùm dixit eadem, deinde adjuratus, ut vera diceret, adjecit: Dominus dedit Spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum, & Dominus locutus est de te mala. Accessit autem Sedecias unus de Prophetis, qui prospera nunciârant, & percussit Michææ maxillam, & ait: per quam viam transivit Spiritus Domini à me ut loqueretur tibi? dixit Michæas: Tu videbis; inde ad Regem: si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me.*

Sed & Deus somnia immittebat, atque ut homo intelligeret, Somnium illud non ab incerta causa ortum esse, efficiebat, ut Divinam in Somniis nunciationem, quà verum portendebatur, non negligeret, unde Num. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per Somnium loquar ad illum; at non talis servus meus*

mem Moyses, ore enim ad os loquar ei, & palàm, non per ænigmata & figuras, Dominum videt. Hinc Salomon per Somnium fuit admonitus, ut peteret, quod vellet. Sed & Joseph in Somniis ab Angelo admonitus fuit, cùm diceret: *Joseph fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, &c.*

Vigilantes quoque per Visiones Prophetæ admonebantur, ut vera prædicerent, & aliquando ab Angelo; imò ipsum sæpè locutum accipimus, ùt Moysi, Abrahamo, Jacobo, Josue, &c. quod adeò intelligendum, ut non verba protulerit ad instar hominis, sed intellectum adeò irradiàrit, ùt & res ipsæ velut in speculo cernerentur, & divinitùs à Deo moneri perciperent. Hinc D. Basilius in Comment. Psalm. 28. *Vox*, inquit, *Dei diversa est ab iis vocibus, quæ in Sensum aurium cadunt; id enim accidit, cùm mens hominum quibus ille vocem suam tradere vult, Visione quâdam informatur perinde atque in Somniis; nam ùt in his animus noster quorundam veluti verborum notis imbuitur, nullâ voce ad sensum aurium accedente, sed ipsâ mente quibusdam rerum insignibus informatâ, sic putanda est Dei Vox, quam Prophetæ audiisse dicuntur*; unde sacer Codex si Deum aliquando ùt hominem effinxit, eique membra, motûs & voces tribuit, id effecit, ut ad captum aliquorum se accommodaret, eosque tali modo veritate informaret; cùm enim nequirent Deum sinè Corpore cogitare, non aliàs potuissent ad officium se referre, nisi audirent, ùt Sigonius inquit, *Deum ire, redire, irasci, ulcisci, ac tela ad vindicandos sceleratos in promptu habere.*

Nec igitur Extasis aut furor animorum erat, cùm iram Numinis peccanti Populo denunciabant, futurosque rerum prædicebant eventus, nec mens extra se rapiebatur, ut Vates ipsi impotes sui evaderent, nec, quæ loquerentur, scirent, qualiter Poëtæ descripsêre Sybillas, & Montanus Maximillam & Priscam furentes, seque incompositis motibus agitantes in Scenam prodire fecit; hinc nefariorum hominum turba, Porphyriò Duce, mirum, quantum de divinis illis Vatibus somniavit! cùm intereà manifestâ rerum fide librorum Divinitas asseratur; inter eos autem, qui Messiam prædixêre, Esaias effulget, ùt & Daniel, quem insulsè Judæi inter Hagiographos habuêre. Sed post exilium Babylonicum non amplius Vates fuisse usque ad Joannem Baptistam docemur è Sacro Codice, quare ùt ultimus Vatum fuit, ita Evangelizantium primus; digitò namque monstravit, quem cæteri venturum agnovêre, quique nedum

ſignacula ſolvit Sapientiæ, ſed myſteria impleuit univerſa, & Divinâ vi Apoſtolos adeò afflavit, ut illa intelligerent, docerentque; quæ, cùm Judæi nunquam percepiſſent, delirârunt adeò, ut miſerationem potiùs excitare, quàm contemptum videantur; hinc ante Chriſti ortum myſteria quædam ridicula alii aliis tradidêre, & Kabalam appellârunt, Legem nempe non ſcriptam, de qua alibi peculiari diſſertatione agemus. Nunc propterea tantùm advertiſſe ſufficiat, myſticum intellectum arcanorum ſenſuum Sacri Codicis veram eſſe Kabalam, interpretatio nempe Legis myſtica, quam Deus Moyſem docuit & Prophetas.

Quare ſummi Myſterii ſcientiam eos habuiſſe liquet, & quidem Abraham cupiit videre, & vidit, lætatuſque eſt; unde D. Petrus: *de qua Salute*, ait, *exquiſiverunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, ſcrutantes, in quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias, quibus revelatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos, qui Evangelizarunt nobis Spiritu ſancto miſsô de Cœlo, in quem deſiderant Angeli proſpicere.*

Unde cum Patriarchis promiſſionibus primò ſancitum fœdus ex Epiſtola Pauli ad Galatas dignoſcitur: *Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones, pactionem autem confirmatam antè à Deo reſpectu Chriſti Lex poſt annos* 430. *lata, non facit irritam, ut aboleat promiſſionem.* Alterum verò, Legislatione ipsâ, quæ Chriſtum ſpectavit, universa; licèt Judæi haud intellexerint; quare venturum Meſſiam, qui rem reſtitueret, ex Vatibus, non verò ex Lege didiciſſe videntur; quam propterea dum exponunt, aniliter nugari non deſinunt; hinc D. Paulus poſtquam verum accepit intellectum, Rabinica deliramenta, eorumque Kabalam ejuravit. Hinc Judæorum ex eo unicè cordati videntur Karraitæ, quòd præter Sacri Codicis contextum, cætera, quæ Thalmudici tradunt, pro nugamentis habeant.

De Judæorum pervicacia.

Sed profectò qualis gens Judæorum fuerit, & quomodo immemor Cæleſtium beneficiorum, patet ex eo, quòd in ſecundis rebus, Idolis ſupplicaret; in adverſis, Deo; undè (verba ſunt Auguſtini) *cùm reputare in animo ſoleo, Populum, tot beneficiis Deo obligatum, tot cladibus, cùm peccaret, coërcitum, expertumque & miſericordiam & ſeveritatem Dei nequaquam fuiſſe emendatum, & cum ſemper veniam erroris acciperet, ſemper peccâſſe poſt veniam; nihil mirum videri poteſt, Chriſtum ab his*

his non esse receptum; *cùm jam inde ab initio toties in Dominum rebelles deprehendantur*; *magisque mirum est*, *illis semper peccantibus*, *nunquam Dei*, *si quando imploraverunt*, *defuisse Clementiam.* Hinc in tot sectas abire visi sunt, & ante Babylonicum exilium, Idololatræ; postea verò Hæretici audivêre.

Sed eorum hæreses & schismata inferiùs nec indicare desinemus; nunc ad Politiam redeuntes, ipsa rerum series fateri cogit, post Josue unitatem Reipublicæ desiisse, ac propterea neglectam Legislatoris mentem, corruptam Remp. Legemque penè oblivioni traditam cernere datur; quis enim Rempublicam agnoscet sinè rectore, Consilioque publico, imò dixeris sinè Lege? cujus Gens illa immemor, ùt plerumque secundis rebus accidit, otio atque luxu, subactâ Regione, diffluens, acceptam adeo disciplinam deserere visa est, ut victas gentes non meliùs ejusdem ulcisci potuisse probetur; suis enim moribus adeò Populum universum imbuisse visæ sunt, ut nedum uxores ex eis assumere, sed profano ritu Idola colere cœpisset, & *ad iracundiam incitâsset Dominum*, *cùm universi dimisissent eum*, *servientes Baal & Astaroth*; nec enim præceptum illud salubre servârunt, ut nempe devictas gentes usque ad internecionem delerent; eisdem namque sociati, cupidique dominandi imperare victis cum pernicie malebant; hinc iners, ignavusque Populus nullò fermè negotiô in servitutem redactus nunc à Mesopotamiæ Rege, nunc à Moabitis, Chananæisque, rursumque à Medianitis, atque ab Allophylis, Ammonitisque; nunc autem Tribus Civili bello seipsas atterebant, adeoque quomodo Aristocratiam sub judicibus fuisse scripserint, intelligere nequeo; cùm nullam agnoscam regularem formam viguisse, & necessitatis telô acerrimo adigebantur, ut Ductori parerent, qui arreptâ occasione, excitatusque à Numine in hostes insurgebat, Contribulesque animabat; Atque ut rerum ordinem teneamus; cùm post Josue superstes etiam pars hostium videretur, licèt non sinè temporis intervallo (quo ex Josepho conjicitur, Populum quanquam sinè Duce Aristocratico regimine moderatum ab ipsis Tribuum & familiarum Principibus cum Senioribus, summoque Sacerdote; unde Legem, quamvìs sinè Duce, Tribus tamen cunctæ servabant; hinc tot Respublicæ, quot fermè Tribus, videbantur) Deum consuluit Populus, ut Ducem designaret contra Cananæum, dixitque Dominus: *Judas ascendet*, *ecce*, *tradidi terram in manus ejus.* Et ait Judas Simeoni fratri suo: *Ascende mecum in sortem meam*, *& pugna contra*

De Civitatis lapsu, & orinis dissolutione.

De Judicibus.

contra Cananaeum, & ego pergam tecum in sortem tuam; quod de Tribubus Juda & Simeon Josephus interpretatus est, eumque secutus est D. Augustinus in quaestionibus super Judices; atque ab his reliquus etiam ager, praecipueque montanus occupatus est, Cananaeos namque Jebbusaeos & Pherezaeos subegerunt, captamque Hierusalem diripuêre, Palaestinis quoque ereptis urbibus Gaza, Ascalone & Accarone; „ cumque ità confortatus esset Israël, fecit accolas tribu„ tarios, & delere noluit, habitavitque in medio Cananaei, nec inter„ fecit eum. Nec tamen subegit Amorrhaeos, qui ad planiora descen„ derant, quoniam falcatis curribus abundabant.

Exprobrati ergo Hebraei ab Angelo fuêre, quòd foedus percussissent cum habitatoribus Terrae illius, & nec Aras, uti praeceptum erat, eorum subvertissent; unde eos hostes habituros, Deosque eorum futuros in ruinam obnunciavit.

Cùm autem post defunctos Patres statim oblivio Legis Juniores coepisset, & societate illâ Gentium, contagione scelerum affecti essent, *iratus Dominus tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum, nec potuerunt resistere Adversariis suis*; *ac licèt suscitâsset Judices, qui liberabant eos de vastantium manibus, nec eos tamen audiebant*; *quoniam postquàm mortuus esset Judex, revertebantur, & multò faciebant pejora, quàm fecerant Patres eorum, sequentes Deos alienos, servientes eis, & adorantes illos.*

Ope igitur Numinis destituti à Rege Mesopotamiae, quem Chusan Rasathaim Sacer Codex nuncupat, subacti, foedam 8. annorum spatio servitutem serviêre; posteà vero Othoniel Dux eorum factus in libertatem asseruit, eoque beneficio 40. annorum spatio praefuit; licèt Sulpitius scripserit 50., quo numero totum tempus à morte Josue ad Othonielis obitum complexum esse Sigonius advertit; statimque post eum quasi vel ipso pacis bono Populus ille corrumpi debuisset, suo vivere ingenio coepit, idolisque etiam litavit; sed peccantes ultio Numinis sequebatur. Quare ab Eglo Moabitarum Rege debellati duo de viginti annis captivitatem pependerunt; cùm Aod filius Gemini dolo Regem illum è medio sustulit, Populumque adeò repentè collegit, ut Moabitas irruentes nedùm sustinere, sed 10. illorum millia trucidare potuerit; cumque ob rem bene gestam suspicerent virtutem ejus Hebraei, donec vixit, 80. nempe annorum spatio, eum praeesse voluêre. Sed iterum externa vitia irrepserunt, cumque his Idolorum cultus; secuta propterea Numinis vindicta, & per

20. an-

20. annos ſub Jabino Chananæorum Rege ſervire coacti, non aliter in libertatem ſe vindicârunt, nisi Debboræ Prophetiſſæ virtute, quæ Baracum Nephthalitam ad bellum incitavit, ſecumque pergens adeò copiarum animos accendit, ut Siſaræ Ducis Exercitum debellaverint, cùmque profugus ſe recepiſſet in Jahelis domum ultrà hoſtium fines, illa ſopitum clavo per tempora impacto neci dedit; quare amiſſo Duce, Copiisque Chananæorum Rex Iſraelitas ultores paſſæ ſervitutis expertus eſt. Sed poſt 40. annorum ſpatium rursùs in ſcelera, cultusque Dæmonum prolapſi, Madianitis traduntur in ſervitutem; poſtque annos ſeptem Gedeon è Tribu Manaſſe excitatur à Deo, miroque ſtratagemate, cùm lagenis fictilibus faces incluſiſſet, hoſtes aggreſſus, uno eodemque tempore lagenas explodi juſſit, tubisque cani; territus hinc hoſtis, ruensque in mutuam cædem ſe ipſum conficit; Gedeon namque cum parva manu, 300. enim Dei monitu delegerat, egregium facinus abſolvit, adeoque victoriâ uſus eſt, ut fugientes Madianitas accolæ montis Ephraim intercluderent, vadaque Jordanis occuparent, hoſtiumque magnam partem trucidarent, captisque Principibus Oreb & Zod, capita eorum ferrent ad Gedeon trans Jordanem; exprobrabantque, quòd eos contempſiſſet, cùm non vocâſſet ad prælium; Nec ille moras nectens, cùm animos eorum miti ſermone flexiſſet, flumen tranſivit, hoſtesque, qui caſtra metati erant, ex improviſo adortus fudit, captivosque fecit Madianitarum Principes Zebe, & Salmana, eosque trucidavit, atque in reditu Incolas Socoth, & Phanuel, qui cibaria negaverant, malè mulctavit; poſt quæ omnis Iſraël eum elegit in Principem: *Dominare*, inquiens, *noſtri, Tu & filius tuus, & filius filii tui, quia liberâſti nos de manu Madian.* At ille: *Non dominabor*, ait, *veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus.* Juſſit tamen, ut darent inaures, è quibus confecit Ephod, poſuitque in Civitate ſua Ephra, & Iſraëli 40. annis præfuit. Sed poſt ejus obitum per artes & flagitia Tyrannus evadit Populi Abimelech filius ex concubina ſuſceptus, qui ut Tyrannidem malè partam ſcelere firmaret, Sobolem Gedeonis univerſam præter Joathan, qui minimus erat, fuitque abſconditus, ſuſtulit, 70. fratribus crudeliſſimè interfectis; cumque triennio impotenter eſſet dominatus, defecerunt ab eo Sichemitæ, quorum animos accendit magìs Gaal filius Obed, cùm ſermones ſereret adversùs Abimelech; ſed ille accepto nuncio à Zebul Civitatis Principe cum Exercitu accurrit,

currit, Urbemque cœpit, ac diruit, Civesque interfecit universos, cœpitque postmodum Oppidum Thebes, Turrimque obsedit; cumque subiret incautiùs, mulier quædam saxum jecit, elisitque capiti, mortemque imminere agnoscens, armigero jussit, ut jugularet, nè à fœmina interfectus diceretur.

Quare Populus eâ Tyrannide liberatus, Tholam Patruum Abimelech Judicem statuit; postque eum Jair Galaadites præfuit, eoque defuncto iterum sinè Rectore agebant; adeoque cunctorum mentes insania pervaserat, ut Legem, patriosque mores ejurâsse viderentur, colerentque Deos, Deasque Syriæ, atque Ammonitarum & Phylistiim, à quibus oppressi adeò, ut, cùm extrema paterentur, Idola confringerent, atque arma sumerent, castraque locarent in Maspha; cùmque Ammonitæ in Galaaditarum agro tentoria fixissent, Primores Gentis Jephthe advocârunt, quem Galaad è meretrice susceperat, fratresque propterea è domo ejecerant, tumque Dux latronum, perditissimorumque hominum erat, eumque Gentis Principem constituerunt, qui cum hoste pugnaturus, votum fecit Domino, si victor domum rediret, quidquid sibi primùm occurrisset, immolandi; damnatusque voti, filiam, quam primam obviam habuerat, sacrificare non destitit, exque ejus casu confictam Agamemnonis filiæ fabulam Petavius conjecit.

Tunc autem primò bellum civile exarsit inter Tribum Ephraim, & Galaad, eoque Duce victi, atque debellati Ephraimitæ; illum verò excepit Abesan, quem Sacer Codex refert 30. filiorum Patrem, totidemque filiarum extitisse; omnesque uxores duxerunt & viros; septemque annis judicavit Israël, eique successit Ayalon Sabulonites, postque 10. annos defunctus, Abdon Judex fuit, de quo Sacræ Literæ: *habuit* 40. *filios*, *&* 30. *ex eis nepotes*, *ascendentes super* 70. *pullos asinarum*, *&* *judicavit Israël* 8. *annis*.

Sed iterum ad sua ingenia redière Israëlitæ; quare denuò iram Numinis experti, tradiditque eos in Phylistæorum manus, eamque servitutem 40. annis serviêre; postque surrexit Samson, qui fortitudine suprà hominum fidem in Palæstinos, è qua Gente sibi uxorem sumpserat, & cùm absens esset, alteri collatam in reditu invenerat, grassari cœpit hostis in morem. Natus hic à matre diù sterili, consecratusque ex utero Numini, stupendum illud robur à Deo acceperat; cùm autem Palæstini ad supplicium postulâssent, deditumque accepissent ab Hebræis, quoniam sub eorum imperio erant,

rant, diſruptis repentè vinculis, maxillam Aſini, quæ fortè obvenerat, arripuit, decemque millia mactavit hoſtium. Sed his, aliisque egregiis patratis inauditi roboris facinoribus, mulierculæ, quam deperibat, dolo Palæſtinis traditus, ſtatimque excæcatus; nec tamen ſinè ultione periit; cùm enim conveniſſent Primores gentis ad ſacrificandum Dagon, epulandumque, Samſonem acciri juſſerunt in ludibrium, cumque ſtaret inter duas columnas, quibus ædificium ſuſtinebatur, utrasque manibus concuſſit, eâque ruinâ ſe, illosque ſepeliit. Eô quidem tempore cum Samſone ipſo ante captivitatem Heli ſummus Pontifex, Judicis etiam titulo aſſumpto, Populum moderabatur, poſtque eum rexit annis 20.; Filii autem ſui ſacris abutebantur, ut impunè graſſari liceret; ſed ultio Dei crimina ſequebatur; victi igitur ingenti acie Iſraëlitæ, cùm Arca Seniorum conſilio in caſtra delata eſſet, ut & hoſtes terrerentur, & ipſi majori fiduciâ, atque animorum ardore pugnarent; nihil profuit, cùm & eam hoſtis cœpiſſet, (quæ propterea ab eo detenta 7. menſibus, non primùm remiſſa eſt, nisi poſtquàm ſuo malo agnovit, quocunque deferretur, fœdos morbos, dirámque perniciem inferre, ſtetitque annis 20. Chariathiarimis) & eo prælio ambo Pontificis filii cecidiſſent, Pater accepto cladis nuncio, ſubito mœrore correptus, è ſella cecidit, exſtinctusque eſt. Quare Samuel acceptus Deo, cùm jam Propheriis inclaruiſſet, Populum cœpit moderari, eoque advocato apud Maſpham, fœdus redintegrari cum Domino curavit; cùmque hoc audiviſſent Palæſtini, iterum eos ſubigere tentârunt; ſed converſa rerum facies erat, & conciliatum Numen inſignem Populo victoriam largiri voluit, quapropter ingenti clade attriti, ſuis ſe finibus continere cœperunt. *De Samuele.*

Sed poſtquàm ſenio confectus filios ſuos res publicas curare permiſit, peſſimo avaritiæ veneno corrupti, propter utilitatem judicia pervertebant; hinc primò cœpêre contemni; dein cùm exarſiſſent animis iræ, de mutanda Civitatis forma Conſilium cœpêre, & ut mox dicam, perfeciſſe viſi ſunt; Samuel namque, utcunque potuit, ordinem ſervare adlaboravit; quare Conventus Populi agebat, & unitatem Reipublicæ ſtudebat conſervare.

Vides igitur poſt Joſue vel nullam fermè fuiſſe regularem Civitatis formam, vel brevi admodùm perdurâſſe; adeò ut unaquæque Tribus nedum agere pro lubitu videretur, ſed nullo nexu cum cæteris conjuncta, nedum ſibi ruinam accerſebat, ſed hoſtium vires

 ad

ad ſubigendas alias augere videbatur, quam ſanè corporis adeò ritè coaptati diſſolutionem interitus omnino ſequebatur; hinc morum corruptio, Legumque oblivio; hinc velut hoſtium primò occupantium præda, rerumque adſpectus adeò miſer, ut nîl præter ignaviam, imbelliamque cerneres, & non aliàs homines ſe eſſe agnoſcerent, nisì ultima neceſſitas veterno illo oppreſſos expergefaceret; tunc autem Deum negligere deſinebant, & ſtatim opem experiebantur, cùm fortes excitaret Viros, qui hoſtes debellarent, eosque in libertatem aſſererent. Sed neceſſitate amotâ, nullus ordo, nec Ducem curabant; nec diſſolutio unicum erat malum, diſcordiis enim agitatæ Tribus ad arma concurrebant, mutuòque ſe atterebant; hinc Ephraimitæ uſque ad internecionem deleti; hinc ante eam cladem tota Tribus Beniamin ob ſtuprum à Gabaonitis illatum Levitæ cujusdam Conjugi à reliquis aggreſſa Tribubus; cumque bis dimicatum eſſet, & tertiò (adeò diris agebantur) acie decertârunt; nec quies armorum fuit, nisì Tribus integra propè occidione cæſa cerneretur; 600. namque duntaxat Viri ſuperſtites evasêre, cùm fugiſſent in montes; nec hoſtium ſanguine contenti, cunctas Urbes & Oppida Beniamin incenderunt; fruſtrà poſteà pœnitentiâ ducti, quòd tot fratrum millia interfeciſſent, utcunque deliberârunt reliquis conſulere, & de uxoribus illis providere, juraverant namque nulli Beniamitæ nuptui daturos filias ſuas, cumque alio juramento fuiſſent adſtricti, interficere nempe eos, qui pugnare adversùs Beniamitas detrectâſſent (tantus eorum mentes pervaſerat furor, quoniam Levita uxorem mortuam in fruſta conciderat, miſeratque in Tribus univerſas, cùmque conveniſſent in Maſpha, exſtimulare non deſiit) agnovêre, nec in Maſpha conveniſſe, nec prælio interfuiſſe Galaaditas, & neque eo tempore, cùm Conſilium in Silo caperetur, intereſſe, deliberârunt propterea eosdem uſque ad internecionem delere ſimul cum mulieribus, quæ admiſerant Viros, Virgines autem reſervare, ut darent Beniamitis; cùmque 400. tantùm adduxiſſent, pro reliquis conſilium aliud cœptum eſt, ut nempe ipſimet irent ad Urbem Silo, cùm ibi Feſtum celebraretur, latitarentque in Vineis, ut Virgines ad ducendos Choros ex more procedentes repentè ſibi raperent in uxores ſingulas, pergerentque in Terram Beniamin; eosque ad id impulerunt, ſpondentes, nil inde futurum mali, cùm dicerent: *cùm venerint Patres earum, ac fratres, & adversùm vos queri cœperint, atque jurgari, dicemus eis: Miſeremini eorum,*

De bellis Civilibus Tribuum.

non

non enim rapuerunt eas jure bellantium, atque victorum, sed rogantibus, ut acciperent, non dedistis, & à vestra parte peccatum est; sicque vi factum illud necessitatis, quâ jus omne tribuitur ad id, quod natura imperat obtinendum, comprobârunt; unde Plutarchus factum Romuli defendit tanquam non ex libidine, sed ob Connubiorum difficultatem necessario facinore perpetratum; quare nescio, cur tam acriter exagitetur à Tertulliano de spectaculis, Minutioque in Octavio; nec diversum scripsit D. Augustinus de Civitate Dei lib. 2. cap. 17. & 3. cap. 13. licèt justiùs illi, quoniam non alienas, ùt Romani, indistinctè rapuerunt, sed duntaxat Virgines; quamvìs, ùt Sacer Codex tradidit, sinè Rectore agerent, & quod libitum videbatur perpetrandi omnimoda facultas esset.

De Regis electione.

Deliberârunt ergo, ùt cæteri Orientis Populi, qui regnari malebant, Regem sibi cooptare, & occasionem arripuêre, quòd hostis ingrueret; semper namque Populus malè affectus, diuque patiens, si occasio adsit, præcipuèque si nec Dux deficiat, motus, è quo rerum conversio derivatur, excitare consuevit; nec tamen eò audaciæ processerant, ut Prophetam aspernarentur, & Regem ab eo, quem vis præsentior Numinis afflare sciebant, petere, putabant necessarium; jamque diximus, quomodo illum convenissent, utque Regem ipsis constitueret, postulâssent, quomodoque responsum à Propheta esset, non ut Regis jus interpretaretur, sed ut morem, abusumque potestatis indicaret, moneretque Populum de iis, quæ sub Rege tolerare oportebat. Sicut igitur sermo ille Samuelis inaniter pro Regio jure asserendo à Scriptoribus in medium profertur, ità nobis visum est, & Regem, & Populum uno eodemque tempore Vatem monuisse; Regi nempe indicando, quòd sit præter modum; Populo autem quòd legitimi Regis ingenium, etsi multifariâ potestate abutatur, ferre fas sit. Sed ab ea, quam Hebræorum Civitas constituto Rege accepit forma, desumere pro Regnis aliis argumentum, cùm nec in naturali, aut Naturæ parentis Jure versemur, nec uno eodemque modo Nationes, Gentesque regnari videantur, inane duximus; præter namq; Leges Regni peculiares, quas meritò fundamentales nuncupârunt, præterq; mores patrios, in his, quæ nec naturæ Lege, nec Dei continentur, quà vicissim Princeps, Populusque sunt adstricti, atque inter se opportuno nexu copulati, ad exempli vim frustrà externa adferri palàm est; unde Salmasius quamvis optimam Regis Caroli causam defendere suscepisset, inaniter Regum cunctarum fermè Nationum exem-

De Jure Regis.

exempla collegit, quare malè functum ſuo munere prodidêre. Abſolutè quidem ſummam rerum poteſtatem habentes latere non decet, hominibus imperare, quos Natura iisdem facultatibus inſtructos effinxit, nec propterea, quamvìs ſumma, fine Societatis, in qua eam explicat, terminari deſinit; cùm nec homines naturæ ſuæ, rationi nempe, renunciâſſe ſit evidens; ea namque ordinem conſtituit, ut pacem, ad quam naturâ ipsâ ferebantur, ùt alibi dictum eſt, cùm inter ſe, tùm inter alios colerent, & ut contra aggreſſores communis defenſio eſſet; utque bono pacis fruerentur adeò, ut ſecurè & quietè rationem ipſam explicarent, virtutis opera exercendo in vita fortunæ bonis ſufficienter inſtructa.

Unde quamvis multarum Civitatum origo prima ignoretur, jus tamen omne ad eum finem obtinendum translatum in ſumam poteſtatem eſſe, ejusque reſpectu Civitates univerſas ejuſdem eſſe naturæ, Principesque tali tantoque jure, ac poteſtate præditos aſſerere lumen ipſum rationis oſtendit. Quare quàm ſit auguſta Principis dignitas, nec aſſequi datur? quid enim ſublimius excogitari poteſt, cùm veluti præſens Numen omnibus adſit; & ſicuti Deus condit mortalium Genus, conſervatque, ità, ut ipſi, dum vivunt, juxta naturam agant, Princeps dat operam?

Sed redeuntes ad Inſtitutum, cùm obfirmatum Populum vidiſſet Samuel, voluntatemque Numinis intellexiſſet, unumquemque juſſit in Civitatem ſuam redire; cùm autem Dei inſtinctu Saul quærens Patris Aſinas perrexiſſet ad Samuelem, ille eum Regem deſtinari à Numine cognovit; quare multa opportunè collocutus, poſtquàm Convivium celebravit, eumque in principe loco ſedere fecit, deſcenditque de exccelſo in Oppidum, eum unxit in Regem, deditque ſigna, quæ cuncta evenerunt; quare viſus inter Prophetas, cumque ipſis prophetare; ſermones autem Samuelis, & quidquid ei de Regno palàm fecerat, indicavit nemini. Samuel autem, ut præter inaugurationem conſenſu Populi ei Regnum firmaret, utque Populus agnoſceret Regem, cui ſors obveniebat, quemque propterea deſtinaverat Numen, accepturum, conventum Populi egit in Maſpha, ſortesque adhibuit ſuper Tribus, exivitque Tribui Beniamin; tunc autem ſuper Cognationes ejuſdem ſortem poſuit, ſicque proceſſit uſque ad Saul filium Cis, qui cùm non eſſet inventus, conſulto pro eo Numine, agnoverunt domi abſconditum manere; concurſu igitur facto tulerunt eum inde, ſtetitque in medio Populi, & altior

De Saule Rege.

„ altior fuit universo Populo ab humero & sursum, & ait Samuel ad
„ omnem Populum: *Certè videtis, quem elegit Dominus, quoniam non*
„ *sit similis illi in omni Populo.* Et clamavit omnis Populus, & ait:
Vivat Rex.

Sed locutus est Samuel ad Populum Legem Regni, scripsitque in libro, & reposuit coràm Domino; atque hoc erat jus illud fundamentale, quòd Regem cum Populo, & utrumque simul arctissimè copulabat, non autem sermo ille extemporaneus, quem ad deterrendum à Regis desiderio Populum priùs habuerat; etsi conjicere datur (nec enim liber ille postmodum inventus) præter ea, quæ locutus erat Moyses de Rege, cùm dixit: *Cùm ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris: constituam super me Regem, sicut habent omnes per circulum Nationes: eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius Gentis hominem facere, qui non sit frater tuus, cùmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet Populum in Ægyptum equitatus numero sublevatus, præsertim cùm præcepit vobis Dominus, ut nequaquam per eandem viam revertamini: Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti, & auri immensa pondera. Postquàm autem sederit in Solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium Legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribûs. Et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias ejus, quæ in Lege Præcepta sunt; nec elevetur cor ejus in superbiam contra fratres suos, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israël*: alia etiam cùm circa Successores, quos inaugurari, & à Populo confirmari oportebat, tum circa judicia à Rege facienda Populi universi, & obedientiam ei præstandam, certandique pro Rege promptitudinem, ùt & Vectigalia, scripta eo in libro fuisse. Quòd autem agnoverint eam Familiam, à qua Reges acciperent, rerum, quæ acciderunt, series indicat; Jonathas namque Populo statim ostensus est, Principésque Tribuum proximum destinari senserant. Sed Saul sub ipsis initiis prudens dominandi sermones negligit despicientium, nec munera ferentium; simulátque, cùm adhuc sinè viribus infirma Majestas esset; opportunè tamen, ut virtutem ostenderet, potestatem explicare non omisit; cùm enim Ammonitæ acriùs institissent adversùm homines Galaad, nec Rex inæquali fœdere, ut nempe suis Legibus,

De Lege Regni.

gibus, ſuóque Magiſtratu viverent, ipſúmque recognoſcerent, pacem eis largiri voluiſſet, ſtolidéque ferox omnium oculos eruere eſſet comminatus, illi 7. dierum inducias impetrant, dediqúe poſtmodum ſpondent, ſi nullum Contribules auxilium ferant, inanem enim eam ſpem fore putabat Rex. Nunciato igitur eorum ſtatu Sauli, duos boves in fruſta concidit, miſitque in omnes terminos Iſraël, dicens: *Quicunque non exierit, & ſecutus fuerit Saul & Samuel, ſic fiet bobus ejus.* Cúmque conveniſſent, recenſuit eos, fuerúntque filiorum Iſraël 300000., Virorum autem Juda 30000.; repentè igitur debellatis Ammonitis, cùm optimi Ducis, ſtrenuíque militis partes implêſſet, Populus virtutem admiratus, & contra deſpicientes, nolentésque eum Regem habere indignatus, eos quærebat, ut interficeret, Saul verò tempeſtivâ clementiâ: *Non occidetur quiſquam in die hac*, inquit, *quia hodie fecit Dominus ſalutem in Iſraël*; Samuel igitur tunc voluit ſolemni ritu Regem inaugurare, Conventúmque edixit in Galgala, immolatíſque pacificis victimis, ipſum plaudente Populo Regem conſtituit coràm Domino; Concionémque habuit, quâ velut Judicio ſe ſtitit, innocénſque probatus, Legis obſervantiam Regi, & Populo impoſuit, minatúſque negligentibus ruinam, quæ dixerat, datis de Cœlo ſignis abundè confirmavit.

Ità Saul firmato ſibi Regno, à Phyliſtæis Gentem ſuam vindicare deliberat; Jonathas igitur præſidiarios in Gabaad eorum milites interficit, iiſque initiis bellum indicitur, incipitque ſimul; Saul autem inGalgala Populum luſtrare conſtituerat, lectoque cum Exercitu aggredi hoſtes, ibique Samuelem adeſſe curaverat, qui cùm eſſet moratus ultrà ſtatum tempus, Populusque dilabi cœpiſſet, Saul obtulit holocauſta, dumque venit Propheta, objurgavitque, ille: *quia*, inquit, *vidi, quòd Populus dilaberetur à me, & tu non veneras juxta placitos dies, porrò Phyliſtiim congregati fuerant in Machmas, dixi, tunc deſcendent Phyliſtiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placavi, neceſſitate compulſus, obtuli holocauſtum.* Propheta verò eum arguit, infauſtaque obnunciavit.

De Saulis virtutibus, & vitiis.

Prælia verò, quæ commiſit, ſeveritaſque in filium, quoniam præceptum de non comedendo, ut totâ die hoſtes perſequeretur, debellaretque univerſos, inſcius neglexerat, & mel guſtaverat (quem propterea morte afficere in animum induxerat, Populique precibus donare potiùs quàm abſolvere viſus eſt) Viri dotes, egregiamque Virtutem ſatis oſtendunt; reprobatus autem, quoniam prædam ex Ama-

Amalecithis, quos funditùs Dei juſſu delere tenebatur, reſervaverat, certiorque à Vate factus iræ Dei, cùm ad ſacrificandum Domino in Galgalis prædam duxiſſe Populum reſpondiſſet, monitusiterum, *meliorem obedientiam eſſe quàm Victimas* : *nam*, inquit, *quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare*, *& quaſi ſcelus Idololatriæ nolle acquieſcere. Pro eo ergo, quòd abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus, nè ſis Rex*; volensque diſcedere, Rex flexit ſermonibus : *peccavi*, inquiens, *inter alia*, *ſed nunc honora me coràm Senioribus Populi mei*, *& coràm Iſraël*, *& reverter? mecum, ut adorem Dominum Deum tuum* ; Adeò Regi neceſſe erat, ut Populus ex Vate cognoſceret, Regem bene agere, nec improbari à Numine. Hinc licèt auſpicatò conſenſuque Gentis Reges viderentur conſtituti, & unicè penès illos ſumma Poteſtas eſſet, ità ut Regalis Monarchia, ùt alibi diximus, jure optimo nuncupari videatur, nedum tamen Seniorum ac Principum ſingularum Tribuum, ſed præcipuè Vatum voces in officio Reges continebant, cùm ab ipſis Regum ſecuritas unicè penderet; Populus enim eum ſequebatur, quem probari a Numine intelligeret; Hunc autem tum penès Sacerdotes, tum penès Vates facultas indicandi erat, cùm illi Numen conſulerent, & Prophetæ ſua vi afflati loquerentur, Regibusque exprobrarent neglectum Legis tanquam à Deo miſſi; hinc Regibus Sacra etiam celebrandi, Deumque conſulendi ardor; hinc cùm ex una binæ viderentur Civitates conſtitutæ, Sacrorum Converſio; hinc Reges ipſos nedum ſuperſtitio, ſed Idololatriæ veſania pervaſit, ut pluribus munimentis inſiſterent.

De Dadidis inauguratione in Regem, ejusque geſtis.

Samuel ergo admonitus alium à Deo Regno deſtinari, ut mandata impleret, in Bethelem ad domum Iſai profectus eſt, elegitque è filiis ejus David, puerum paſcentem oves, eumque unxit eodem ritu; cumque exarſiſſet bellum cum Phyliſtæis, tresque fratres ejus ſecuti Regem eſſent, in Caſtra à Patre miſſus eſt, ut cibaria iis ferret, donariaque Tribuno, quæ occaſio fuit, ut inclareſceret, pugnaretque cum Goliath Phyliſtæo, & proſterneret, acceptusque Regi, plurimumque Jonathæ fieret; poſtmodum Tribunus conſtitutus, cunctorum amorem ſibi conciliavit, & in reditu, cùm mulieres de Urbibus Iſraël choros ducentes canendo dixiſſent : *Percuſſit Saul* 1000., *& David* 10000., *nîl ei ſupereſſe nisi Regnum*, Saul velùt admonitus, eum è medio tollere decrevit, tentavitque ipſe primùm, prophetare ſimulans, cùm David pſalleret; cumque miſiſſet lanceam, declinavit ictum,

ſenſitque quò Rex tenderet, ſibique ſimulando cavit; dein verò machinationibus, & dolis, ut abundè prodit ſacer Codex; David autem nunc uxoris fide, quæ filia Regis erat, nunc Jonathæ amicitiâ, nunc verò fugâ incolumis, cùm veniſſet ad Sacerdotalem urbem Nobbe, confictô ſermone, ab Achimelech Sacerdote panes propoſitionis accipit, comeditque; videnſque eſſe ibi Doëc Idumæum fidum Regi, gladium quoque petiit, eumque obtinuit, quem Goliath ipſi abſtulerat, qui involutus palliô poſt Ephod aſſervabatur, divertitque ad Achis Regem Zeth; cumque ibi timeret, propter verba, quæ audierat, nè fortè Sauli à Rege traderetur, ſimulavit inſaniam. Dein verò convènit ad eum perditiſſimorum hominum multitudo, ſimulque Parentes ac fratres; Illos autem Seniô confectos Regi Moab commendavit, monituſque à Propheta Gad, profectus eſt in terram Juda cum ſociis; poſtque varios caſus, auditâ etiam Sacerdotum ejus urbis, ad quam priùs confugerat, cæde, quam Saul juſſerat, poſtque affectos clade Phyliſtæos in urbe Ceila, cùm intellexiſſet, monituſque à Deo eſſet, quòd eam Saul juſſiſſet obſideri, aufugit, latitanſque in montibus & ſylvis, dum huc illucque vagabatur, ut Saulem perſequentem eluderet, Regem ipſum fortuitò habuit in poteſtate, exemplumque dedit altitudinis animi, egregiæque Virtutis, cùm Saul eum in furorem venerat, ut tyrannicè multa perpetraret propter Davidem; Regem tamen, licèt poteſtate abuteretur, quanquam ille ſacro etiam ritu unctus erat, interficere ſibi non licere animadvertit, ſed potiùs ſalutem quærere ex fuga, iramque ejus avertere; licèt namque David etiam inauguratus videretur, non eum tamen ad finem unctus erat, ut Populum pertraheret ad partes, belloque civili cauſam daret, & ipſe Dominum conſulere non ceſſabat, adeò ut etiam Ephod Abiatharis Sacerdotis, qui ad eum confugerat propter Saulem induiſſet; ac licèt eo in periculo, ut temporis ferebat neceſſitas, locutus eſſet, nec tamen fidebat illi; poſteà namque cùm iterum perſequeretur, auſuſque David noctu in Caſtra ejus pergere cum ſuis, Regem ac milites dormientes invènit, prohibuitque ſociis, ne occiderent, ſublatâque Regis haſta acſcyphô, clamavit è vertice montis ad Præfectum militiæ Abner, exprobravitque malè cuſtoditum Regem, adeò, ut Saul propter ejus virtutem obſtupuerit, quòdque ad eum reverteretur, rogaverit. Sed nec ei fidens David aufugit ad Regem Achis, obtinuitque ab eo urbem Sicelech, in qua degeret, quæ acceſſit poſteà Regno Judæ, agebatque

que prædas de Amalecithis, aliisque, Regemque ipſum eludebat, quaſi ageret hoſtilia adversùs Populum Iſraël, cumque poſteà exarſiſſet bellum inter duos Reges, David Achim ſequebatur cum ſua manu, ſed ſuorum conſiliô admonitus Achis ægrè dimiſit, nè contra agere videretur; Saul autem Caſtra exploratus Phyliſtæorum penè deſpondit animum, cùm timeret adverſa, conſulitque Dominum, & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas. Quare furiis agitatus *Pythoniſſam* conſuluit, quæ cùm Dei permiſſu ſenem vidiſſet juxta Samuelis jam pridem defuncti formam, ab eo Rex fata, quæ poſtmodum acciderunt, intellexit; debellatus enim, cumque tribus filiis interfectus ad montem Gelboë, ſuſpenſumque cadaver præciſo capite; quod cum cadaveribus filiorum in muro Betshan Galaaditæ noctu abſtulerunt, combuſſeruntque, & oſſa ſepelivêre. Davidi autem, cùm quidam nunciâſſet Regis mortem ac filiorum, Clademque Exercitûs, ſeque dixiſſet eô jubente, nè ad hoſtium manus perveniret, jugulâſſe, ac Diadema abſtuliſſe cum armilla de brachio, ut ſibi ferret, repentè veſtimenta ſcidit, flevitque amariſſimè ùt & ſocii cum eo; nuntium autem interfici juſſit, quoniam in Regem quanquam præcipientem Arma vertere auſus erat, *adeò ultorem decet eſſe Majeſtatis*: atque eô tempore conſultô Dominô aſcendit in Ebron, ibique ſolemnibus ritè peractis inauguratus, proclamatusque in Regem Juda; ſed & Isboſeth ſuperſtes filius Rex Iſraëlis conſtitutus, hinc duæ Civitates ortæ videbantur, hinc bellum inter utrasque; cùmque Isboſeth nomine fermè Rex, poteſtas verò penès Abner militiæ Præfectum eſſet, eumque imprudenter objurgâſſet, quòd cum Patris Concubina ſe immiſceret, iratus ille, Seniores commovit Populi, ut David in Regem agnoſcerent, cumque eo in Ebron collocutus, dum diſceſſerat, ut rem perficeret, à Joab, & ab Iſai dolô interficitur, in ultionem fratris Aſel, & à Davide lugetur, celebraturque in funere. Isboſeth autem Regem dolô interemerunt duo milites, tuleruntque Caput Davidi, qui eos ſtatim juſſit interfici, præcisisque manibus, & pedibus ſuſpendi, Caput autem Regis ſepeliri curavit magno apparatu; tumque ab univerſo Iſraële, qui convenerat in Ebron, cum Senioribus & Principibus Tribuum proclamatus in Regem eſt, ſedemque tranſtulit ex Ebròn in Jeruſalem, quam conſtituit Caput rerum, cæpitque arcem Sion, in eademque habitavit, unde nunc Civitas David nuncupata; Cùmque bellum moviſſent Palæſtini, bis con-

De Saulis, & Jonathæ interitu.

De Davidis proclamatione in Regē Juda, & Isboſeth Iſraëlis.

consultô Dominô eos fregit; sed & Arcam adduci jussit de domo Abinadab, ipseque processit cum exercitu 30000. hominum; cumque Arca duceretur, & Oza extendisset ad illam manum, mortuus illicò est Numinis ultione; quare tulerunt illam in domo Obededom, & cùm benedixisset ei Dominus, David adduxit in Civitatem, sacrificiis ritè peractis, accinctusque ipse Ephod lineô, saltabat coràm, adeò ut despiceret eum uxor Michol Saul Regis filia, cui David: *antè Dominum*, respondet, *qui elegit me potiùs, quàm Patrem tuum, & quàm omnem domum ejus, & præcepit mihi, ut essem Dux suprà Populum Domini in Israël & Juda, & vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosiot apparebo.* Posteà verò debellatis hostibus cogitavit ædificare templum, eâque de re locutus cum Nathan Propheta est; ipse autem à Deo admonitus, noctu Regi mandata nunciavit, quibus reservare filio templi curam jubebatur. Miphiboseth autem filium Jonathæ ad se acciri curavit, recepitque ad mensam. Posteà cum Ammonitis bellum gestum est, Rexque amore captus Bersabææ scelus admisit, cupivitque Uriæ ejus Viri mortem; quare præcepit Duci Joab, ut occupare minùs tutum in acie juberet locum: eô igitur ab hostibus interemptô, uxorem, quam priùs cognoverat, quæque ex illo jam conceperat, accepit; Quare exprobratus, objurgatusque à Nathan Propheta, adeò pœnitentiam egit, ut placaret Numen: exceperunt autem eum domestica mala; Amnon enim primogenitus dolô Thamar sororem Virginem vitiavit Absaloni ex utroque latere junctam, & ille ultus injuriam fratris cæde, ut Regis iram vitaret, fugam capessivit ad Regem Jessur, trienniô postmodum revocatus curâ Joab, qui mulierem instruxit, ut Regi loqueretur tanquam de infortunio domûs suæ, quó unus frater alterum rixando interfecerat, & ille querebatur ad necem, cumque sermone flexisset Regem, ut ejus incolumitatem juberet, suâmet sententiâ adegit, ut filio parceret, agnovitque fuisse à Joab edoctam.

De Absalonis impotentia, defectione, & interitu.

Absalon igitur reversus, cùm flagraret dominandi cupidine, conciliare sibi animos studuit; hinc comitate præter modum, beneficiisque plurimos allicere, urbemque petentium, ut Regem adirent, prehensare manus, osculari, meliora spondere palàm vidisses, nec minori arte Achitophel è Sanctiori Regis Consilio Virum ad partes trahere; ille autem ut vim quoque Principatûs teneret, fidem exuit; hincque Vulgus eâ virtutum specie, ùt est novandarum

rerum

rerum ſemper cupidus, Regem deſerere, ſequi Abſalonem ejurabat, nîlque deeſſe videbatur, ut rebellio erumperet, nisì ut ipſe ſignum daret: Ille verò nec ritus omittere, atque ut electus, vocatusque potiùs à Populo videretur, quàm per dolos irrepſiſſe, Ebron voti causâ adire ſimulat, Regem incautum, nîlque timentem è filio decipit, ſtatimque viros fidiſſimos ſibi ire per Tribus ſingulas, utque datô ſignô eum regnare promulgarent, jubet. Peractis igitur de more Sacrificiis, cùm undique Vulgus concurreret, in Ebron Rex proclamatur. David autem, cùm defectio undique nunciaretur, nè ſuperveniens hoſtis, inermem repentè opprimeret, Regiam, urbemque deſerit, atque in deſertum properare ſtudet; ſtipatus igitur fidiſſimorum militum Cohorte, cùm pergeret, Civium multitudo concurrit, Sacerdotesque Arcam deferebant, & Cuſai alter à Conſiliis acceſſerat; David autem primam eſſe ſalutem ratus, ſi Conſilia divideret hoſtium, eaque noſceret: alteram verò, moram dare, ut colligeret, firmaretque vires; cunctari namque, poſtquàm ſeditio erupit, ſi aliàs vires deſint, optimum erit, quoniam hi motus langueſcunt morâ, & Vulgus in contraria ſcinditur, videtque in ancipiti; quare ad atrocia quæque plurimi impulêre, ut veniam deſperando, redderent obſtinatum; Sacerdotibus igitur jubet in urbem redire, eique nunciare, quæ accidebant; Cuſai autem admonet, ut fidem ſimularet in filium, eamque oſtentans ſpecie zeli Achitophelis conſilia redderet irrita, quæ autem caperentur, ut ſuſpicio abeſſet, atque ex voto res perficeretur, nunciaret Sadoch Sacerdoti atque Abiatharo filio, à quibus certior ipſe redderetur; quare nec in ſubitis omiſit quidquam, ut rem reſtitueret, & ùt Sacer Codex prodit, conſilium comprobavit eventus; cùm enim potuiſſet Abſalon Davidem repentè opprimere, utì Achitophel monebat, Sententiam Cuſai, quâ moras dare & augere copias ſtudebat, ſecutus, ruinam ſibi arceſſivit; cùm David interim à Cuſai admonitus, transgreſſusque Jordanem, firmare potuerit vires; unde in prælio victus Abſalon, cum præcipiti fugâ ſibi conſulere niteretur, patulæ quercûs ramis implicatus à Joab Davidici Exercitûs Duce confoſſus eſt.

Da Davidis virtute.

Nec ſolummodò antè eos motus Virtus Davidis emicuit, ſed fortâſſe confectô bello major fuit, reddidit namque repentè pacatum Regnum, oblitusque injuriarum Amneſtiæ Lege tutos eſſe juſſit univerſos. Sed & Miphiboſeth, qui ex iis motibus ſpem regni revocaverat, pepercit, quæ cùm abundè Sacer Codex tradat, huc repe-

tere inane foret; tantùm igitur advertisse sufficiat, æmulationem inter Tribus Israël ac Tribus Juda ex iis motibus magìs exarsisse, cùm hæ David in Regiam reduxissent, unde divisus Populus adeò contentionibus agebat, ut ad novos excitandos motus dux solummodò deesse videretur, è parvis namque causis maximarum rerum mutationes accidunt, & non aliter in rebus humanis à natura ipsa comparatum esse videtur, ut cùm paucissimos bonâ mente donâsset Deus, in adversis desperatisque rebus hi plurimum possint, cùm nullò fermè negotio animi flectantur propter salutem ad egregia quæque perpetranda; cùm autem in otio esse queant, & juxta rationem vivere, veluti diris agitati, dum alter alteri præesse animô elati student, vires infirmant, seque atterunt adeò, ut suômet Consilio Victoris prædam evadere putares. Nec igitur mortalium animi quiescunt unquam, nec lumine rationis ducuntur, ut sibi prospiciant. Hinc repentè totus Israël denuò animorum motibus agitatur, cùm seditiosus quidam Seba nuncupatus eos concitaret; oppressus autem sub initiis ipsis, nihil Duce amoto plebs ampliùs ausa est; propter autem annonæ caritatem consuluit David Oraculum Domini, responditque immissam propter Saul, & domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas; iis igitur arcessitis: *quid faciam*, inquit, *vobis, & quod erit vestri piaculum, ut benedicatis hæreditati Domini*; cùm ergo respondissent, contra Saul, ejusque progeniem, ultionem solam cupere: *Virum*, inquientes, *qui attrivit nos, & oppressit iniquè, ità delere debemus, ut nè unus quidem residuus sit de stirpe ejus in cunctis finibus Israël. Dedi eis 7. Viros de stirpe Saul jussit, pepercitque duntaxat Miphiboseth filio Jonathæ propter Jusjurandum Domini, quod fuerat inter David, & inter Jonatham filium Saul*, quos inter 5. erant filii Micol uxoris suæ, geniti cum Adriele filio Bercellai, cui eam Saul nuptui dederat, dum David ejus furorem vitare cogebatur.

De Salomone.

Sed præcipuâ rerum attingere instituti ratione tenemur, quare ad Salamonem transimus, qui post eum regnavit, licèt namque Adonias Regnum occupâsset adhuc eo superstite, essentque cum eo Joab Dux Exercitûs, Abiathar quoque Sacerdos, cæterique Regis filii, & primores Populi, Bersabee tamen à Nathan Propheta admonita flexerat senem, & Nathan ipse adhuc eâ loquente advenit; hinc Sadoch Sacerdoti præcepit, ut ungeret eum in Regem, utque Sacerdos ipse & Nathan Propheta, Dux Banajas, qui erat Dux Ceretheorum & Pheletheorum, erantque Prætorii milites, sic consecratum imponerent

rent ſuper mulam ſuam, adducerentque in Gilon, curarentque à Populo proclamari; quibus ritè impletis reducem Salamonem ſedere juſſit ſuper Solium Regni, eumque antequam moreretur, admonuit, ut Joab ſcelera puniret gladio, Abner namque, & Amaſan occiderat propter æmulationem, ùt patet è Sacro Textu. Sed & Semei præcepit occidere, quoniam eum convitiis affecerat, dum fugere propter Abſalonem coactus fuerat ad tuendam Majeſtatem, unde patet David tempori parcere debuiſſe.

Salamon igitur cùm Adoniæ, cui pepercerat, animum ex petitione Abiſag Sunamitidis, quæ David ſenem foverat, & calefecerat, licèt vitiata ab eo non eſſet, non quieturum agnoviſſet, Matri, quæ interceſſerat, reſpondit: *Quare poſtulas Abiſag Sunamitidinem Adoniæ? Poſtula ei & Regnum: ipſe eſt enim frater meus major me, & habet Abiathar Sacerdotem, & Joab filium Sarviæ*; Occidi ergo ſtatim juſſit; Abiathar quoque Sacerdoti dixit: *Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem Vir mortis es, ſed hodie te non interficiam, quia portâſti Arcam Domini Dei coràm David Patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in quibus laboravit Pater meus.* Sed & Joab ad Altare ipſum interfici juſſit, conſtituitque Banaam ſupremum Exercitûs Ducem, & Sadoch Sacerdotem poſuit pro Abiathar, poſt quæ uxorem duxit Pharaonis filiam; atque licèt à Deo ſapientiam accepiſſet, felicitate tamen, ac longæ pacis bono corruptus, inter Concubinarum gregem, atque adulantium adeô in pejus ivit, ut Gentium ritus amplectendo, Populum quoque corrumperet. Quare cûm ante mortem reſipuiſſe incertum ſit, anceps manet de ejus Salute judicium; Templum autem exſtruxit magnificentiſſimum, ut Religionis Sacrarium eſſet, aliaque opera aggreſſus eſt maxima, Regiis namque exſtruendis Ædibus quàmplurimis 13. annorum ſpatio vacavit.

De Roboamo.

Eum excepit Roboamus ſolemnibus quoque ritè peractis, atque à Populo proclamatus; verùm cùm Tributorum remiſſionem aliquam petiviſſet, ſpretâ ille Seniorum Sententiâ, qui Patri aderant à Conſiliis, ſecutusque æqualium ſibi improvida, atque intempeſtiva monita, acerbè reſpondit, majora ſe edicturum; hinc defectio ſecuta eſt, quâ tandem Regnum illud peſſumdatum, cùm ex uno duo eſſent conſtituta, ſeque mutuo bellis Civilibus attriviſſent, cùm 10. Tribus Ducem Hieroboaumum ſecutæ, eum ſibi Regem cooptârint; illi autem ùt ſunt incauti, elatique juvenum animi non prævide-

rant

rant Hieroboamum Ducem non deesse; hic enim quasi quiescere nequivisset, nisi regnaret, turbas etiam excitare sub Salamone studuerat, proptereàque coactus in Ægyptum fugere, audito ejus obitu reversus erat, animumque ad Regni spem denuô erexerat; admonitus namque à Vate fuerat, sub Roboamo scissum iri Regnum, decemque Tribus eum secuturas. Igitur sollicitaverat animos, & Primorum, sibi mirè conciliaverat, deque suo consilio Vectigalium remissio petita erat; cùmque omnia ex voto successissent, Rex inauguratus, proclamatusque fuit. Ille autem ut Dominationis flagitiis, atque arcanis Regnum firmaret sibi, constitutâ Urbe Sichem, quæ rerum Caput esset, nè Populus Sacrorum causâ Hierosolymam adiret, utque Religionis diversitas acriùs animos exstimularet, nullaque spes superesset in unum corpus rursus coëundi, Mirum! quanta commentus est, ut Sacra, patriosque ritus immutaret, adeò ut Religio rationi Statûs ancillari visa fuerit; unde Civitatis primò dissolutio secuta est, cùm ex uno validissimo corpore, quod inter hostes Religione ipsâ, atque animorum conjunctione adeò potentiâ, atque opibus creverat, ut eminere inter cætera totius fermè Orientis Regna sub Salamone videretur, licèt ille patrios etiam Ritus, Legesque cum externis confudisset, duo jam infirma, sibique mutuò adversantia resultarent. Cùm igitur Schisma illud enatum esset, quid mirum! si adeò mutuô exarserunt animi, ut nil aliud præter machinationes, atque dolos, quibus semetipsos everterent, procedentibus temporibus cernere detur; Reges namque utriusque Populi prorsùs Religionis obliti, in eo rerum statu ad retinendam Dominationem per artes, & arcana se converterant; hinc Prophetas, quos timebant, occidere, aliosque sibi conciliare procurabant; hinc tot rerum conversiones, tot cædes; hincque tandem florens illud Regnum, cujus Saul fundamenta jactârat, bello victis Ammonitis, debellatisque Amalecithis, & Phylistæos quoque fatigaverat, David ad culmen evexerat, cùm Jebusæos Urbe Jerusalem pepulisset, Moabitas, Ammonitas, atque ipsos Philistæos profligâsset, Syriâque Damasci, atque Idumæâ Regione auxisset, Salomo servarât incolume, rerum humanarum fato, quo perpetuo motu vertuntur in orbem, divisum primò, dein verò furere inter se, inque suamet viscera civilia arma convertere visum est, donec utrumque viribus attritum interiit; externis enim Regibus uterque Populus servire coactus, primumque Israëlitæ ab Assyriis mutare sedes compulsi, translatisque

que in Mediam, Perſiamque pecudum in morem vacuas reliquêre Chytheis è Perſia ad incolendam Regionem miſſos, ut Iſraëlitarum Regnum Colonia evaderet, & rebellandi nulla ſuſpicio eſſet. Quare nuſquam ſemel perdita, deletaque Civitas inſtaurari potuit.

Sed nec melior Judæorum ſors, licèt ſeriùs; eos namque adeò fregit Nabuchodonoſor Babyloniæ Rex, ut Hieroſolymam Urbem, Templumque ſimul in cineres redigeret, Judæosque ipſos Babylonem, circúmque ea loca deduci juberet, ubi ſedes, agrósque largitus eſt; circumacto autem 70. annorum orbe quamvìs Cyrus Perſarum Rex antiquum Patriæ ſolum reddidiſſet, parere tamen primùm Perſis ipſis debuêre; dein verò Macedonibus Alexandri Magni Succeſſoribus tributa pependere, donec Antiochus Epiphanes cum libertate mulctaſſet, Religionem quoque adimere cupiens, cœpit ea de cauſa ferro, flammâque graſſari, adeóque patientiâ in furorem versâ, ut ſe in libertatem aſſererent, cauſam dedit; tum verò Judæorum Civitas quodammodo Haſmonæorum virtute ad ſua initia revocari videbatur, ſubegeratque Idumæos, Samàritas, Ithuræos, Moabitas, & Galaaditas, nisì Pontificum ambitio, flagitiaque interitum properâſſent; cùm enim inter ſe contendere de Regno cœpiſſent, arma Romanorum traxêre; Alcymus namque, ùt diximus, nîl infandum omiſit, occaſionemque dedit, ut Judas Pontifex à Populo conſtitutus ſummum Sacerdotium cum Principatu miſceret, exemplúmque ſequeretur Jonathas, Simon; & Joannes, donec Ariſtobolus poſito Principis nomine Regem ſe tulit, Regesque iterum Judæa accepit è Levitarum Tribu, quorum poſtremus Antigonus fuit; quo pulſo, occiſoque Regnum Herodes occupavit, tenuítque tanquam Romanorum beneficium, & quidquid de Haſmonæorum ſanguine ſupererat, exſtinxit; jamque diximus, quomodo etiam cum magno illo Concilio Sanedrin ſe geſſit; nec aliud in eo præter Tyrannorum artes, atque ſcelera cernere datur; unde Joſephus: *Peregrinis*, inquit, *ſtudiis veterem diſciplinam labefactavit, in qua nihil novi tentatum erat.* „ Ex qua re noſtris his, „ quæ poſt inſecuta ſunt temporibus non mediocriter læſi ſumus; ne„ glectui enim habita ea omnia ſunt, quæ antea multitudinem ad pie„ tatem perducebant.

Jam igitur, quænam fuerit Hæbræorum Politia, vides; perfectiſſimam namque, ut diximus, inſtituit Moyſes, & Joſue utcunque bellorum motibus perpetuò implicitus ſervavit; cumque poſt eum

L lucem,

lucem, & faciem ſuam emittere magìs debuiſſet, partâ jam Regione, firmatâque pace felicitate corrupti peſſumdare cœperunt, ſinéque Rectore agere viſi ſunt, donec neceſſitate compulſi, fœdâque ſervitute preſſi ignaviam deſererent, & Caput excitaret Deus, cujus in proſperis prorsùs obliti, tunc ſolummodò implorare opem videbantur; hinc Judices illi, quos retulimus ad Samuelem uſque, ſub quibus nec Politiam, ùt Moyſes juſſerat, ſervatam agnovimus; cùm Tribus pro arbitrio agerent, nec ei Capiti ſubeſſent univerſæ, neque Senatus ei aſſideret, nec certa in Urbe, quæ principem teneret locum, eſſétque Caput rerum, ſedem figeret; hinc Reipublicæ unitas diſſoluta; hinc civilibus bellis inter ſe ipſas attritæ, & Palæſtinorum metus, & Samuelis filiorum odium Regis deſiderium excitavit, electúsque Saul Davidem habuit adverſarium, nec ſatìs Regnum firmavit; Leges tamen neglexiſſe viſus eſt, poteſtatémque abſolutam explicâſſe, cùm pro arbitrio egiſſet, Sacerdotes mactâſſet, ipſumque Samuelem neglexiſſet; nam poſtquam iratum ei Numen nunciavit, quòd eo non exſpectato Sacrificium peregiſſet, non ampliùs arceſſivit; Palæſtinorum tamen jugum primus excuſſit. David verò Regnum auxit, florentiſſimùmque reddidit ſubactis hoſtibus univerſis, pacatúmque filio Salomoni reliquit, Regiam autem Poteſtatem explicuit pro arbitrio, & uſque ad obitum retinuit. Salomo autem rerum felicitate corruptus Gentium ritus admiſit. Regiámque poteſtatem exercuit immoderatè adeò, ut Regnum jam vitio peſſumdatum Roboam filius penè amiſerit ſecutâ illâ Tribuum diviſione Hieroboami artibus, dolóque; ex quo quidem tempore duæ Civitates enatæ, ſuos Reges habuêre, & Hieroboamus Regnum, quod flagitio quæſiverat, nec bonis artibus exercuit, Religionémque immutavit, ut ea quam inducebat, ſuæ ſtatûs rationi ancillaretur. Eum verò Nadab excepit, filius Patri non diſſimilis, quem interfecit Baaza, univerſamque Sobolem delevit, ut tutiùs regnaret; poſtque filius Elas, qui ſeptem duntaxat diebus præfuit, occiſúsque à Zambri eſt, quo ex tempore turbæ, factionésque viſæ ſunt; cùm alii Thebni quendam filium Chinet ſequerentur, alii verò Amri, qui Regis interfectorem, cùm apud Therſam obſediſſet, deſperatis rebus ſe cum Regia ſuccendere adegit; atque hic ille Ambri eſt, qui cùm ſexennio Therſæ Regni ſedem habuiſſet, Samariam poſteà ædificavit, eamque conſtituit Caput rerum; Hunc autem excepit Achab ſceleſtior Patre, nec melius Jezabelis Tyriorum Regis filiæ,

De Hieroboamo, cæterisque Regibus Iſraëlis.

filiæ, quam duxerat, ingenium, ſub quo Elias Propheta inclaruit, quæſitúsque ad necem fuit, Deíque monitu Prophetam, ac Succeſſorem Eliſæum ſibi deſignavit, licèt victoriam illam, quâ Regem Syriæ fregit Achabus, centum & viginti ſeptem hoſtium millibus interfectis, ab Elia ipſo unicè agnoviſſet; cumque cæteris ſceleribus Nabothis cædem addidiſſet, pœnas ad extremum dedit, à Syriis interfectus, tertio quam pacem contra Vatis monitum iniverat anno, cùm Joſaphat Rex Juda, qui expeditionem ſuſceperat, ut Achab Regi opem ferret, cùmque eo copias conjunxerat, implorată Dei ope, vix periculum evaſiſſet. Achabo verò ſucceſſit Ochoſias, ſubque eo Eliæ raptus, igneo curru ſecutus eſt; cùm enim Satellites ad eum comprehendendum miſiſſet Ochozias, & iidem cœleſti igne conflagrârunt, & ille aſcendit in cœlum. Eum verò excepit Joras frater, qui quanquam Jdumeo & Joſaphato Judæ Regibus ſociatis contra Moabitas pugnare debuiſſet, non aliter nisi Eliſæi ope, cùm ſiti premeretur Exercitus, & potum obtinuit, & ex hoſtibus victoriam reportavit; Hunc autem percuſſit Jehu unctus in Regem Eliſæo Authore, cùm eſſet in Ramoth Halaad, locutus enim poſt unctionem ad militiæ Præfectos cæteros, qui ab eo ſciſcitabantur propter adventnm Prophetæ cujusdam filii ad ungendum miſſi, cum quo ingreſſus erat cubiculum, atque ibi unctus, recténe eſſent omnia? rem expoſuit, proclamatusque in Regem fuit, Ochoziâ quoque Rege Judæ percuſſo, dum fugam capeſſiverat, qui ad Joram convenerat, ut inviſeret, cùm vulneratus receſſiſſet è Caſtris, ut curaretur in Gedſraël; cadaver autem Regis Joram projici juſſit in agrum Naboth, totamque domum Achab delevit, uxoremque Jezabel præcipitem è feneſtra dari mandavit; poſtquàm enim in Regem totus Iſraël optimatum judicio præ timore confirmaſſet, ſeptuaginta Viros de ſanguine Achab, quorum iidem curam habebant, interfici mandavit. Filius autem Joachaz Regnum quoque obtinuit, ſed à Syris penè victus, ac ferè debellatus; quos tamen poſt ejus obitum vicit, fregitque Joas filius, qui, ùt Eliſæus prædixerat, ter victoriam reportavit, cœpitque Urbes anteà bello amiſſas; ſed & Amaſiam Regem Juda, à quo initia belli, debellavit, captâ etiam Urbe Hieroſolymâ, licèt poſteà inita pax fuerit. Hieroboam verò filius Regnum auxit, cùm terminos Iſraël reſtituiſſet ab introitu Emath uſque in mare ſolitudinis; eique ſucceſſit Zacharias filius Regum poſtremus è ſtirpe Jehu, uti ſermo Domini fuerat ad eum, dicens: *Filii tui uſ-*

que ad quartam Generationem sedebunt super thronum Israël; conjuratione sublatus à Sellum filio Jabes, qui & Regnum occupavit; sed brevì pœnas infandi sceleris dedit, uno enim mense postquàm Regem se ferebat, & vitam amisit & Regnum à Manae interfectore usurpatum; hic autem Assyriorum Regi, ut firmaret Regnum ejus, utque decederet è Regione, ad quam occupandam venerat cum ingentibus copiis, mille talenta auri persolvit, reliquitque pacatum Regnum filio, quem Facejam nuncupabant; sed adversùs eum Dux militum conjuravit, occiditque in Samaria interfectis etiam corporis custodibus.

Sed nec diù tenuit; Osee namque illud usurpavit; qui debellatus ab Assyriorum Rege Salmanassare, ut qualitercumque teneret, ejusdem Clientem se fecit, tributumque persolvit annuum; cumque conditionis pœnituisset, & Ægyptiorum Regis opem imploràsset, Salmanassar adeò irâ excanduit, ut & Regem captâ urbe Samariâ in vincula conjiceret, & Israëlitas sedes mutare cogeret, proque iis Cutheos, aliamque Gentium Colluviem Colonos mitteret; atque sic Israëlis Regnum post tot Conversiones, Cladesque Regum concidisse visum est.

De Regibus Judæ. Sed non longè melior Regni Juda conditio exstitit; perpetuò namque bellis Cladibusque attritum, & nunc à Syris subjugatum, nunc ab iisdem Israëlitis, Ægyptiisque, donec fœdam servitutem pateretur; Roboamus namque præter bella, quæ cum Hieroboamo novo Israëlis Rege perpetuò gessit, quinto Regni annò victus à Sisac Ægyti Rege nedum urbem, sed templum & Regiam expilari vidit, aureaque Salamonis Numismata è templo ipso asportari, quare pro eis ærea suffecit; postque eum Abias trienniô regiam Potestatem explicavit. Asa verò filius, cùm immani superstitione ritibusque gentium, quos Salamon invexerat, Roboamus tenuerat, & Abias auxerat, fœdatam adeò gentem vidisset, ut vix imago Religionis, quam à Deo Populus acceperat, cerneretur, Zelô commotus abstulit effœminatos de terra, purgavitque universas sordes Idolorum, quæ fecerant Patres ejus. Insuper & Maacham matrem suam amovit, nè esset Princeps in sacris Priapi, & luco ejus, quem consecraverat: subvertitque specum ejus, & confregit simulàcrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron: Excelsa autem non abstulit; Erantque alti Colles, in quibus contra legem sub opacis arboribus peragebantur Sacrificia; subverti namque jusserat omnia

loca,

loca, in quibus coluerunt Gentes, quas possessuri erant, Deos suos super montes excelsos & colles, & subter omne lignum frondosum: *Dissipate*, inquiens, *aras eorum*, *& confringite statuas*, *lucos igne comburite*, *& Idola comminuite*, *disperdite omnia nomina eorum de locis illis*; *non sic facietis Domino Deo Vestro.* Sed Judicum tempestate eum sacrificandi morem toleràsse liquet è Sacro Codice, cùm Gedeon sub quercu obtulisset, undè D. Augustinus: *Deus*, inquit, *consuetudinem Populi sui*, *quâ præter ejus Tabernaculum*, *tamen non Diis alienis offerebant*, *sed Domino Deo suo*, *sustinebat potiùs quàm vetabat*, *etiam sic exaudiens offerentes.* Reges autem adhuc post Templum conditum receptam consuetudinem tenuêre, undè de Saule Sacræ litteræ: *hodie venit in Civitatem*, *quia Sacrificium est hodie Populo in Excelsum*; & Salomon *abiit in Excelsum Gabaon*, *ubi erat Tabernaculum fœderis Domini.* Roboam verò Judæis ædificari permisit aras & statuas, & lucos super omnem Collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam, & reliqui nec diversum fecêre, adeò ut prisca Dei Religio sicut in Israëlis Regno à Hieroboami impietate labefactata, permixtaque gentium ritibus, peneque Idolorum Cultu subversa, nisì Prophetas aliquos eodem in Regno excitâsset Deus, & pars aliqua Populi retinuisset; ità in Regno Judæ nec integra conservata est, cùm omnes Roboami posteri partim impii, partim verò licèt Deum coluissent, Excelsa tamen non abstulerunt; ac licèt Ezechias dissipâsset, visus tamen Manasses filius iterum morem revocare, imò ut nil impietatis omitteret, aras Idolis condere; hinc de illo Sacer Codex: *Ædificavit*, inquit *excelsa*, *quæ dissipaverat Ezechias Pater ejus*, *& erexit aras Baal*, *& fecit lucos*, *sicut fecerat Achab Rex Israël.* Laus tamen Josiæ debetur, quòd nedum Regionem mundaverit ab Excelsis, &
„ lucis, simulacrisque & sculptilibus, sed Aruspices deleverit, quos
„ posuerunt Reges Juda ad sacrificandum in excelsis per Civitates Ju-
„ da & in Circuitu Jerusalem, & eos, qui adolebant incensum Baal
„ & Soli & Lunæ, & 12. signis, & omni militiæ Cœli. Et efferri fecit
„ lucum de domo Domini foras Jerusalem in Convalle Cedron, &
„ combussit eum ibi, & redegit in pulverem, & projecit super sepul-
„ chra vulgi. Destruxit quoque ædiculas effœminatorum, quæ erant
„ in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas
„ luci; Congregavitque omnes Sacerdotes de Civitatibus Juda, &
„ contaminavit Excelsa, ubi sacrificabant Sacerdotes de Gabaa usque
„ Bersabee; Et destruxit Aras portarum in introitu ostii Josue Principis

„ Civitatis, quod erat ad finiſtram portæ Civitatis. Verumtamen
„ non aſcendebant Sacerdotes Excelſorum ad altare Domini in Jeruſa-
„ lem, ſed tantùm comedebant azyma in medio fratrum ſuorum.
„ Contaminavit quoque Topheth, quod eſt in Convalle filii Ennom,
„ ut nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam per ignem Molach.
„ Abſtulit quoque equos, quos dederant Reges Juda Soli in introitu
„ templi Domini juxta exedram Nathanmelech eunuchi, qui erat in
„ Pharurim, currus autem Solis combuſſit igni, &c.

Adeò Religionem, quæ partem Politiæ conſtituebat corruperant Reges, & dum humanis Conſiliis ſibi conſulere putabant, ut & finitimos conciliarent, & Sacerdotum, quorum timebant ambitionem & Prophetarum objurgantium liberè coërcerent authoritatem; nec Politiam ipſam animadvertebant diſſolvere, cùm in partes Populum ſcinderent, Prophetaſque ipſos, ut Religioni conſulerent, obſecundarentque Numini magis ad alios inaugurandos inflammarent; nec enim aliis de cauſis Achaz Uriam Sacerdotem exſtruere Altare juſſit juxta exemplar, quod miſerat è Damaſci urbe; Quòd ſi Religionem ritè ſervâſſent, Populumque juxtà Leges Dei fuiſſent moderati, eumque in bellis exercuiſſent contra Gentes, nedum Civitas ſtare, ſed florentior indies evadere potuiſſet.

Sed cæterorum ſeriem percurramus. Poſt igitur Aſæ Regnum, quod perpetuò bellis cum Iſraëlis Rege Baaſa conflictatum fuerat, licèt fœdere cum Syriæ Rege percuſsò victricia ſæpiùs arma tuliſſet, Urbeſque expugnâſſet Iſraëlis quàmplurimas, captâ etiam Arce Rama, de qua Rex Aſa lapides tulit, & ligna, deque eis reædificari curavit Gabaa, Beniamin, & Maſpha, filius ſuffectus eſt Joſaphat, qui pacem habuit cum Iſraëlis Rege Achab, imò ambo Pſeudoprophetarum vaticinio decepti, cùm adversùs Syros prælium commiſiſſent, debellati ſunt, Rege Achab interfecto, qui Michæam audire noluerat, conjeceratque in vincula; Joſaphat autem, cùm periculo fuiſſet liberatus, 25. annis Regni habænas rexit, Patrem imitatus in cultu Dei, licet Excelſa non abſtuliſſet, pacemque coluit cum Ochozia filio Achab Iſraelis Rege; filium autem Joram in Regni Gubernationem admiſit; ſed eo defuncto nec veſtigiis ejus adhæſit, cùmque Gentium ritibus denuò verum Dei cultum confudiſſe viſus eſt. Ejus Regno Idumæa Regio in libertatem ſe aſſeruit, propriumque Regem ſibi ſtatuit, ac licèt copias fregiſſet Joram, non tamen potuit ſubjugare. Urbs quoque Lobna a Judæ Regno divulſa eſt. Uxorem hic habuit Athaliam Achabi Iſraêlitarum

rum Regis filiam, quæ magis ad impietatem exſtimulabat, ex eaque ſuſceptus Ochozias poſt eum Rex fuit inauguratus, proclamatusque; ſed vix integro regnavit anno, & cum Joramo Iſraëlita Rege, ſuæque Matris fratre à Jehu percuſſus, Imperii finem fecit & vitæ, poſt cujus obitum Athalia quidquid ſupererat Regiæ Sobolis necari curavit, Regnumq; invaſit, nec tyrannnicè graſſari deſiit, ut quemadmodum flagitio quæſiverat, ità conſervaret; ſed cùm ſervatus Joas fuiſſet à Joaba Regis Ochoziæ ſorore, clamque in templo educari curâſſet, cùm uxor eſſet Jojadæ Pontificis, anno ſeptimo poſt Gynæcocratiam, „ ſeu detererrimam fœminæ tyrannidem, Pontifex ipſe aſſumens Cen„ turiones, & Milites, introduxit ad ſe in templum Domini, pepigit„ que cum eis fœdus, & adjurans eos in domo Domini, oſtendit eis „ filium Regis, cunctisque ritè diſpoſitis, poſuit ſuper eum Diadema, „ & Teſtimonium, feceruntque eum Regem, & unxerunt, Athaliâ, ùt „ Jojada præceperat, interfectâ; tumque Pontifex ipſe fœdus pepigit „ inter Dominum, & inter Regem, & inter Populum, ut eſſet Popu„ lus Domini & inter Regem, & inter Populum, ut nempe Religionem in puritate ſua utrique cuſtodirent, utque Rex juxta Leges Populum regeret, ejusque ſalutem tueretur; atque ut Populus ipſe perpetuò fidelis Regi eſſet; ſicque Regalis illa Monarchia ad ſua initia revocabatur, ſtetitque donec Jojada vixit, licèt nec Excelſa ſublata fuerint; atque hic eſt ille Rex, qui pecuniâ, quæ offerebatur in templo, juſſit illud inſtaurari; cùmque nec in eum uſum fuiſſet converſa, vocavit Jojadam Pontificem & Sacerdotes: *Quare*, inquiens, *ſarta tecta non inſtauratis templi, nolite ergo ampliùs accipere pecuniam juxta ordinem veſtrum, ſed ad inſtaurationem templi reddite eam.* Poſito ergo Gazophilacio juxta Altare ad dexteram ingredientium, cùm ſatis pecuniæ collectum eſſet, aſcendebat Scriba Regis, & Pontifex, effundebantque & numerabant, dabaturque abſque ratione iis, quorum munus erat, templum inſtaurari facere. Defuncto tamen eo Pontifice, Joas cùm ſuo ingenio vivere cœpiſſet, corruptusque Aulicorum aſſentationibus eſſet, patriam deſeruit Religionem, eodemque modo, ùt cæteri, ad lucos, & Idola ſe vertit, gravemque ſibi Zachariam Prophetam Jojadæ filium interfecit. Sed vindictam Numinis anno vertente expertus, cùm Syri ditionem eſſent populati, ut obſidionem Urbis averteret, neceſſe illi fuit è theſauris templi Domini Syrum Regem placare; paulòque poſteà cùm æger jaceret, à ſuis interemptus eſt; eumque excepit Amaſias filius,

ſtatim-

ſtatimque ultus Patris necem, fregitque Idumæos; licèt tamen ejus initia laudaveris, veſtigiis tandem adhæſit aliorum, adeò ut à Numine deſtitutus, ab Joaſo Iſraëlitarum Rege debellatus fuerit; & Urbs ipſa Hieroſolyma capta, dirutaque mœnia, templum, Regiâque everſa; Rex verò ipſe nec diſſimili, quàm Parens fato periit. poſtque eum Regnum capeſſivit Azarias filius, qui Numinis vindictâ, quoniam Sacerdotum miniſteria uſurpârat, Elephantiaſi correptus, procurationem Regni filio Joathan commiſit, eoque defuncto Rex conſtitutus; licèt ùt Parens Patrias Religiones coluiſſet, nec tamen Excelſa ſuſtulit, ut in eo ritu illum quoque imitaretur; filius tamen Achaz adeò cunctis deterior fuit, ut Religionem ejurâſſe videretur, Diiſque Gentium Statuas, & Altaria exſtrueret, filiosque profanis eorum ritibus igne luſtraret; quare ultionem expertus Numinis ingenti clade ab Iſraëlitis, Syriſque affectus; nec Idumæi, & Paleſtini quievêre. Sed ille durior factus, cùm Aſſyrium Regem ingentibus donis adversùs Syros incitâſſet, ut illi acceptior fieret, obviam Damaſcum uſque proceſſit; templum inde occludi juſſit, & Damaſcenos Deos ſibi placare ſatagens, Sacra iis facere, atque Aras excitare non deſtitit; juſſerat namque Uriæ Sacerdoti, ùt diximus, ad exemplar illius, quod Damaſci viderat, altare Hieroſolymæ exſtruere; Succeſſor tamen Ezechias filius primus „ diſſipavit Excelſa, & contrivit Statuas, & ſuccidit lucos, confregit„ que ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes, ſiquidem uſque ad il„ lud tempus filii Iſraël adolebant ei incenſum, vocavitque Nomen „ ejus Noheſtan. Itaque Religionem, Ritûſque conſtituit, Legémque ſervavit adeò, ut nec poſt eum fuerit ſimilis ei de cunctis Regibus Juda, nec de his, qui ante eum fuerunt: Regis Aſſyriorum Clientem nec ſe tulit ampliùs, fregitque Palæſtinos. Ejus ætate, Oſeâ Rege, ùt innuimus, deletum Iſraëlis Regnum, cùmque poſt annos aliquot in Judæam irrupiſſent Aſſyrii, Sennacheribo Salmanaſſaris filio Duce, Urbéſque plurimas cœpiſſent, aliáſque diruiſſent, coactus eſt Leges à victore accipere, atque 300. talenta argenti, totidémque auri perſolvere; ſed cùm nec ſuperbus hoſtis à cœptis deſtitiſſet, & Urbem ipſam Hieroſolymam capere in animum induxiſſet, Rapſacem cum Copiis miſit, cúmque re infectâ diſceſſiſſet, atque Sennacheribus ipſe cum omni Exercitu pergere decreviſſet, unâ eadémque nocte percuſſa in Caſtris Aſſyriorum 185000. ab Angelo fuêre; quare in Ninive reverſus, cùm jam Rex eſſet, colerétque

in-

in templo Nesro Idòlum, confossus à filiis fuit Agramolech, & Sarazar, Regnúmque capessivit Assaragdon filius alter; Manasses verò Ezechiæ filius eo defuncto adeò ei dissimilis fuit, ut Reges alios Numinis contemptu, sævitiâ, libidine, cæterisque vitiorum pestibus longè superaret; sed non diù monstrum illud tulit Numen, captusque ab Assyriis, Babylonem captivus perductus est; sed ibi pœnitentiâ ductus, restitutus posteà in Regnum fuit, effictaque Numina, & omnia superstitionis impiæ monimenta delevit, quem secutus Amon filius, eumque dixeris, Patrem in flagitiis anteire cupivisse; sed biennio duntaxat Regnum gustavit, suorumque conjuratione sublatus est, nec qui conjurârunt, incolumes evasêre; quos cùm occidisset, Populus Regem sibi constituit Josiam filium; atque hic est ille Josias, qui reperto Legis volumine, auditâque ex Holda Prophetide irâ Numinis, cùm discidisset vestimenta sua, templum ascendit, coramque Senioribus, & Populo universo *legit cunctis audientibus omnia verba Legis, stetitque super gradum, & fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, & custodirent Præcepta ejus, & Testimonia, & Cæremonias in omni corde, & in tota anima, & suscitarent verba fœderis, quæ scripta erant in illo*; adeoque, ùt dictum est, superstitiones omnes sustulit, ut similis illi non fuerit, *qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua juxta omnem Legem Moysi*; Cùm autem Ægypti Regi Nechao, qui expeditioem susceperat adversùs Assyrios audentiùs quàm par erat, se objecisset, interfectus in prælio fuit, relictis liberis quatuor, Johanam nempe, Joachim, Sedeciâ, & Sellu, è quibus cùm post Patrem hunc regnâsse scripserit Jeremias, eundem cum Joachazo, qui Patri successit, esse, Petavius asserit; hic autem brevissimo duntaxat tempore gustatâ regni dulcedine, ab eodem Ægypti Rege, cùm ad impietatem se vertisset, captivus in Ægyptum abductus est, Populusque mulctatus; cùm 100. talenta argenti, totidemque auri solvere eidem edixisset. Regem autem constituit precarium Joachim fratrem; sed victus ab Assyriis Nabuchodonosore Duce, Joachimum quoque sibi subjecêre; cùmque jugum excutere tentâsset, Regnum ei ademptum, proque eo suffectus Joachim, seu Jechonias filius, qui tandem Nabuchodonosori ad obsidendam Urbem properanti se sponte dedit, abductusque in Babylonem fuit, & constitutus in locum ejus Sedecias, seu Mathanias, qui neglectâ quoque Religione, patriisque ritibus, nec Regi servavit fidem; quare funditùs Regnum

delere deliberatum fuit. Urbs igitur capta, Templum incensum, Rex ipse interfectus, priùs antè se liberis obcæcatis, Babylonemque in vinculis perductus; Cives quoque sedes mutare coacti, ut in agrum illum Colonia deduceretur Assyriorum; summus quoque Pontifex Saraia, innumerique alli interempti; Cùmque vilior plebecula remansisset, Nabuchodonosor Rex ei præfecit Godoliam Hebræum, qui septimo mense ab Ismaële Regiæ Familiæ Viro percussus est in Maspha; Quare Populus timore Assyriorum correptus, sedes eas reliquit, aufugitque in Ægyptum. Sicque & Judæ Regnum concidisse visum est.

De reditu Hebræorũ ex Babylone.

Vertente vero annô 70. sub Cyri Monarchia Hebræis permissus reditus ad Avitas sedes fuit, datumque ut suis legibus viverent, Religionémque patriam servarent; Quâpropter redivêre primùm ad quadraginta duo Hebræorum millia Zorobabele Duce, præter Servorum agmina, vasáque omnia pro instaurando Templo duxerunt; & jam fervebat opus, cùm Samaritani, qui nempe veluti Coloni deducti in eam Regionem fuêre, æmulatione accensi, variis criminationibus Decretum Regis suspendi curârunt, donec Dariô Istaspis filio rerum potitô, *Aggæi* atque *Zachariæ* Prophetarum monitu denuò cœptum opus, & Darius, apud quem jam delati erant, prosequi Edicto permisit; Cùm autem & Regis Præfecti & finitimæ Gentes Urbis reædificationem pati nequirent, murorum pars diruta, portæque incensæ eorum mandatô fuêre; hinc Neemias è stirpe Aaron Regis Artaxersis permissu cum Hebræorum multitudine, quæ Babylone manserat, & quæ calamitatum tædiô reversa erat, iterum sedes illas adivit, ac tanto animorum ardore Urbem, templúmque ædificari curavit, ut manu alterâ gladium teneret, aliâ verò pergeret in opere; atque hic Ordinem aliquem dedit Civitati, quæ jam nec illud nomen merebatur, cùm accessio alterius esset; Imaginem ergo agnoscimus, cùm suis Legibus, suôque ritu viveret; licèt igitur Persarum Regibus parerent, à Pontificis tamen pendère nutu videbantur, quoniam ipsemet Civitatis ordo pars Religionis erat, & Neemias solemni ritu populum renovare fœdus cum Numine curaverat, legemque universam exposuerat. Debellatô autem ab Alexandro Dariô Codomannô Persarum Rege ultimô, cùm infestis agminibus Hierosolymam properaret, Judas Pontifex obviam processit cum Sacerdotibus, solemni pompâ atque apparatu; quare cùm benignè exce-

De Neemia.

De Hebræorum

excepiſſet, templum adiit, obtulitque Sacrificia ſecundùm legem, remiſsò Genti anni ſeptimi tributô; eô autem defunctô cùm Compages illa tot Regnorum, quæ ſubegerat, fuiſſet diſſoluta; & Syria Seleuco obveniſſet, quis profectò negaverit, ſub ejus Ditione manſiſſe Judæos? Idemque fuiſſe cum in poteſtatem Ptolomæi Lagi Ægypti Regis pervenit, cùm Urbem ipſam Hieroſolymam dolô cœpiſſet die Sabbathi, quô Cives nec ſe defendere audebant, adeò ſuperſtitio pervaſerat animos; nam Pompejus etiam potitus Urbe eſt cunctis per Sabbatha deſidentibus; Sed & adverſùs eos qui ſecuti Matathiam erant, Antiochi Epiphanis milites pugnabant in Sabbathis, ac velut ſtantes occidebant; quare primus Dux ille ſuaſit, non repugnare hoc Divinæ Legi. Captâ verò Urbe, Regioneque vaſtatâ ingens Hebræorum numerus in Ægyptum abductus eſt, eosque Lybiæ urbes habitare juſſit, partem verò Alexandriæ ſtatuit, atque alibi, donavitque jure Civitatis, ejusque filius Philadelphus Sacrum Codicem primus in græcum ſermonem verti juſſit uti 72. Viri è Hieroſolyma acciti interpretati fuerant; perpetuis tamen motibus agitati, cùm inter Ptolomæum atque Antiochum bellum exarſiſſet, Syriaque belli ſedes eſſet, Victor tamen Antiochus Judæos habuit in poteſtate, & ipſi ſpontè Victorem agnoverant; undè ut juxtà Leges viverent, indulſit; ſed iterum Ptolomæo parere coacti, cùm Antiochi filiam uxorem duxiſſet, & Celeſyria, Phœnicia, Judæa, atque Samaria dotis titulô acceſſiſſent. Verùm ſecutô Ptolomæi obitu Reges Aſiæ iterum Dominationem exercere viſi ſunt, & Seleucus Phylopater, quanquàm primò indulgentior, ſpe tamen inductus Simonis cujusdam Beniamitæ monitu, ingentem theſaurum è templo rapi poſſe, Heliodorum quendam miſerat, ut Templum ipſum ſpoliaret, licèt miraculô territus abſtitiſſet, qui cùm ſibi Syriam univerſam parere cuperet, jamque Seleucum è medio ſuſtuliſſet, ab Attalo atque Eumene pulſus eſt; quare & Antiochus Epiphanes magni Antiochi filius Rex conſtitutus. Tunc autem Rex ille videns Pontificum ambitionem, turbasque & bella, quæ excitàrant, de quibus ſuprà aliquid innuiſſe reminiſcimur, ſtatuit Religionem Judæorum ſubvertere, eâque occaſione Matathias Haſmonæus inclaruit magnusque rerum reſtaurator, cùm armis tum legibus rurſùm Rempublicam fundare nitebatur; nec minor eô defunctô virtute Judas filius, qui poſt Alcymi nequiſſimi obitum ſummum Sacerdotium cum Principatu miſcuit, manſitque eâ in familia, licèt continuò bel-

eventis poſt inſtauratam Civitatem.

lis agitata ad Antigonum usque, quanquàm Simon jugum excusserit exterorum Regum; Jonathas namque Alexandri, qui filius Epiphanis Antiochi dicebatur, secutus partes, perpetuò bellis implicitus, Demetrium Demetrii Soteri filium Victorem agnoscere coactus, in summo Sacerdotio ab eo confirmatus, nec Regionis Immunitatem aliter obtinuit, nisì ingenti pecuniæ summâ persolutâ; cumque iterum inter Demetrium atque Antiochum Alexandri filium bellum exarsisset, Jonathas ipse variis casibus agitatus Triphonis dolô, qui Dux Antiochi erat, simul cum duobus filiis exstinctus est. Simon igitur Pontifex simul & Princeps percusšô cum Demetrio fœdere, cumque Romanis simul atque Lacedæmoniis, cum quibus anteà etiam initum erat, licèt ab Antiocho Demetrii filio bellum gerenti cum Triphone, qui præfatum Antiochum Alexandri filium dolô sustulerat, ejusque Regnum usurpârat, confirmari in ea potestate debuisset, ruptô tamen fœdere Urbes Jobbe, Gazara, atque Hierosolymæ arcem tradere noluit, imò nec argenti quidquam persolvit, Exercitumque ejus filii Judas atque Hircanus debellârunt. Sed Ptolomæi ejus generi, quem Jerycunthæ præfecerat, dolô simul cum filiis Matathia atque Juda sublatus est, cumque misisset Copias, ut Hircanum filium alterum trucidarent, ille anteà certior factus earundem sanguine Patris, fratrisque necem ultus est, ejusque Successor fuit. Sed hujus tempore iterum subacta Judæa est ab Antiocho Sidete Syriæ Rege, qui obsessam Urbem Hierosolymam, cùm vi capere non posset, pactis conditionibus accepit, quarum præcipuæ fuêre, ut Hircanus Princeps remaneret, ac Pontifex, juxtaque Leges patrias populum regeret; tributum tamen penderet annuum; cumque 300. talenta persolveret, dilatione aliquâ pro cæteris bis centum permisšâ; non diù tamen quievit Hircanus, adeoque Victricia tulit arma, ùt & Syriæ bellum intulerit, Sichem, atque Garyzim expugnârit, templum illud solô æquârit, Idumeos subegerit, Urbesque aliàs cœperit. Ut autem tot impensis par esset, è Davidis sepulchro tria talentorum millia sustulit, quò mortuô Judas Aristobolus filius depositô Principis nomine Regem se tulit, ùt dictum est, Ithuræamque Regno adjecit; hic verò Matrem atque Antigonum minimum natu fratrem sustulit, tresque alios captivos detinuit; sed duntaxat unius anni curriculô rerum potitus, Successorem habuit Alexandrum, qui ab ejus uxore Salome adjutus, eandem Regni Conjugiique compotem fecit, sævitiâ nemini secundus, cùm quiquaginta

Judæo.

Judæorum millia eorum odiis ac factionibus incitatus 6. annorum ſpatio ejus juſſu necata Joſephus ſcripſerit; ſed & fratrem alterum, qui nova moliebatur, interfecit; alterum verò, cujus mite ingenium agnoverat, in otio reliquit, atque ex eâdem Salome ſive Alexandra Hircanum & Ariſtobolum ſuſcepit, tumque eô defunctô diviſum ab Imperio Sacerdotium viſum eſt; Hircano namque Pontificatus permiſſus à Matre, quæ ſummam rerum occupârat, Phariſæorumque conſiliis utebatur; ſed Ariſtobolus poſt 9. annos à Matre deficiens Urbes aliquot per vim cœpit, eâque mortuâ bellum Hircano Pontifici movit, quod ſecuta pax Hircano Sacerdotium confirmavit, Ariſtobulo Regnum peperit; ſed paulò poſt diſruptâ concordiâ Antipatri Idumæi operâ, cujus turbidum erat ingenium, & divitiis abundabat, Romanis occaſionem dedêre, utroſque ſubigendi. Cùm enim Antipatri conſiliô externa Hircanus quæſiviſſet auxilia apud Arabes, eorumque Copiis obſediſſet Hieroſolymam, Ariſtobolus eorum opem imploravit, ſtatimque de more agere pro Imperio viſi ſunt; juſſeruntque Arabiæ Regi, ut Regione decederet; miſerat namque Pompejus Scaurum in Syriam, & eum Ariſtobolus ad partes traxiſſe putabat, cùm interim Pompejus ipſe, cùm Syriæ eſſet, ùt ſupremus arbiter agebat, & Legati ad eum venerant, cùm ex Hircano atque Ariſtobolo, tum ex ipſo Hebræorum Populo; hinc Judæam adegit Pompejus, hincque urbem cœpit, templumque poſt trium menſium obſidionem expugnavit; ſerò namque Ariſtobolum pœnituerat, Romanorum auxilia imploràſſe; quare conſiliô longè pejori factio ejus Pompejo reſiſtere auſa eſt. Hinc ùt mos Romanorum erat, Hircanô eâ Lege Principatus ſimul ac Sacerdotium permittuntur, ut depoſitô Regio titulo Cliens eſſet Populi Romani, eique tributa penderet. Ariſtobolus autem cum Sobole univerſa captivus Romam ducitur; cumque filius Alexander in itinere aufugiſſet, iterumque in Judæa turbas excitàſſet, Gabinius, qui Syriam moderabatur, eum debellavit, captaſque urbes diruit; Hircano tamen, quamvis ſacrorum ac Templi Curam atque dignitatem Sacerdotii permiſit, Poteſtatem Principis ademit, licèt nomen reliquiſſet; cumque à Conſeſſu Sanedrim ſtabilitatem quodammodo Reipublicæ pendere cognoviſſet, ejus quoque vim diſſipavit, cùm plura per oppida diviſiſſet, ùt diximus. Quare ab eo tempore Civitas interitum paſſa eſt, cùm ſuprema Jura Majeſtatis ad Romanos translata fuerint; hinc Antipater eorum authoritate cœpit vim Imperii exſerere; hinc Craſſus bel-

lum Parthicum gesturus, semperque cupidus auri, templum ipsum penè spoliavit; hincque Cassius ex Judæa ipsa Hebræorum 30000. abduxit velut pecudes.

Cùm autem bellum Civile Pompejum inter atque Cæsarem exarsisset, Aristobulus duas Legiones à Cæsare obtinuerat, quibus turbas profectò maximas excitâsset, nisì Venenô à Pompejanarum partium viris fuisset sublatus; quâ de causâ Alexander filius, cùm esset Antiochiæ, Scipionis jussu capite truncatus est; Cæsar autem Victor ex Ægypto rediens, quamvìs Antigonus Alexandri frater, atque alter Aristobuli filius eum sibi conciliare conatus esset, Antipatrum tamen Judææ præfecit, atque Hircanum Pontificem, nomineque Principem reliquit; quare Phaselo filio Antipater commisit urbem, Herodi verò alteri filio Galilæam moderandam tradidit; hinc excitata Primorum Odia, æmulationesque in Antipatrum & filios. Quâ de causâ Herodem accenderunt potiùs, ut in tempore iras erumperet, cùm enim accusâssent in Concilio, quoniam morte quosdam mulctaverat absque ejus sententia: *ille*, ùt Josephus inquit lib. 14. *in Concilium cum Cohorte suâ progressus, adeò terruit omnes, ut nemo ad accusandum accedere auderet*; Silentibus autem omnibus unus Sameas, vir justus, dixit: *Viri ex Concilio, & Rex, credo neminem Vestrûm vidisse unquam similem huic aliquem in hoc Concilio consistentem. Nam qui huc accedere consueverunt, ut causam dicant, humiliter astare, & misericordiam à vobis poscere capillis promissis, & veste atratâ soliti sunt; hic verò de cæde causam dicturus, adest purpuratus, Capite ornatô, Armisque stipatus, ut si condemnatus ex Lege fuerit, nos morte afficiat, ipse verò vi factâ veritati evadat. Verùm Herodem non accuso, siquidem Commodo suo, non Legi consuluit, sed vos, aut Regem, qui ei tantam tribuistis. Unum scitote maximum esse Deum. Quare hic, quem nunc propter Hircanum dimittere vultis, quandoque Vos, & ipsum Regem torquebit.* Hircanus autem cùm vidisset Judices ad necem Hærodis propendentes, judicium in posterum diem distulit, & clam monuit, ut urbe abiret.

Interfectò verò Cæsare, Syriâque à Cassio occupatâ, eidem Judæi ingentem auri summam exsolvere coacti fuêre; gratià tamen Antipatro habitâ, cùm ille eam pecuniam corrasisset, filiique numerâssent; unde potestatem retinuit, sed cùm Malichius illum venenô sustulisset, & Herodes eundem in Patris ultionem occidisset, rerum novandarum occasionem arripuêre Hierosolymæ Cives, conatique Phaselum ejicere eôdem tempore quô Antigonus filius Aristobuli

Judæ-

Judæam invaſit, quem, ùt diximus debellavit Herodes, fregitque Judæorum animos; Victis autem Caſſio & Bruto, Antonium, qui Ægyptum occupaverat, adiêre Hebræorum Legati, ambosque Antipatri filios criminabantur, dolebantque Hircanum Pontificem Principemque poteſtate vacuum nomen retinere, dum Antipatri filii ex arbitrio ſpretis Legibus adminiſtrarent univerſa.

Herodes autem à Patre edoctus, jamque expertus tractandi Romanorum animos, Antonium obſequio, donisque adeo ſibi devinxit, ut nec eos audire dignatus fuerit; ſed non animum deſponderunt Hebræi, rurſusque apud Epheſum Antonium adivêre, erantque ſimul cum Hircani Legatis, donumque aureæ Coronæ tulerunt; tunc autem flexerunt adeò, ut libertatem quam Caſſius prorsùs ademerat, reſtitueret; nihil autem de Herode locuti fuerant, cum jam Herodi eſſet factio ſua, jamque Hircani neptem uxorem duxerat; Quare adverſarii miſerunt iterum 100. Primores Hebræorum, quos Antonius propè Antiochiam apud Daphne audivit, cumque fratrum amborum geſta expoſuiſſent, Herodis nempe atque Phaſeli, necquidquam Antonii opem implorârunt, cùm eos neglectis accuſationibus Tetrarchas in Judæa conſtituiſſet.

Cùm autem Parthi Syriam occupâſſent, infeſtisque agminibus Palæſtinum agrum petiviſſent, juſſu Pacori Regis Antigonus iterum prodit in Scenam, Rexque declaratur, Phaſelus occiditur, Hircanus Sacerdotiô privatur, auribusque mutilatur, nè capeſſere denuò poſſet, captivusque abducitur; nulla ergo ſpes Herodi nisì in Antonio, qui tum Romæ degebat; Urbem igitur advolat, ne cunctaretur, ubi perniciosior erat quies, quàm temeritas, Antoniumque adeò ad partes trahit, ut Regem Herodem, Antigonum verò hoſtem Romanorum à Senatu declarari fecerit; Reverſus igitur bellum biennio cum Antigono gerit, eumque debellat, Urbem Hieroſolymam capit, Antigonum Antiochiam captivum mittit, ubi, ùt diximus, Antonii juſſu capite truncatus eſt. Hircanus interim longo tempore Babylonæ moratus, in Patriam reverſus erat, cùm Herodes Hebræum quendam Sacerdotem Ananelum nomine accitum è Babylonia ad Pontificatûs culmen evexerat, cui, quamvìs ſuffeciſſet Ariſtobulum uxoris fratrem, eum tamen paulò poſt interfecit, ùt & Hircanum, ipſum quamvìs decrepitâ ætate, cumque eo Gens Haſmonæorum univerſa exſtincta eſt.

Sed Auguſtus rerum potitus Herodis pectus ſollicitudinibus implet,

implet, cùm partes Antonii ſecutus eſſet; quare eum adire delibe-rat, Rhodique reperit, coramque ſe ſiſtit ſupplicis in modum; ille verò confirmat eum Regem, Judæamque remittit, à quo tempore nil præter ſcelera cogitâſſe, atque admiſiſſe viſus eſt; hinc Mariadnes uxor necata, materque Alexandra Hircani filia, quæ, cùm ille Samariæ ægritudine detineretur, nova moliri Hieroſolymæ tentabat, ſupplicio affecta; hinc Coſtobarus, qui Salomeam ejus ſororem duxerat, proditionis inſimulatus occiditur, ipſique filii Alexander, atque Ariſtobolus è Mariadne ſuſcepti laqueo mortem obeunt; ſed nec Antipater filius alter evaſit, cùm vel moriens eum necari curaverit; & ùt ſunt proni ad ſuſpiciones, metusque Tyrannorum animi, diram illam puerorum cladem, qui in Bethelemo à duobus annis lucem viderant, juſſit, propter Meſſiæ metum; qui tamen Angeli monitu à Joſepho ductus in Ægyptum erat, redivitque poſt obitum, atque in Oppido Nazareth habitavit.

Atque hic eſt Herodes ille, quem Magni cognomento legimus honeſtatum, quique abſolutam exercuit Dominationem, interque artes, & ſcelera uſque ad obitum retinuit, licèt Romanorum permiſſu, quorum Cliens accepto Regno perpetuò fuit, eosque adeò timuit, ut vel filios apud illos accusârit; Poſtque obitum, quamvis primò hæredem ſcripſiſſet è filiis Herodem Antipam, quoniam Archelaum, & Philippum propter calumnias in Antipatrum natu majorem oderat, voluntatem tamen revocâſſe Scriptores tradunt, totamque Regionem tres inter filios diviſiſſe adeò, ut Archelaus Judæam, & Samariam, Philippus Ithuream, & Traconitidem, Herodes Antipas Galilæam obtinuiſſent; cùm autem Herodes Antipas Romæ degeret, ut juxta Patris Teſtamentum Regnum aſſequeretur, ſummam rerum Archelaus occupavit, qui à Judæis apud Auguſtum criminatus, Romamque pergere coactus, ex ea Viennam in Galliis exulare juſſus; Judæaque ipſa, & Samaria in Provinciæ formam redacta eſt, procuratorque miſſus Quirinus, qui Joazaro Pontificatum ademit, conſtituitque Ananum Caiphæ Socerum, quo tempore jam Chriſtus duodecimum agebat annum, repertusque in Templo fuit ſedens in Doctorum conſeſſu, paſſus quoque Romanis ipſis imperantibus, cùm eſſent Judææ Præpoſitus Pontius Pilatus, atque Herodes Antipas Galilææ Tetrarcha.

Sed poſteà, cùm Ariſtobuli uxor Berenices, ut Agrippæ filio ditionem obtineret, Romam migrâſſet, precariò tandem Agrippa ipſe

ipſe Rex conſtitutus, licèt nullam poteſtatem Hieroſolymæ explicaret præter Templi curam, & Pontifices deſignandi facultatem, ea rerum converſio ſecuta erat, quanquam pro ipſo Herode Antipa Tetrarcha Pater Harduinus Agrippam agnoviſſet; Nos tamen Joſepho adhærentes, Hærodem Agrippâ rerum potito Romam Herodiadis impulſu, quæ Philippo viro relicto inceſtas cum eo nuptias junxerat, ad Regium decus obtinendum petiviſſe fatemur, quod ei exitii cauſa fuit; Agrippa namque Cajum Caligulam Auguſtum prævenerat literis, Herodemque adeò criminatus fuerat, ut eundem ſuâ Tetrarchiâ auctum redderet, & illum exulare juberet. Cajus namque Agrippæ favebat, quoniam ſub Tiberio captivus fuerat, quòd illi precatus eſſet Imperium, nec libertatem obtinuit, niſi à Cajo ipſo, poſtquàm Tiberius mortem obivit; hinc nedum Herodis Tetrarchiâ donatus, ſed illis quoque Patrui Philippi, atque Lyſaniæ auctus anteà fuerat; quare Avi Regnum integrum poſſedit Auguſtorum largitione, quorum perpetuò cliens fuit; Claudius namque Caligulâ interfecto, Judæâ auxit, atque Samariâ, adeoque ſub Cajo nullam in Urbe Hieroſolyma obtinuit poteſtatem; pro Judæis tamen interceſſit, dum Caligula ſuum in templo ſimulacrum, ut coleretur, locari juſſerat. Claudii igitur tempeſtate cùm Hieroſolymæ precariò regnaret, & Sanedrii vigeret authoritas, D. Jacobus Apoſtolus damnatus fuit, atque D. Petrus in vincula conjectus; jamque ſub ea Familia nedum naſcentis Eccleſiæ perſecutio graſſari cœperat, ſed puerorum occidione, ut nè quidem ortum haberet, fruſtrâ tentatum; unde Verſus;

Aſcalonita necat pueros: Antipa Joannem:
Agrippa Jacobum, mittitque in carcere Petrum.

Eo autem mortuo Judæa iterum Romanorum Provincia evaſit, nec enim ſecundus Agrippa filius in Judæa poteſtatem exercuit, cùm tantummodò Philippi, & Lyſaniæ Tetrarchias, & à Nerone quaſdam Galilææ Urbes obtinuiſſet; ſub quo tandem à Romanis debellata Gens fuit, quorum partes ſecutus Agrippa Urbis obſidioni, ſecutoque excidio interfuit, Romamque cum victore Tito migravit, eumque ſecuta ſoror Berenices, quam inceſtâſſe ſcriptum eſt, eamque Titus etiam adamavit, unde Juvenalis:

- - - - - *Deinde Adamas notissimus*, & *Berenices*
In digito factus protiosior; hunc dedit olim
Barbarus, incestæ dedit hunc Agrippa sorori,
Observant, ubi festa mero pede Sabbatha Reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Hinc Tacitus: *Judæos*, inquit, *Cajus Sosius subegit* (cùm nempe Antigonū ex Assamonæa stirpe ultimum Herodes ejiceret) *Regnum ab Antonio Herodi datum victor Augustus auxit. Post mortem Herodis, nihil exspectato Cæsare, Simon quidam Regium Nomen invaserat*, (Hierosolymæ scilicet) *Is à Quintilio Varo obtinente Syriam punitus, & Gentem coërcitam liberi Herodis tripartito rexère. Sub Tiberio quies; dein jussi à Cajo Cæsare effigiem ejus in templo locare, arma potiùs sumpsère: quem motum Cæsaris mors diremit. Claudius defunctis Regibus, aut ad modicum redactis, Judæam Provinciam Equitibus Romanis, aut libertis permisit, è quibus Antonius felix per omnem sævitiam, ac libidinem jus Regium servili ingenio exercuit - - - Duravit tamen patientia Judæis usque ad Gessium Florum Procuratorem. Sub eo bellum ortum, & comprimere cæptantem, Cestium Gallum Syriæ Legatum varia prælia, ac sæpiùs adversa excepère, qui ubi fato, aut tædio occidit, missu Neronis Vespasianus fortunâ, famâque, & egregiis Ministris intrà duas æstates cuncta Camporum, omnesque præter Hierosolymam urbes victore exercitu tenebat*; Cumque ille capessere Imperium debuisset, Titus celeberrimam urbem diruit, æquavitque solo, & vergentibus fatis nec Civium factiones defuère; obstinatè tamen egregieque Urbs defensa, jamque eò rerum omnium inopiæ perventum erat, ut fame potiùs perire, quàm dedi mallent, & vel matrem necâsse filium, ùt vesceretur, proditum est; cumque illâ Urbis ruinâ omnis imago etiam Judæorum Civitatis concidisse visa est, impletusque Scripturarum sermo, verbumque Dei, quô nec lapidem suprà lapidem stare prædixerat.

DISSER-

DISSERTATIO UNICA
DE
SECTIS JUDÆORUM.

PRima Civitatis labes felicitas fuit Populi, quâ post partam sibi Regionem Duce Josue fruebatur. Tunc enim otiô diffluens ordinem à Moyse institutum negligere visus est, nec eum statum Primores Tribuum abnuebant; cùm major illis sinè Rectore accedere authoritas debuisset; Nec Pontifices, seu illos ambitio, seu negligentia corrupit, opportunè curârunt, ut Moysis Politia sarta tecta servaretur; nec enim sinè Principe Civitatis ordo tueri poterat, nec Princeps sinè Dei Oraculo constitui; quem propterea consulere Pontifex tenebatur; electum autem in loco, quem elegerat Deus, perpetuò sedem figere, cumque 70. Virûm Senatu, cui perpetuò Pontifices præsiderent, utì Moyses Dei monitu instituerat, Populum ex Legum præscripto moderari oportebat. Statim igitur eo Reipublicæ ordine parûm servato, & unitas quoque Reipublicæ dissolvi, cùm Tribus cunctæ pro arbitrio agerent, & Religio, quæ partem Politiæ constituebat, labefactari cœpêre; ex quo Idololatria, Gentiumque Ritus acciti; & cùm Tribus quæque suæ utilitati consulebat, præda evaserunt occupantium; nec enim hostes, à quibus undique circumdati, imô inter eos permisti, cùm nec integrè, utì fuerant admoniti, amisso armis agro, imminutâque libertate quieturi erant, nec nisi eâdem virtute, eodemque ordine vinci poterant. Post tot igitur clades, fœdasque servitutes, licèt ad Reges ventum esset; hi tamen suo potiùs ingenio quàm ex Lege vivere malentes, Sacerdotumque, ac Prophetarum exprobrantium timentes authoritatem, externos ritus avidè excepêre, ut quomodocumque iis superstitionum munimentis insisterent, & ipsi quoque Sacerdotes essent. Scisso posteà Regno eam Sacrorum conversionem secutam intuemur, quam ratio peperit status, ut nedum nova Civitas divisa omninò maneret, sed mutuis odiis utraque discors ageret; ea verò

rò velut malorum omnium ſeges utrique ruinam maturavit, primoque *Samariæ* Regnum à Rege *Salmanaſſare* ſubactum Colonia evaſit, cùm Cives per campeſtria Chaldaicæ Regionis diſperſiſſet, nec ampliùs redivêre, ſedesque ſuas colluvies Gentium occupavit è Cuthæis, Babylonienſibus, Chamathæis, ac Sepharvaimitis collecta; adeoque ùt initio Iſraëlitas *Hieroboami* artibus Idololatras evaſiſſe, vitulosque aureos coluiſſe Ægyptiorum in morem; ità poſtquàm deductæ eum in agrum Gentes illæ fuêre, *Gentilia* ſingulas habuiſſe *Sacra* comperimus; Chamathæos enim *Aſchimam*, Chuthæos *Nergalem*, Babylonienſes *Succothebenoth*, Havæos *Nibchanem*, & *Tartachum*, Sepharvaimitas *Adramelechum*, atque *Hanamalechum* coluêre, & Aſſyriorum Rex Exarchaddon omnes pro ingenio ſuis Religionibus uti expedire judicaverat ſibi, nè ſcilicet unitate Religionis ſociati animi in commune ſibi conſulerent; nec Legem Moyſis agnovêre, nisì poſtquàm ſævâ malorum cohorte preſſi Sacerdotem à Rege ipſo obtinuerunt, qui antiqua Sacra edoceret; quæ quidem licèt amplexati fuiſſent, immiſta tamen patriis ſuperſtitionibus mansêre; ac licèt tandem ſublato Idolorum cultu Moyſis religio faciem, vocemque ſuam emiſiſſe viſa fuerit; paulò nempe ante Sannabalethæ tempora; ſolum tamen Penthateucum è ſacris libris probârunt, & ultrà errorem hunc in varias quoque Sectas abiêre, ut & Judæi poſt Babylonicum exilium, & quædam, licèt Religionis prætextu, *arcana Dominationis* pertentare videbantur; adeo ut factiones potiùs, conjurationesque meritò dixeris; hinc Joſeph: *ajebant*, inquit, *manifeſta prodigia, atque portenta ſe edituros, quæ Dei curâ, Providentiâque evenirent*; & plurimi cùm fidem illis haberent dementiæ, ſuæque ſtoliditatis pœnas pertulerunt; hinc Theudas ille, qui Vatem ſe profitebatur, ingentemque Judæorum numerum eum ſequi perſuaſerat; hinc Ægyptius alter Populum ad Olivarum montem quaſi miſſus à Numine vocabat; & *Galaonitæ* pietatis obtentu, ut Auguſtorum depellerent Imperium, nec tributa penderent, ſolum Deum Regnorum Moderatorem aſſerebant; licèt autem antè Babylonicam transmigrationem plerique legantur *Kenæi*, *Rechabitæ*, ac *Naziræi* nuncupati; hos tamen quibusdam ſeverioribus vitæ inſtitutis Deo fuiſſe conſecratos, nîlque diverſum in Religione à reliquis tenuiſſe certum eſt; nam & Samſon Naziræus dicebatur, quoniam Numini ab initio erat conſecratus, quamvis Naziræos à Galaaditide, & Baſanitide Regione, locisque ultrà Jordanem originem tra-

trahentes libros Moysis nec probâsse, aliamque Legem quàm quæ tradita esset, accepisse Sanctus Epiphanius affirmaverit; sed hi post reditum è Babylonia, postremisque Judæorum temporibus orti sunt; nam ùt anteà nulla oriri poterat in Lege disputatio, quoniam & Pontifices consulebant Deum, & Vates populum monebant, ità post reversionem cœptum est super lege disputari; adeoque sicut priùs in Idololatriam labi potiùs, quàm in Sectas discedere visi sunt; ità postmodùm suis disputationibus, subtilitatibusque inhærentes factiones produxêre, atque hæreses, quibus obstinatissimè adhærebant, insitâ mortalibus naturâ, ut inventis suis gaudeant. Hinc primò *Scribæ*, qui legem exponebant, sophisticè interpretari cœperunt, adeoque Sectam effecerunt, & *viventes abundantiùs quàm lege præscriptum erat*, Urceorum, aliorumque Vasorum demersiones ac purificationes servabant, crebroque manus lavabant, & purificationes quasdam per lavacra adhibebant, distinguebanturque fimbriis quibusdam, & palliis, quibus purpuræ notas intermiscebant, ùt alibi dictum est. *Sadducæi* autem à Sadoch ità nuncupati, qui defecit ad Templum montis Garizim, quod Manasses inter Samaritas construxerat, ut Sacerdotio ibi saltèm fungeretur, docebatque, *fatum nullum esse, omniaque pendere ab hominis arbitrio: animas cum corpore perpetuò interituras; nec Deum mala universa prospicere;* quæ doctrina cùm serpere cœpisset, Secta de suo nomine inter Judæos enata est; cætera verò æqualiter cum Samaritis observavit; cùm enim, licèt *Schisma* perpetuum esset, unius Ditione sæpè tenerentur, & magìs Commercia exercerent inter se, vicissim enati errores utrumque Populum contagione fœdabant.

Nec igitur iis assentimur, qui Esdræ temporibus eos primùm errores receptos esse scripserunt, nec tamen Sadoch ipsum præter nomen Authorem agnoscimus errorum, cùm priùs emersissent; & fortâsse Oniæ Pontificis temporibus ducentesimo quadragesimo anno ante Christi ortum, Doctoresque, qui Legem per traditiones explicabant, causam eis dedisse putamus; nec Authores desunt, quibus innitimur; ex illa enim Theologia, quâ Deum absque ulla præmiorum spe, aut pœnarum metu colendum esse præcipiebatur, emergere eâ tempestate cœpit error, quem posteà Sadoch in dogma convertit, animæ nempe interitus.

Cùm igitur nec æternitatem admiserint, nec resurrectionis mysterium agnoverint, Epicureorum Sectæ adhæsisse quis negaverit?

cùm præcipuè præter naturam Corporum nil existere sibi persuaserint, nullamque spiritualem substantiam adesse putaverint, licèt de Deo tanquam infinitum atque incomprehensibile Ens nihil ausi essent dicere; frustrà tamen, quòd Spiritum sanctum negaverint, scripsêre, quoniam unquam agnoverunt; Angelos verò, ex quo in Penthateuco frequens adeò mentio erat, Phantomata quædam fuisse corporea ad nutum Dei efformata, & per momenta duntaxat duratura; Nihil igitur boni noverant, nisì hujus ævi felicitatem, cùm universa arcto adeò mortalis vitæ Circo inclusissent, & tamen Legi se conformabant; quoniam præmia bonaque ex observantia præceptorum autumabant; hinc accepti Magistratibus, imò pars ipsi maxima erant Magistratuum. Quare non absolutè Providentiam denegâsse, sed eam duntaxat in hac vita bona largiri bonis, pœnas verò improbis, majorem eorum partem credidisse indubium redditur. *Essæni* verò multùm à Philone laudati, quoniam Dei Cultores præcipuè fuisse tradit, nullaque animalia sacrificâsse, sed mentes sacras efficere curâsse: *hi* (sunt ejus verba) *vicatim habitant, urbes vitantes propter eorum, qui tractant Civitates, improbitates. Eorum alii Agriculturæ student, alii artes exercent, quæ pacis Sociæ sunt, neq; aurum, neq; argentum sibi condunt, neque agros parant cupiditate reddit
uum, sed necessitate Victûs: nemo bellicorum armorum apud eos est opifex, sed neque in pace ullum mercaturæ genus attingunt; servos non habent, sed liberi omnes sunt mutua ministeria suppetentes. Rationalem & naturalem Philosophiam respuunt, Divinam amplectuntur; morali maximè student, patriarum Legum auxilio usi, quas præcipuè 7ma die docentur. Imbuuntur autem Sanctitate, justitiâ, cæterisque Virtutibus, tres regulas adhibentes, Dei, Virtutis, hominumque amoris. Quòd Deum diligant, illud est indicio, quòd perpetuam Castitatem adhibent, Jusjurandum & mendacium non dicunt, & quod bonorum omnium, nullius verò mali Authorem esse arbitrantur. Quòd virtutis studiosi sint, ex eo percipi potest, quòd pecuniam & gloriam negligunt, quòd voluptates respuunt, & Constantiam præstant. Quòd hominum Charitate flagrent, indicat amor & Societas inter eos; una enim est omnibus domus, una vestis, unum ærarium, unus sumptus, communis victus & vita; quin etiam quæstus in Commune conferunt, ægrotantes communiter curant, & Seniores locò Parentum habent*; & Plinius meminit lib. 5.: *ab occidente*, inquiens, *littora Essæni fugitant, usque quà nocent: Gens sola & in toto Orbe præter cæteras mira, sinè ulla fœmina, omni venere abdicata, sinè pecunia, socia palmarum; In diem ex æquo Convenarum turba renasci.*

renascitur, largè frequentantibus, quos vitâ fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat; Ità per sæculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur, tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est. Intrà hos Engadda oppidum fuit secundum ab Hierosolymis fertilitate, palmetorumque nemoribus, nunc alterum bustum. Indè Masata Castellum in rupe, & ipsum haud procul Asphaltide.

Hi autem velut è diametro *Sadducæis* oppositi cuncta referebant ad Deum, immortalemque animam censebant. Societas igitur quædam erat ordine inter ipsos instituta, & aliqui eorum contemplationi vacabant, alii verò etsi agendo vitam ducerent, moribus tamen iidem erant; quantum tamen ad fœminarum Connubia, plùrimi licèt eandem doctrinam sequerentur; ea nec improbabant, atque ex iis ingentem numerum Christianorum fidem amplexatum, imò eorum exemplo heremiticam Vitam, Ordinesque Regularium primùm cœpisse Eusebius, aliique tradidêre.

Philosophiæ autem operam vacâsse, atque cum Stoicis plura habuisse communia liquet; Et Pythagoram ipsum per Judæam vagatum Essænorum mores, doctrinamque suspexisse, eamque adeò avidè excepisse, ut Societatem ad eorum instar composuerit, eorumque votis paupertatis, castitatis atque obedientiæ se adstrinxerit, aliqui prodidêre; quare Aristotelem de his sensisse putârim, cùm eosdem in Cava Syria Judæos, qui Sapientes apud Indos, & Calani nuncupati, affirmasset; Eos autem originem primam duxisse à Nabathica Regione, Ithuræa, Moabitide & Arëilitide, quæ est ultrà mare mortuum, Judæos quidem genere, sed *moribus hypocritas, mentis industriâ versutos* S. Epiphanius affirmavit.

Pharisæi verò velut medii inter utrosque agebant, & Scribis propiùs accedebant. Hi Josepho Authore *fato* cuncta tribuebant, & tamen in homine arbitrii libertatem agnoscebant, judiciumque Dei credebant, animasque immortales, bonorumque animas in Corpora hominum remigraturas, malorum autem in pecudum.

At quid hoc aliud est, quàm ex Pythagoræ scitis suam Pharisæos intertextam Theologiam exhibere? nec propterea piget Philosophi Sallustii verba in medium afferre; *Animorum autem transmigrationes, si ad ea, quæ ratione utuntur, venerint, animi Corporum evadunt: si in vacua ratione deforis subsequuntur; quemadmodum nobis Dæmones, qui nos obtinent, assistunt, nunquam enim rationis compos rationis expers animus fiet. Verùm animorum transmigrationem ex defectibus,*

qui

qui ab ortu ingenerantur, dignoscere possumus. Propter quid enim alii cæci, alii luxatis membris, alii etiam animo ipso laborantes nascuntur? & cùm naturâ suâ Animi id habeant, ut in Corpore muneribus suis fungantur, haud decet semel egressos per omne ævum otiosos considere. Etenim si non denuò animi in Corpus recurrunt, infinitos esse necesse est, aut Deum continuò alios atque alios procreare. Sed nullum infinitum in Mundo; infiniti enim nullum infinitum unquam existet. Sed nec alios edi fieri potest, quodcunque enim novum aliquid fit, imperfectum necessariò erit; Verùm Mundum à perfecto productum, perfectum esse oportet. Animi verò, qui secundùm Virtutem vixerunt, in aliis fortunati ac beati ab eo etiam, qui rationis expers est, separati Diis ipsis copulantur, & Mundum universum unà cùm illis administrant. Et quidem licèt illis nihil ex istis succedet, Virtus ipsa, & ex virtute voluptas & gloria, & absque mærore ac Dominorum oppressione vita immunis, ad eos, qui vitam secundùm Virtutem vivere elegerunt, idque præstare potuerunt beatos efficiendos satis fuerit. Et profectò si inter se commitantur summa vetustæ doctrinæ Capita, sicut ex Philosophia ipsa Gentilium Theologiam intertextam inveniemus, ità & in ipsamet Nationum Philosophia & in eadem indè composita Theologia sapientiæ vis, quæ à Deo ipso tradita fuerat, elucescit; undè colligere poterimus ab Abrahamo primùm Sapientiam accepisse Gentiles, deinde per Moysem apertiùs fuisse informatos, ac tandem procedentibus temporibus Hebræos ipsos à Philosophis, quæ iidem super eorum doctrinæ fundamentis exstruxerant, decerpsisse, intermistaque cùm vera doctrina docuisse, ut fortàsse super cæteros quâdam penitioris Sapientiæ ostentatione sese efferrent; adeò ut rerum humanarum Orbis in ipsismet doctrinarum fontibus vim suam exercere videatur; nam apud Numerium Pythagoricum Plato ipse græcus Moyses nuncupatur, nec profectò aliud tradidisse tam ipsum, quàm Pythagoram patet, quàm ea, quæ hauserant à Brachmanis, Ægyptiis, & Judæis; quas apud Gentes semina doctrinarum jecerat Abrahamus, cùm apud Chaldæos cæteris vetustiores, & à quibus propagari cœpêre, quique pro ipsis Sapientibus apud Assyrios & Medos accipiuntur, & ùt Diodorus perhibet, ab Ægyptiorum Sacerdotibus provenêre, sedem primò fixerat; quibus è fontibus Magi apud Persas suæ doctrinæ rivos deduxêre, licèt prorsùs suô ingeniô depravârint; duo namque rerum principia ponebant, malorum nempe, & Arimanem seu Ditem nuncupabant, tenebras scilicet, quas fortàsse pro materia accipiebant: bonorum aliud Oromasdem dictum, Jovem

vem nempe tanquam lucem; animasque immortales, atque recepto Corpore ad æternam Vitam redituras afferebant. Nec profectò aliis è fontibus Manichæi fuos errores haufiffe vifi funt.

Sed redeamus è diverticulo in viam. Et porrò enumerare Pharifæorum Claffes utì Thalmudici afferunt, prout magis minusque fuperftitionibus erant addicti, corpusque macerabant, ut cæteros in admirationem fui pertraherent, utque fapientiores, fanctioresque haberentur, inane foret; Sufficiat igitur, quæ S. Epiphanius fcripfit, proferre: *Pharifæi*, inquit, *eadem cum fcribis fentiebant, converfabantur enim cum eis. Virginitati & continentiæ ftudebant, frequenter orabant, caventes, nè quâ fe labe corporis macularent, duriffimis ftratis cubabant, bis in Sabbatho jejunabant fecunda & quinta die, decimabant decimationes, dabant primitias trigefimas & quinquagefimas, Sacrificia aptiffimè ad vota perfolvebant; in prædicto verò fcribarum habitu incedebant per Amicula, & alios ornatus, & muliebria pallia, in latis crepidis, & calceamentorum ligulis procedentes.* Dicebantur autem Pharifæi eò, quòd feparati effent ab aliis propter fpontaneam fuperfluam Religionem apud ipfos receptam. Phares enim hebraicâ lingua feparationem fignificat, undè à Chrifto fæpiùs objurgantur in Evangelio, quòd propter eorum traditiones mandata Dei irrita feciffent, fcribitque D. Hieronymus, Præpofitos habuiffe in Synagogis fœdo operi delegatos, ut fanguinem Virginis five menftruatæ mundum vel immundum, fi oculis difcernere non poterant, guftu prælibarent; undè ab iis Gnoftici non pauca defumpfiffe videntur.

Hemorobaptiftæ verò partim Scribis, & Pharifæis accedere videbantur, partim Sadducæis, cumque ipfis animam cum corpore exftingui credebant, nec refurrectionem agnofcebant mortuorum. Illud verò fingulare iis erat, quòd fingulis diebus fe baptizare confueverant, unde ipfis nomen inditum.

Herodiani autem ii fuêre, qui novo, atque inaudito affentandi genere Herodem Meffiam fuiffe putârunt, ac propterea in eo adimpletam Legem, Scripturas, atque Prophetas. His tamen non finè arcana ftatûs ratione augendis data opera, & Sacer Textus in promptu erat: *non deficiet Princeps ex Juda, atque Dux ex fœmoribus ipfius, donec venerit, qui refervatur*; adeòque cùm effet alienigena, hoc vertebant in omen poteftatis.

At quis velit Sectas enumerare Judæorum, poftquàm non contenti, quæ à Sacris Legibus acceperant, nôffe, ardorem men-

tium ultrà ad rimandum omnia tulêre, & suis se tenebris involverunt? Hinc inter solam Hillelis, & Samei Familiam octodecim Controversias acriter fuisse agitatas, quas nec Elias quidem potuisset expedire, Thalmudici affirmarunt; & quoad divortium Seldenus ait, Sammeanos putâsse illud non licere, nisi in uxore deprehensa fuerit fœditas aliqua, Hellelianos verò ob quamcunque displicentiam admitti posse; adeoque inter eas Sectas Christum velut arbitrum pro Sammeanis pronunciâsse inaniter conjecit; adeò in contentiones omnia penè verti videbantur.

Karaitas verò jam innuimus omnibus cordatiores extitisse, quoniam saltèm Legem sequebantur; quare quidquid Thalmudici congessère, sunt aspernati; hinc Judæorum cæteri iis erant infestissimi. Sed procedentibus temporibus mirum, quantùm excrevêre, & quàm plurima ex eorum placitis; & morali Philosophia ipsum Mahometem decerpsisse proditum est; hodieque apud Polonos, Lithuanos, atque in ipso Turcico Imperio ingens est Karaitarum multitudo. Nec illi Christum damnabant, ùt alii omnes, sed pro Legis Doctore habebant; Eorum autem originem, doctrinam, moresque pleniùs discutere inane foret; non adeò tamen recentiores fuisse, utì nuper aliqui scripsêre patet ex Patribus, cùm eorum meminerint S. Epiphanius, S. Hieronimus, Eusebius, Origenes, & alii.

Sed & cæteras, quæ in Samaria præcipuè viguêre, Sectas enumerare superfluum omninò putamus, præsertim cùm fermè tot fuerint opiniones, quot capita; hinc Dositæi, Sebueni, Gorthenieni, aliique; Hieroboamus namque multa è superstitionibus Ægyptiorum renovavit, ut populum magis deciperet, sibique firmaret; hinc auream Bovis imaginem in Bethelem Than erexit, cùm Apis summum Ægyptiorum Numen esset; Illi autem ex Ægyptiorum erroribus, ac Moysis Lege, quoniam universa confuderant, sua opinionum monstra effinxêre. Sed & Judæi quotiescunque relictâ Lege superstitionibus, atque Idololatriæ adhæsisse visi sunt, animalium effigies venerari Ægyptiorum in morem consueverunt; hinc Serpentem æneum, quem alia de causa Moyses erexerat, cultu, Sacrificiisque prosecuti, & apud Ægyptios Serapidem repræsentabat. Quòd autem caput Asini coluissent, ùt Plutarchus, Tacitus, aliique scripsêre, fabulam esse patet evidentissimè; quoniam nec illis usquam in Sacro Codice appositum videtur, nec penetrali sacratum extitisse, secuta rerum fides comprobavit; nec ab Ægyptiis desumere potuêre, quibus

quibus invisissimum animal præceps dare mos erat, & Plutarchus ipse Busyritas, & Lycopitas tubas rejecisse, quòd eorum sonus clangorem stertentibus Asinis similem ederet, affirmavit; fortiùs igitur putidum est mendacium, quòd septimo quoque anno Alienigenam Asino immolâsse consueverint.

Sed & cætera, quæ Judæis, præcipuè verò Samaritanis passim apponuntur, referre inane foret; cùm nemo nesciat, Græcis, Romanisque invisos fuisse; & quàm parùm res eorum noverint, ex Josepho patet in libris contra Appionem, addiditque ibi causam, dum inquit: *Nos neque terram habitamus, quæ mari vicina est, neque negotiationibus gaudemus, neque earum causà nobis consuetudo cum aliis Gentibus est, sed sunt Urbes quidem nostræ procul à mari sitæ: ipsi autem nos Regionem bonam incolentes, hanc cum labore exercemus.* Inter ipsos autem postremis etiam temporibus adeò discrepâsse visi sunt, ut alii Pyrrhonismum quoque saperent, alii verò Stoicismum: primi autem, quos nuncupârunt Seburæos, in utramque partem de rebus cunctis solent disputare, nullius inhærentes vestigiis. Cæteri autem Gaonitæ sive excellentes, sive sublimes suis decretis cuncta definiunt, & veluti Oracula edere videntur; At quis vellet Cabalisticas eorum subtilitates, explicationesque referre? aut quis Tanaitarum, Gomaristarum, & Thalmudistarum, atque Archiperecitharum, de quibus Justinianus meminit, deliramenta? Habentque Codices suos, quibus omnia consignârunt. Quid enim aliud Misna est, nisì traditionum sibi mutuò adversantium collectio? eodem namque tempore, quo prodiit, & alterum Volumen apparuit, Extravagantium nomine, quibus cæteræ traditiones destruebantur, & super iis Commentarii exivêre, Thalmud nempe, quod tamen duplex faciunt, Hierusalem scilicet unum à duobus Judæ discipulis, à quo editum Misna, compositum; Babylonis alterum, quod illi præferunt, & in eo nedum Traditiones universæ, & Canon Judæorum, sed dubia, & quæstiones erga Legem deciduntur, de quibus, & quæ primùm tempore compilata fuerint, alibi sermo erit. Masoritæ verò partes Sacri Codicis nedum recognoscere, & conservare, verùm notis quibusdam explicare conati sunt, & de his alibi etiam fusiùs.

Finis secundi Voluminis.